[illegible]

14
22 Q
10

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7-16-4-35

De hoc opere vide Josephus Assemann. Kalendar. un. Ec. tom. I. pag. 181. &


AD CAPPONIANAS RUTHENAS TABULAS COMMENTARIUS

AUCTORE

NICOLAO CARMINIO

FALCONIO

ARCHIEPISCOPO ECCLESIÆ SANCTÆ SEVERINÆ
METROPOL. IN BRUTIIS ULTERIORIBUS.



ROMÆ. MDCCLV.

TYPIS, ET SUMPTIBUS GENEROSI SALOMONI
IN PLATEA S. IGNATII

PRÆSIDUM FACULTATE.

Emo , ac Rmo Principi

JOANNI JACOBO MILLO

CARDINALI AMPLISSIMO
SS. D. N. BENEDICTI XIV.
PRODATARIO.

GENEROSUS SALOMONI
FELICITATEM.

SACROS Ruthenorum Faſtos , non inutilem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ partem nec injucundam , dum typis committendos aggredior , JOANNES JACOBE CARDINALIS AMPLISSIME, id unum mihi ſupereſſe videbatur , ut tuo potiſſimum Nomini conſecrarem . Solent enim hi partus ingeniorum ab auctoribus ſuis non diligi ſolum , ve-

rum & amari plurimum : quippe qui laboribus multis, ac propemodum infinitis coaleſcunt, atque in lucem emittuntur. Quapropter quo tempore a Scriptoris ſui manibus emancipantur, in eo ſummi alicujus Viri auctoritati, doctrinæ, benevolentiæ, patrocinio concreduntur; quominus Cenſorum judicium pertimeſcant. Cum vero a Clariſſimis auctoribus in Typographorum manus, quaſi ad nutricem tranſmittuntur, debent hi ſane, ut honeſtati ac muneri inſerviant ſuo, ne dum in illis paternum nitorem, atque elegantiam ingenuam conſervare; ne ſcilicet mendis ſcateant præcavendo; verum etiam, ſi nulli prorſus ad tutelam ſunt concrediti, eos ſummo alicui viro, & docto commendare; hanc proficuam, & ſalutarem Officii, ac dilectionis partem diligenter ſupplendo. Quod enim Opus ſummo, ac docto viro offertur, illud perfectum, ut plurimum, exiſtimatur. Ad hæc vero, quæ in vulgari prudentia poſita ſunt, operis iſtius ratio me neceſſario, ut ita dicam, impellit. Quæ enim ad alicujus Operis tutelam, atque adjumentum a cæteris ſolicite perquiruntur, in Te mihi feliciter inveniſſe, contigit. Ac primo quidem tantum ineſt Nomini Tuo pondus, Princeps Eminentissime, ut in ipſa Purpura, propter animi Tui excellentiam, præſtantiamque Virtutis, pleriſque majorem auctoritatem habere videaris, quam dignitatem. Cujus ab ineunte ætate ſtudia, ad veram ſolidamque doctrinam Te diligenter evexerunt, & ad Sacri prudentiam Juris, & ad Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cognitionem, ut ab ipſo hominum quotquot ſunt ſapientiſſimo BENEDICTO XIV. Pont. Max., unus probarere, ad ſui Vicariam poteſtatem in Te collocandam, & tam præclare

re exercendam, quantum Ipſe, coram Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Collegio teſtatus eſt, dum in Te maximæ dignitatis inſignia eſſet collocaturus. *Te* ſcilicet *oneris ſui partem ſuſtinuiſſe*, dum inquit, *& fideliter ſapienterque adminiſtraſſe*. Nec verò in quovis alio facile ſit, tanta benevolentiæ indicia invenire, quanta ejuſdem in Te certiſſime exiſtunt argumenta. Tibi enim, veluti alteri Cyro a Xenophonte deſcripto, cujus ſumma gravitas cum ſingulari facilitate conjungitur, multa in ſeveritate dignitatis, maxima non deeſt comitas, & illud, quod vincire ſolet, ac conciliare animos hominum, mite ingenium, affabilitaſque ſermonis. In tanta autem manſuetudine Tua & lenitate, jam nemo eſſe poteſt, qui juvari patrocinio Tuo, ac ſublevari diffidat; cum probos homines quoſcumque, & ſcientiis non inimicos, clementiæ atque humanitatis Tuæ officiis complectaris. Verum ea ſunt in luce poſita, quæ diſſerui, & hanc ipſam mihi teſtem aſſumo Urbem cæterarum dominam, quæ de animorum præſtantia, de virtutibus, ingenioque hominum judicare ſolet æquiſſime, cujus in amore, ac deliciis es, cujus admirationem exiſtimationemque promereris. Viderat enim Te in præſtantiſſimo Auditoris munere, in his nempe cauſis cognoſcendis, quæ Principis ipſius judicio, ac poteſtati ſunt reſervatæ: & nemo non intellexit, omnia per te in maximo Magiſtratu, ſanctè, juſtè, moderatè fuiſſe pertractata. Sunt enim in illo munere difficiles undequaque ambages; eſt ſevera quædam Judiciorum ac Magiſtratuum cenſura; eſt in omne genus hominum peculiaris poteſtas, & notio rerum omnium, nullis quaſi limitibus circumſcripta. Attamen ſic in illo ipſo munere votis omnium, ac voluntati reſpondiſti, ut dum

æqui-

æquitati ſtuderes, facilitas illa Tua ſingularis, ingenium, clementia, bonitas, virtutes denique omnes excellentius apparerent. Jam vero, cum utriuſque Curiæ lacrymis ab illo honorificentiæ loco abſtraheris, ut ad Præfecturam ſacrarum dignitatum aſſignandarum admovearis. Quam profectò invidioſus locus ille, eſt circumſeptus, votis, ut plurimum, precibuſque multorum hominum, unum petentium, unum cupientium, ſubſidium! Quis impatientem ſpem illorum ad frugi modeſtamque expectationem inducat? Petunt, urgent, inſtant, deprecantur, plorant; non interrupto labore contentioſe rem agunt ſuam. Hic diuturnitate precum, commendationibus ille; alter longa meritorum ſuorum recitatione, hominem obſident, atque interimunt. In eo præſertim loco, ubi Gratia valet plurimum; ubi paſſim enaſcuntur conquæſtiones, & quærimoniæ, raros eſſe quoſdam videmus, quorum præſtans, & eximia prudentia ita temperet ſuccreſcentes votorum fluctus, ut æquitatis lucem intueantur. Hoc Tibi, ſi ulli unquam contigit, hoc Tibi præſtitit virtus Tua, PRINCEPS EMINENTISSIME. In ore omnium poſitum eſt, Te ſapientiam hominum, Te probitatem in ipſa gratia conſiderare, & Sanctiſſimi, atque Integerrimi Pontificis inſerviens voluntati, quemcumque merentem ſublevas; non quemcumque petentem: virtutis commendationem in conferendo beneficio exquiris, non hominum officia, vel commendationes. Quæ omnia niſi animo ſentirem, non proferrem, nec litteris conſignarem: veritus putidi aſſentatoris notam, non minus ab ingenio meo, quàm ab inſtituta anteactæ vitæ meæ ratione, abhorrentem. At enim ejuſdem operis natura doctiſſimum Patronum, ac ſapientiſ-

pientiſſimum expoſtulare videbatur . Si quis enim librum ediderit jucunditatis, ac joci plenum, aut fatui ſalis, aut mimicæ adinventionis, quorum quidem hodie librorum tanta copia ſuccrevit; hic profectò nullius indiget patrocinio. Hi libri facile emittuntur, excipiuntur cito, latè diſſipantur. In noſtris verò Commentariis nihil mimicum eſt, nihil jocoſum: ſolidum in iis, grave ſeverum ſtudium, intemeratæ critices uſus, antiquitatum inveſtigatio, ſacrorum monumentorum examen, rejectio non probabilis eruditionis, vel etiam non ſatis probatæ. Pauci admodum ſunt, qui ſtudiorum horum ſuavitatem ſentiant. Neceſſe igitur fuit, ut in judicio Tuo graviſſimo, & maximo ii conquieſcerent: quod ſi mihi contigiſſe intellexero; & meam hanc in Te deprecando diligentiam, & in aſſequendo ſortem, quamplurimum profuiſſe ſentiam. Nam ſi, quæ nulli denegas benevolentiæ atque humanitatis officia, in me conferas abundantius, Joannes Jacobe Cardinalis Amplissime; eventum fortunæ bonum, ac optatiſſimam felicitatem, & mihi, & Operi ipſi gratulabor: cum ſcilicet Sapientium omnium judicio in haſce Ephemeridas vigiliis multis, & pertinaci Cl. auctoris labore quantumvis confectas, multò uberrimus commendationis, ac dignitatis fructus ex Tuo Nomine, Tuaque Humanitate ſit acceſſurus.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſgerens.

CUM *Commentarium ad Capponianas Ruthenas Tabulas*, ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Nicolao Carminio Falconio Archiepiſcopo S. Severinæ, ob alia opera longo ſtudio, vigili cura, atque invicto labore edita Claro, elucubratum, juſſu Reverendiſſimi P. Auguſtini Orſi S. Palatii Apoſtolici Magiſtri perlegerim: non modò quidquam in eo non inveni ſolidæ pietati, bonis moribus, ſanæque Fidei adverſum; ſed præclara ingenii, & omnigenæ eruditionis Eccleſiaſticæ monumenta ex actis Sanctorum Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ collecta, & ad exactam criſim perpenſa, animadverti. Quare opus, quod eorumdem Sanctorum geſtis illuſtrandis, Ruthenæ Eccleſiæ gloriæ augendæ, ac pietati amplificandæ plurimum prodeſſe poteſt, publica luce; atque Eruditorum virorum lectione dignum cenſeo.

Ex Bibliotheca Vaticana die xxx. Auguſti Anni MDCCLIV.

Petrus Pompilius Rodotà Græcus Bibliothecæ Vaticanæ Scholiaſtes.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sac. Palatii Apoſt.

PRO-

PROLEGOMENA
AD
LECTORES.

SYNOPSIS PRÆFATIONIS.

IN tanto lumine Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, quò ſummo annuente Numina, favente Sede Apoſtolica, noſtra feliciſſima tempora pervenerunt; videbatur aliud vix poſſe addi, rebus adeo illuſtratis, quam Cenſuris aliis aliove ordine, eadem diverſis linguis, & piperato aliquo embammate refrigere, & recoquere. Acceſſio verè noſtra nullibi ſperabatur. Orientem pervaſerant ſuis auſibus celeberrima ingenia, Occidentem ſuſque deque volutarant; univerſi pene Orbis, opes erant Eccleſiaſticæ poſt prophanas eventilatæ, & ex pulverulentis hactenus Bibliothecarum pluteis, vel *ignotiſſima* & toties fruſtra deſiderata, Antiquorum opera prodierant. Ditati eramus innumeris Analectis, Anecdotiſque, per Caniſios, Dacherios, Labbæos, Baluzios, amicos Fontaninios, Muratorios, Mabillonios, Monfauconios, Pezios, Martenios, Garnerios, Bigotios, alios: & ſuam ſymbolam profuſa manu, rei contulerant Herculei Bollandiani; ne quid in Sanctorum, Martyrumque hiſtoria, neglecta dudum, aut parum digne tractata, per maleferiatos aut congerrones, optandum Eccleſiæ ſupereſſet. Inter eos Vir æternæ memoriæ Papebrochius, intactum, inexcogitatumque molitus opus, uſque ad Sauromatas & glacialem, avio itinere, aut impenetrabili, volatu ſuo pertinxit. Figuratas Ephemeridas Græco-Moſchas, duodecim æneis Tabulis, cum ſuo brevi eruditoque, etſi currenti calamo, Commentario, improviſum munuſculum, gratiſſimum Orbi fecit, Menſis Maji primo prolatum tomo.

Indicatum iter, oſtenſa præda, eruditorum appetitum poterat acuiſſe: ſed calcavit hactenus ipſum nemo, nemo occupavit Spartam hanc vacuam, &, (quod ſciam) vel cogitavit. Interim Ruthena Eccleſia parum, vel ſolo nomine cognita eſt Eccleſiæ; & ejus origo, & progreſſus, ſeries Epiſcoporum, tempus Schiſmatis, Concilia, & Diſciplina, nemini ex inſtituto & juſto opere, latino, vernaculove eloquio pertractatur; tamquam ſi hæc Eccleſia aut nunquam, aut nuſquam, eſſet. Et qui inter tot Collectiones Conciliorum operoſiſſimas, multa Concilia, ex ſolo nomine vel tempore novimus; Principumque Capitularia tanta legimus; Ruthenum nullum perquiſitum, adjectum, jure merito admiramur. Mihi hic animus: & occaſio noſtræ Tabulæ: quarum hiſtoriam, & quomodo eas Cl. Marchio Gregorius Capponius Alexander, Vir a Secretiori Cubiculo Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis PP. XII., & Primus a ſarctis tectis Sacrorum Palatiorum, ante triennium eſt adeptus; in hoc limine Commentarii apponere e re duco.

Hiſtoria Tabularum Capponianarum.

CAP. I.

I. GEraſimus Phoca natus Cephaleniæ, ubi Sacellanum Eccleſiæ Sancti Georgii Græcorum, Venetiis aliquot annos egit; & Moſcoviam hinc profectus, ab auriculari dicitur Petro Magno fuiſſe Moſcorum Cæſari; ab eo Ephemeridas has Ruthenas, quinque depictas Tabulis, (nobile verè Antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentum) dono dixit ſe accepiſſe. Defuncto Petro, dum cogitat in Patriam Geraſimus, Cpolim eas detulit Patriarchæ oblaturus ſuo, qui Epiſcopalem ipſi Cathedram (ſi verum) ſtatuerat elargiri. Peſtis autem cum in hac Urbe tunc graſſaretur, Geraſimus peſte ſublatus eſt, & apud amicum Tabulæ remanſerunt. Marinus Phoca audita germani morte, Cephalenia Cpolim pergit, & inter cætera bona fratris, heres

Tabulas haſce refert. Sed earum pretium ipſe norat; hinc haud nactus apud Græcos æquum emptorem, Romam emporium raritatum, ſecum attulit, atque hîc, optimo ejuſmodi cognitori Capponio oblatas, magno pretio ipſe vendidit: remque, ita (ut narro) ſe habere, literis manu propria ſubſcriptis teſtatus eſt: neſcio (quod ad donum) an Græca fide, Vendidit: ſunt Ruthenæ: ſunt antiquiſſimæ: & ſumptu magno: & ad uſum Principis Moſcovitæ.

2. Tabulæ Papebrochii pictæ ſunt, rudi inelegantique pennicillo, anno 1628. ut ipſemet ſcribit, dum his præfatur, & ſunt duodecim. Noſtræ quatuor; quarum ſingulæ tres menſes columnatim continent: quinta namque feſta mobilia cum Dominicis habet, a Septuageſima ad Dominicam primam poſt Pentecoſten. Duo nempe Triodii Segmenta, Quadrageſimale, & a Dominica Palmarum, Paſchale. Illæ Papebrochii habent multos Schiſmaticos inter Sanctos; Capponianæ neminem, qui in Romana Eccleſia non colatur. Adde picturam, omnibus numeris, pro Genio Græco Ruthenoque, abſolutam: colores vividos; imagunculas, (in quibus pictor imus & ungues Exprimit, & molles imitatur uſque capillos) formoſiſsimas: & quod admirandum; ne quidquam paſſas a vetuſtate uſuque, quinque & ulterius ſeculorum. Jamdiu pingunt Rutheni, ſed adhuc ibi Pictura eſt infans, & quid credas, ſeculo duodecimo? Capponianæ Cpoli pictæ ſunt, diu poſt decimum ſeculum, (quo rudes Tabulæ Menologii, juſſu Baſilii Imperatoris, conſcripti, Cpoli factæ ſunt) & aliquanto poſt annum 1070.: quo tempore elegantius fuſæ ſunt in eadem urbe, valvæ æneæ anaglyphicæ Baſilicæ Sancti Pauli extra Romam via Oſtienſi. Pictores autem fuiſſe oportet celeberrimos ejus ætatis noſtros: quorum, qui ſub prima eſt Tabula, *Sergium filium Baſilii* ſe dicit: qui ſub tertia, *Andream filium Heliæ*: qui ſub quarta, *Nicetam filium Johannis*. Sub ſecunda & quinta ſubſcribit nemo. Sane verò, cum colores noſtris inducti Tabulis, nullum corpus efficiant, quod promineat; ſunt qui ex ſuccis herbarum, vel ex aliquo alchimico invento, eos concretos credant. Ego definio nihil, qui ſecuriùs pronuncio de materia Tabularum. Earum craſſitudo, digitus & quadrans: ipſæ ab edaci tempore nihil læſæ: aſpectum ipſarum averſus, cedrinus: credo cedrinas: quod pretium facit ultimum Tabularum. Hæc inoculato præfari oportuit, reliqua tute videris: ita enim prorſus ſunt longitudine, latitudine; etiam in figuris ac literis ſuperpoſitis, ut in adjectis Ectypis Cl. Capponius delineari per diligentiſſimos artifices, magno ære, communi commodo voluit. Et gratulandum, Viri Magni doctique felicitati, qui has Gazas in Muſæum induxit ſuum, & cum Orbe modò largitate magna communicat. Felicitatis heres Avorum, inter quos Cinus Capponius, quas Piſani Amalphi in Picentinis, anno 1135. Pandectas nacti erant, & Piſas advexerant; ubi anno 1406. ab eo, & a Florentinis ſubactæ Piſæ; in patriam rei pretium probè callens, ſecum attulit. Quæ hinc primum *Piſanæ*, poſtea *Florentinæ* dictæ, Romanam Juriſprudentiam, poſtliminio veluti, in Italiam revocarunt. Redeo ad inſtitutum:

3. Cl. Marchio Tabulis comparatis, inſpiciendas fruſtra pluribus eas præbuit: oſtendit etiam & mihi, qui Ephemeridas eſſe Ruthenas actutum dixi: iiſque ſimiles, quas Papebrochius primo Maji præfixit tomo. Excepit gratiſſimum nuncium Vir Illuſtris, Dominoque Noſtro Clementi Papæ duodecimo retulit comparata. Cui magnum deſiderium ortum eſt eas inſpiciundi, ut reapſe vidit, & ſummopere collaudavit; prodito etiam voto ſuo, optare ſe quam maxime, ut in bonum publicum ederentur. Quid multis? Eruditiſſimus Marchio mole curarum oppreſſus ſua, Clariſſimo Aſſemannio Bibliothecæ Vaticanæ tunc Propræfecto laborem offert; iſque, de more, majoribus ſtudiis occupatus, excuſationem ſi nequeat exſequi juſſa petit; & Provincia mihi obvenit: Domino Capponio, pro ſua in me benignitate, invitante. Suſcepi igitur datum opus, & ut in eas Commentarium adornarem, Ruthenæ linguæ prorſus inſcius; qui eam probe noſſet, propoſui exquirendum; ut inſcriptiones ſingulis imagunculis ſuperpoſitas, præſertim ubi verba ex integro Ruthena erant, legeret, verteretque latinè. Et voti compotem brevi me diligentia fecit, qua Cl. Capponius doctiſſimum Ruſſiæ inferioris Virum, Voli-

linium ſcilicet, ex alumno Collegii de Propaganda fide, Rectorem tunc S. Mariæ de Paſculo ad Carinas, P. Ignatium Culcinium, Baſilianum monachum nactus eſt. Is diligenter minuta legit, ope quandoque Uſtavi, vel Guſtavi ſui Rutheni (quod Martyrologio Romano reſpondet noſtro)& exemplaris,quod ex Papebrochii Ephemeridibus ego exſcripſeram. Is ad verbum, me flagitante, omnia vertit: deditque tanta, etſi enixe rogatus, ex Tryphologio Rutheno, & ex Scriptoribus Eccleſiæ Roxolanæ, quanta infra in his Prolegomenis inſerentur. His jactis, de ſtatu Ruthenæ Eccleſiæ, noſſe quid neceſſarium puto;in quo ni fallor, nec indiligenter, quin maxime inſudatum eſt. Incipio a Regione, & ſtudebo quam potero brevitati.

De ſitu Ruſſiæ, & tempore prædicatæ apud eos Fidei.

CAP. II.

1. SArmatia, (quæ & Sauromatia Græcis) ampliſſima Orbis Regio, in Europæam & Aſiaticam dividitur. Europææ fines a Septentrione mare Sarmaticum, (quod veteres *Lacum Cronium*, Hecatæus apud Plinium, *Almachium* voce Scythica, hoc eſt *glaciale* appellat) ab Occidente fluvius Viſtula, ab Oriente fines Europæ, & ab Auſtro Palus Mæotis, (1) Iſthmus Tauricæ Cherroneſi, Pontus Euxinus, Iſter (2) & Hieraſus (3) fluvii, & montes Carpatii. In ea, pars Moldaviæ, inter Boriſthenem (4) Iſtrum, & Hieraſum: Polonia ultra Viſtulam: Pruſſia olim Bogorruſſia & Boruſſia: Livonia: Lithuania: Ruſſia Moſcovitica; & pars parvæ Tartariæ, nempe Crimææ, olim populi Ceremiſſi. Aſiatica ab Europæa per Tanaim (5) diviſa; continet Sarmatas proprie dictos; Periorbidas; Aſturcanes; Macotos & Heniochos. Ex his Amazones prodiiſſe feruntur, ad Paludem Mæotiden, juxta fluvium Thermodoontem. In ea, Circaſſia, & omnis ea Moſcoviæ pars, quæ ad arcton eſt Tanais: & partes Regnorum, olim Scythiæ propriè & .. uæ, & Daci, & utraque Mæſia; hodie Aſtracani, Bulgariæ, & Caſani, ad mare Caſpium & Hyrcanum; quæ citra Rha (6) flumen jacent: quod poſt varios flexus curſuſque, in idem Caſpium mare pluribus oſtiis ſe exonerat.

2. Rutheni ergo ſunt Sarmatæ, poſiti cùm in Europæ finibus, tum Aſiæ, ad arctum; antea Roxolani a Plinio (lib.4. cap.12.) & Ptolemæo, ſed Roxani a Strabone nuncupati; deinde Ruſſi, & Rutheni: & (poſt urbem conditam ad flumen Moſcuam (7)) Moſcovitæ: quod factum anno circiter 1320. Ruſſia in albam dividitur modò, & rubram vel nigram: hanc incolunt Lithuani, qui Regi Poloniæ;illam Moſcovitæ,qui Moſcoviæ Cæſari ſerviunt. Ea variis contermina gentibus, a Meridie & Oriente Tartaris cingitur; a Septentrione Oceano Scythico; unde Strabo ultra Roxanos dixit neminem habitare: ab Occidente Lapones tenet, & poſt eos ad Auſtrum verſus, Finlandos, Livonios, Lithuanos. Nec confundenda eſt cum haud longe diſſitis, Rugia, Pruſſiaque. Rugia namque Pomerania eſt; & Pruſſia,Regnum hodie Principis Brandemburgici. Raſciani ſunt Servii Raſciani, in finibus Romani Imperii, & Othomani. Germania a Sarmatis; Daciſque, mutuo metu aut montibus ſeparatur; ſed Germanorum finium campos & plana Sarmatæ Jazyges tenent, montes verò, pulſi ab his Daci. Porrò Jazyges ſub Claudio Auguſto, Vannio Suevorum Regi (Tacit. Annal.12.) ſuppetias venerunt; quorum Principes plebem, non verò equitatum offerebant Veſpaſiano. (Tacit. Hiſt.3.) Dacia vetus Hungariæ partem, Tranſilvaniam, & vicinas aliquot Provincias complectebatur. Cæterum Moſcovia omnis, ut & reliquæ aliæ ad arcton poſitæ Regiones; aſpera cœlo; & terra, etſi aliquanto ſpecie differt; in univerſum tamen, aut ſilvis horrida, aut paludibus fœda; & olim triſtis cultu aſpectuque, modò ſatis exculta, & urbibus frequentata. Sub Imperio pridem diviſo, & fracto, abjectoque; a tribus verò retrò ſeculis, ad faſtigium hoc maximum ſenſim evecto. Quod ad gentem: effera, & quod mirêre, moribus Aſiaticis: effuſa in adulationes; & (non

 natu-

(1) *Mar delle Zabacche* (2) *Danubio.* (3) *Pruth.* (4) *Nieſter.* (5) *Don.* (6) *Wolga.* (7) *Mokvva.*

natura, ſed arte) ſervum pecus Potentiorum: & Principum non ſubjecta, ſed nec inferior. Sed contineri in obedientia feri populi nequeunt, niſi metu ſolo, ſervitio, & obſequio: & rerum uſus docuit, efferatos, non niſi efferatioribus compeſci, cæco imperio, non ratione. Hac ratione utuntur Principes Moſcovitæ. Plura habes apud Geographos, alioſque, qui de rebus Moſcoviticis ſcribunt: ego Geographum hìc non ago.

3. Venio ad eorum religionem. Idola in tanta illuvie, & hi colebant: Jovem, Martem, Junonem, Venerem alioſque; conſtatque ex vita S. Baſilii Ladimiri, quam afferemus. An Andreas Apoſtolus Chriſti fidem his prædicarit, quæſtio facti eſt: & Rutheni, poſt Guagninum, Coſſovium alioſque, ab ipſo converſos ſe gloriantur. Sunt qui, cum Miechovio & aliis ſcribunt, ab Apoſtolis Thaddæo & Bartholomæo. Sed nupera hæc commenta, & ſeſe pugnantia, non moramur; qui ſcimus Ruthenos, poſt quam puduit, ſe tam ſerò ſequutos Chriſtum; Græcorum ſimiam egiſſe. Hi ab Andrea, Byzantio Stachyn primum datum Epiſcopum, ibique Chriſtum prædicatum volunt; jam tum ab ſexto ſeculo, & anno 525. & ſententia fortaſſe magis ferenda. Nec ipſi ſecus ac Byzantini, Andreæ momenta ſingula & itinera, ad ſe confingunt. Ipſum narrant ex Græcia, ad Boryſthenis veniſſe oſtia, & adverſo flumine, ad montes ubi Chiovia. Ibi omnibus benedictis & baptizatis, cruceque ſua defixa, multas ibi futuras eccleſias prædixiſſe. Poſthæc ſuperatis uſque fontibus Boryſthenis, ex Wolochi lacu, per Lovati fluvium in Lacum Ilmerum deſcendiſſe: & hinc per flumen, Wolochovviam, Novogardiam, & Ladogam lacum, & Hevam fluvium emenſum; in mare Varegum prorupiſſe (quod Germanicum, & Balthicum, & Hyperboreum, ipſis *Warezkoje moria*, appellatur) inter Winlandiam, ſeu Finlandiam, & Livoniam: Tandem per mille maria Romam navigaſſe; ac poſtremò in Peloponneſo propter Chriſtum, ab Ago Antipatro (*ſic*) crucifixum. Ita per flumina, & lacus, & immenſa maria Apoſtolo circum acto, fabulam ſunt commenti. Apud eruditos autem, de Andrea, ejuſque itineribus, nihil ſolidi invenitur, & poſt ſcripturam, id tantum verius, obiiſſe Patris in Achaja, & inde corpus ſub Conſtantio Magni filio, Cpolim tranſlatum. In Scythia prædicaſſe, eamque Provinciam ei obveniſse, traditio erat tertii quartique ſeculi, quam teſtatur Euſebius Cæſarienſis, eruditus ſcriptor eorum temporum; & hoc verum. Tertullianus initiis tertii ſeculi teſtis eſt, jam innumeras barbarorum Regiones, Chriſti fidem penetraſse, interque eas, Sarmatas, Dacos, Scythas, Germanos, Scotos, alios, dum ſic arguit in Judæos cap. 7. *Chriſto enim, & aliæ gentes crediderunt; & Britannorum INACCESSA ROMANIS LOCA Chriſto verò ſubdita; & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & Provinciarum, & inſularum multarum nobis ignotarum, quas numerare minus poſſumus. In quibus omnibus locis, Chriſti nomen, qui jam venit, regnat; ut pote ante quem omnium Civitatum portæ ſunt apertæ, & cui, nullæ ſunt clauſæ: & in quibus omnibus locis, populus nominis Chriſti inhabitat.*

4. Inter inaceſſa Romanis loca, ſolos Britannos dicit, qui ſcilicet, ultra murum erant Severi Auguſti. Hi Scoti ſunt; olim ad Caledonios ſaltus; & ad hos quoque Romanis Aquilis inacceſſos, Chriſtus jam erat annunciatus, ſeneſcente ſecundo ſeculo. Lucius eorum Rex, teſte, qui Tertulliano ſuffragatur, Beda (in Anglorum hiſtoria) & Gilda ſapiente (in de Excidio Angliæ) miſerat Romam ad Eleutherium, Papam ſub Marco Aurelio; & cum ſuis aliquot eſt converſus. Et Eleutherius ſedit ab anno 177. ad 185. Sarmatas, Dacos, Germanos, Scythas non dicit inacceſsa Romanis loca: indicio evidenti velle ſe Sarmatas illos, Dacos, Germanos, Scythas, qui parte aliqua erant Provinciæ jam Imperii. Germaniam, ad alterum tandem Imperii Trajani conſulatum, urbis conditæ 850. Chriſti 108. devictam, Tacitus in ſua Germania fatetur: & tunc ſolum Imperii fines Cisrhenana, & Transrhenana paulo ultra, alteri ripæ oppoſita; in ſuperiorem & inferiorem diviſa Germaniam: Ripenſe Noricum, & utraque Pannonia. Dacos & Decebalum eorum Regem Trajanus idem devicit, biennio ante, Chriſti 106.; & facta diviſaque Provincia in Daciam mediterraneam & Ripen-

penſem. Scythæ qui & Getæ (Tartari Crimenſes hodie) jam tum ab Auguſto ſub Imperio; & Sarmatæ propriè dicti, fines Romani, qui pecunia magis quam metu continebantur. Tomis apud Getas Ovidius exſulavit (unde expertus dicebat, *Getico quid frigore pejus?*) eamque Mæſiæ inferioris (uti & Scupos ſuperioris) metropolim Scytharum Sozomenus dixit, libro 6. cap.21. etiam Eccleſiaſticam. Et id nomine Scythiæ, tum apud veteres audiiſſe, quum Scythiam loquebantur, compertum eſt. Eadem poſtea dicta Gotthia eſt: & hinc *Theotimus Epiſcopus Gotthiæ* habetur, qui Nicæno Primo interfuit & ſubſcripſit, anno 325. Id intellexit Tertullianus. Item Euſebius, quum de Andrea locutus eſt, (Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro 3.cap.1.) Τῶν δὲ ἱερῶν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν, ἀποςόλων τε ϗ μαθητῶν, ἐφ᾽ ἅπασαν κατασπαρέντων τὴν οἰκουμένην, Θωμᾶς μὲν, ὡς ἡ παράδοσις περιέχει, τὴν Παρθίαν εἴληχεν· Ἀνδρέας δὲ τὴν Σκυθίαν· Ἰωάννης τὴν Ἀσίαν, πρὸς οὓς ϗ διατρίψας, ἐν Ἐφέσῳ τελευτᾷ. Πέτρος δὲ ἐν Πόντῳ ϗ Γαλατίᾳ, ϗ Βιθυνίᾳ, Καππαδοκίᾳ τε ϗ Ἀσίᾳ κεκηρυχέναι τοῖς ἐν διασπορᾷ Ἰουδαίοις ἔοικεν. *Ex noſtri Servatoris Sanctis Apoſtolis & diſcipulis, qui per univerſum Orbem diſperſi ſunt, Thomas quidem, ut traditio perhibet, Parthiam ſortitus eſt; Andreas Scythiam; & Joannes Aſiam (apud quos commoratus, Epheſi diem obiit) Petrum verò per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, & Aſiam, Judæis qui in diſperſione erant, fuit congruum prædicaſſe.* Quod ex epiſtola ipſa Petri, & Euſebius, & alii (quod ad Petrum) deduxerunt.

5. Non arcte tamen ac preſſe ſumptos, velim hos limites & cancellos: etiam finitimis facilè quemquam eorum dixerim prædicaſſe. Scythas convertit Andreas; & hinc Euſebius (libro 3. vitæ Conſtantini cap.7.) inter eos Epiſcopos, qui ad Nicænum primum anno 325. venerunt. & *Scytham* numerat: Οὐδὲ Σκύθης ἀπελιμπάνετο τῆς χορείας: *Neque Scytha*, inquiens, *abfuit ab hoc choro*. Sed Scythiam ex Sozomeno, audiamus adhuc allato loco (ſed a græcis longiuſculis abſtinemus): *Scythas prædicant, ſimili de cauſa in fide* (Nicæna) *perſiſtere. Gens iſta multas quidem habet urbes, pagos, & caſtella, ſed principatum obtinet Tomis, quæ eſt urbs magna & opulenta prope mare poſita; ad lævam, quum quis ad Pontum Euxinum navigat.* Unum toti huic genti Epiſcopum ab Andrea impoſitum opus eſt. Quippe ſubdit Sozomenus: *Vetus conſuetudo eſt, quæ ibi etiam nunc ſervatur; ut unus Epiſcopus totius illius gentis Eccleſiis præſit.* Unum, Tomitanum Epiſcopum, vidimus Nicæno interfuiſſe. *Itaque tempore de quo loquimur* (Chriſti 377.) *illas adminiſtravit Bretannio, quando etiam Imperator Valens Tomin advenit. Poſtquam autem acceſſit ad Eccleſiam, & pro more ſuo, ei perſuadere conatus eſt, ut cum Arianis communicaret; Bretannio conſtanter admodum apud Imperatorem & liberè, pro doctrina Concilii Nicæni locutus, receſſit ab eo; & ad alteram Eccleſiam ſe contulit: quem populus quoque ſecutus eſt. * Idcircò mittitur in exſilium, & non multo poſt revocatur. Nam cum videret* (Imp.) *credo, Scythas Epiſcopi exſilium iniquo animo ferre, non parum veritus eſt, ne novis rebus ſtuderent: quos quidem & fortes eſſe, & ipſo locorum ſitu, IMPERIO ROMANO neceſſarios videbat: quippe qui IMPETUI BARBARORUM ILLAM ORBIS PARTEM INCOLENTIUM, propulſarent.* Reapſe primitias hujus Romanæ Scythiæ, Sanctos martyres Innam, Rinnam, & Pinnam, ut Sancti Andreæ Apoſtoli diſcipulos, Menologium Baſilii celebrat (ad diem 24. Januarii). Nempe quod adjutores hinc facti, Apoſtoli, cum multos ſuæ gentis barbaros, Chriſtum Dominum docuiſſent, & baptiſmo tinxiſſent; a ſuo Principe, quod ejurare Chriſtum nollent, brumali tempore, in flumine, ad collum uſque palis alligati, & gelu mox concreto, acerrimo frigore ſunt confecti. Sed in populis his magis ad boream verſis, paulum perſeveraſſe fidem, indicio Sanctus Niceta eſt, qui anno 396. a Beato Paulino Nolano amico, *primo* Romatianæ in Dacia nova *Epiſcopo*, ſub Metropoli Sardicenſi, *apoſtolus Getarum Scytharumque* celebratur: qui & Beſſis etiam & Riphæis dicitur prædicaſſe.

6. Byzantii Chriſti fidem jam diſſeminatam ſecundo ſeculo, vel illud indubiè, prodit, quod Præſes inter Chriſtianos, quos ibi pro Chriſto cruciat, Theodotum coriarium illum celebrem, civem & Chriſtianum, ad ejurandum Chriſtum

metu

metu inducit. Qui tum pudore victus, e patria Romam venit, ſe non ſuum Deum dictitans abnegaſſe, ſed Chriſtum hominem: & hæc cauſa, cur Victor Papa eum damnarit, & ejecerit ab Eccleſia. Haud ergo vera dixit, inter alios, Theophanes in Chronico, ad annum Chriſti 196. dum in laterculo habet: Βυζαντίου πρῶτος ἐπίσκοπος Μητροφάνης ἔτη ι. *Primus Byzantii Epiſcopus Metrophanes annis decem*. Nam Paſtorem longe antea dici datum, Byzantinæ eccleſiæ ſecundo ſeculo; Chriſtiani illi, & martyres ſub eodem perſecutore, quo Coriarius, teſtes ſunt locupletes; & æqualis Theophanis Nicephorus Patriarcha Cpolitanus, & martyr, qui in ſua Chronographia, a Stachy ad Metrophanem, Epiſcopos Byzantinos enumerat: Georgium amicum ſuum ſecutus, deceſſoriſque ſui in ſede Patriarchali Syncellum, in Chronico, quod ſcripſit octavo ſeculo. Sed Chryſoſtomus, & claſſici Patres Græci Latiniquæ inter laudes Andreæ, & Byzantinæ, ſeu Cpolitanæ Eccleſiæ; ab adventu & appulſu hujus Apoſtoli, prædicationeque fidei Byzantii aliquando factis (quæ maxima fuiſſet gloria) nihil mutiunt. Acta quæ habemus Andreæ apud Menologium Græcorum (edidit ea & Sauſſayus Græcolatine) habent huic Apoſtolo obtigiſſe, Bithyniam, Pontum Euxinum, partem Propontidis, Thraciam, Macedoniam, & reliqua uſque ad Iſtrum: Theſſaliam, Helladem, Achajæ partem: Alanos, Abaſgos, Zecchos, Boſporanos, & Cherſonitas: & prædicaſſe apud Aminſum, Trapezuntem, Heracleam, Amaſtrim: Sinopem, & Neocæſaream, & Samoſata, & Patras: ubi tandem in Peloponneſo paſſus ſit ſub *A. Egio Proconſule* (ita intrepretor *AEgeam* illum *Antipatrum*, pro *Anthypatum*, qui probe novi *EGIOS Marullos* Conſules, & Achajæ *Proconſulem* ſub Claudio *Gallionem*) dato Patris antea, Stratocle primo Epiſcopo: quod forſitan verum eſt. Menologium Baſilii, eum prædicaſſe, ait, in tota ora maritima Bithyniæ, Ponti, Thraciæ, & Scythiæ uſque ad Auguſtopolim magnam, inter fluvium Pſarum, & Phaſin: nempe ad extremam Colchiden in ora Mæotidis Paludis; ac martyrem tandem Patris. Nullum tamen apud hos verbum de Ruthenis, & prædicata apud eos ab Andrea, Evangelica Chriſti fide. Et veriſimile eſt piſcatorem, non niſi maria, & ſolam Propontidis, & Ponti Euxini oram maritimam, Boſphori Cimmerii, & Paludis Mæotidis perluſtraſſe. Hinc per Macedoniam (in qua teſtatur etiam Chryſoſtomus prædicaſſe) & per Ægæum, veniſſe in Peloponneſum. Cherſonam, nempe ad Tauricam Cherſoneſum, Apoſtolum veniſſe fortaſſe verum; ſed non deducendum ab Actis ſpuriis Sancti Clementis Papæ. Et notandum, quod Menologium Græcorum, Martii die quinta, ſub Diocletiano tandem adſtruit, *primos Regionarios Epiſcopos* Baſileum, Eugenium, Agathodorum, Elpidium *martyres*, ab Hermone Hieroſolymorum Antiſtite eò miſſos: tum a beato Macario, Sanctos Ætherium, & Capitonem. (1) Fruſtra ergo ſibi de Andrea Apoſtolo adblandiuntur Rutheni, & commento ſatis novitio, per ſua flumina & paludes, martyrem trahunt a mari Euxino ad Cronium & glaciale; ut inde per immenſa Terrarum & Oceani ſpatia, in mediterraneum, Romam, & Patras, referant. Belle namque omnia hæc narrantur. Sed ipſi quid nunc eſt Chiovia, & Ruthenum Imperium mirantur, non autem quid erant tempore Romani Imperii, & S. Andreæ. Sed illud palmare eſt argumentum, quod nemo, per ſecula prima quinque, ne quidem in Nicæna prima, Cpolitana, Epheſina, Chalcedonenſi, Generalibus Synodis, & deinceps; nemo inquam, ex Ruthenis Regionibus, Epiſcopus interfuiſse invenitur. Cum contra, ex Illyrico, utraque Mæſia, Dacia, Pannonia, Scythia, ſeu Gotthia leguntur interfuiſse. Duroſtori præterea in Myſia, martyres ſcimus Nicandrum & Marcianum, ſub perſecutione Ethnica, quarum ultima ſub Licinio: & *Wallachia* & Tranſilvania, Gotthia eſt Holſtenio; cui & Carolo a S. Paulo, *Zamirzegetuſa* metropolis ejus eſt. Theotimum Epiſcopum Gotthiæ, Nicæno primo, vidimus ſubſcripſiſse.

7. Interim non negaverim per Sar-

ma-

(1) *Urbs* Roſſus (*cujus Epiſcopi multi habentur; ut in Synodo Antiochena*) *pertinet ad* ſecundam Ciliciam, *non ad Getas. Ptolemæo dicitur eſſe in Syria.* Roſſiacam *eam dixit Hieronymus in Scriptoribus cap. 41.*

matas Jazygas & per Mæſios finitimos, ad Roxolanos, aliquando Chriſti fidem potuiſſe penetrare. Et ſat conſtat Alanos Vandalos, Gotthos, Hunnos, qui in Gallias, Hiſpanias, Italiam, Africam, e Scania, vagina Gentium, procurrerunt; mixtos conterminos habuiſſe, qui (dum præceps ruebat) Romanum Imperium contriverunt. Alanos certè (qui modò Lithuani) ipſis finitimos dicit Plinius (libro quarto cap. 12.) & inter hos Roxolani fortaſſe ſunt; ac ut illis, ita ipſis Chriſtus potuit illuxiſſe. Illi diu Ariana hæreſi laborarunt. Sed ſi quæ fides aliquando per Chioviam ad Ruthenos penetravit, ſatis tenues radices egiſſe dicenda eſt, atque reverſa denuo ad idola. Quandoquidem certum eſt, Roxolanos uſque ad nonum, & decimum ſeculum cultores fuiſſe Idolorum: quo tempore vel primum, vel iterum Chriſtus ipſis illuxit. Porrò cum Riphæos montes exſtare, ne dum veteres, novi omnes Geographi concedant; Authorem mirarer libri, *Anglorum navigatio ad Moſcovitas*, in quo tanquam de Commento, Riphæi, & *perpetua candentia nive Juga*, differuntur, (pagina 147.) ni quos malè ſugillat prius, hinc eos in Petzora Moſcoviæ Regione, malè ſui memor, (pag. 167.) recognoſceret exſtare. Sanctus Nicetas Dacorum, & Romatianæ primus Epiſcopus, & Apoſtolus, quarto quintoque ſeculo (qui ad Riphæos montes ſuo zelo perveniſſe, Nolano dicitur Paulino) Roxolanorum etiam apoſtolus aliquatenus eſſe potuit; ſi ab his finibus ad interiora, fides per converſos incolas penetravit. Tamen quia agreſtes adhuc erant & ferini; quid mirum, ſi rurſus ejurato Chriſto, (qui humanos & cicures facit & amat animos) ad mores priſtinos redierunt? Ut hæc autem incerta, & tantum veriſimilia; e re eſto, certa alia memorare. Croatæ in Illyrico, olim cum ſuis omnibus Chriſtiani, & iterum poſtea Ethnici; tandem iterum anno 630. convertuntur ad Chriſtum. Ita legimus Francos Orientales, in idolorum cultum, poſt Romanum exciſum Imperium, relapſos, denuo prædicantem Sanctum Chilianum audiviſſe, anno 687. a Papa Conone eò miſſum: martyrem hinc Herbipoli poſt biennium, cum Colmanno presbytero, & Thotmanno Diacono. Sed Croatæ iterum defecerunt, iterumque anno 867. ad Chriſti & Imperii fidem redeunt. Etiam Angli, anno 595. poſt invaſionem Angloſaxonum lapſi ſunt: & Friſii quoque, quibus rurſus fidem prædicat Willibrordus, anno 692. iterumque Willealdus anno 772. Sileo & mitto alios populos antea Chriſtianos; de quorum fide pridem, & lapſu, certiſſima documenta circumferuntur. Quod ad Ruthenos, ſolis agitur benignis præſumptionibus, & ruinoſis fundamentis. Nos autem ſolidis tantùm nitimur, & ſoli veritati litamus; & hiſtoriam eorum fidei, ſic ordimur.

Quò verè tempore fides Chriſti penetravit apud Ruthenos.

CAP. III.

1 UT fides Chriſti per Angliam, Belgium, Bataviam, & Germaniam, diverſis temporibus, variaque fortuna, invaluerit; nullus hic mihi ſermo: liceatque a Regionibus incipere, haud ita diſſitis a Ruthenis, in quos tandem oratio eſt redigenda. Sat notum Herulos, Hunnos, ad noſtram fidem acceſſiſſe anno 527. Bulgari (qui ſint diximus) a Bolga ſeu Volga flumine nuncupati, ſub Crumno ſuo Principe, anno 811. prælio fundunt, trucidantque Nicephorum Logothetam Imperatorem; iterumque, dolo Leonis Armeni, fuſo Michaële Rangaba anno 813. dum proditor regnat Armenus Leo, Hadrianopolim obſident, capiuntque. Hactenus autem erant Ethnici (olim Daci & Scythæ nomine, & Chriſtiani) quamobrem Crumnus Manuelem tunc Civitatis Epiſcopum, comprehenſum, brachio utroque mutilat, gladio diſſecat medium, feriſque, in odium Religionis, devorandum tradit. Cæcitate hominem idcirco Deus multat: ſui eum odio habent, reſte præfocant. Tzocus ſufficitur impio impiiſſimus; qui Chriſtianos militum Duces, presbyteros, diaconos, laicos, nolentes Chriſti ejurare fidem, variis cruciatibus tollit. Narrat hæc Menologium Baſilii, (die 22. Januarii, quo martyres hi coluntur). Interim Ebbo Archiepiſcopus Bremenſis ex authoritate ei facta, a Paſchale Primo, anno 823. Danis Evangelium prædicat; ut anno 830. S. Anſcharius Svecis; aſſumptoque ſubadjuva Gualberto, ſequenti anno 831. Nicolaus

Papa

Papa primus (quæ fuit ſemper Sedi Apoſtolicæ omnium ſollicitudo Eccleſiarum) Anſcharium anno 858. creat Legatum Apoſtolicum per Provincias Septentrionales, ut authoritate majori, converſioni incumberet populorum: Et Dani, Sveci que, finitimi ſunt Ruthenis. Sonus ergo fidei eminus cominuſque illic audiebatur, & Bulgari tandem illuminantur, anno Chriſti 866. Occaſio; ſoror Bagori, Regis tum Bulgarorum. Captiva hæc diu Cpoli; a Theodora Auguſta, anno octingenteſimo circiter quinquageſimo, fratri libera reſtituitur. Eaque in fide edocta, & Cpoli induta Chriſtum, cauſa fuit, ut Bagorus frater crederet, & ad eum baptiſmo luſtrandum, anno 861. S. Ignatius pergeret Patriarcha. Converſioni ejus autem multum profuit extremi judicii Tabula, quam S. Methodius Sancti Cyrilli frater (ambo Slavi ſeu Sclavi) pinxiſſe fertur. (1) Populi, dum eos ſuus pluries idem hortatur Princeps, tandem ab eo deficiunt; ſed domiti a Bagori filio Michaële, & ipſi quoque anno 866. omnes Chriſti amplectuntur fidem. Literæ adhuc exſtant Nicolai primi Papæ, (datæ menſe Auguſto, indictione decimaquarta) quibus Michaëli petenti, Legatos idcircò Apoſtolicos mittit, Paulum Populonienſem & Formoſum Portuenſem, magnæ Sanctitatis Epiſcopos: Ut verò ibi prædicent Chriſtum, Donatum Epiſcopum Oſtienſem, Leonemque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyterum Cardinalem; nec non & Marinum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ diaconum. Ubi autem Rex eos excipit, & alloquitur, mox flagitat a Pontifice, Formoſum vita & moribus Epiſcopum, Archiepiſcopum ſibi dari, & ut presbyteros alios ad ſe mittat. Nicolaus presbyteros miſit, & cum ipſis Legatos alios, Dominicum Trevenſem ſcilicet, & Grimoaldum Polimartienſem, Epiſcopos, deſtinavit; & quia ipſi Formoſo, plebem dimittere ſibi creditam, Epiſcopo non licebat;ut ex his presbyteris ad Archiepiſcopatum,qui dignus inveniretur in nomine Domini, tandem eligeretur, & Sedi conſecrandus Apoſtolicæ mitteretur ſuggeſſit. Iiſdem literis Formoſus & Dominicus juſſi ſunt,ut Cpolim pergerent, Photiano Schiſmati compeſcendo: Paulus verò & Grimoaldus, ut in Bulgaria, converſioni gentis Præſides remanerent. Donatus Oſtienſis Romam rediit; Formoſus adhuc in Bulgaria agebat anno 885.

2. Sed Rex Michaël eodem anno, quo ad Nicolaum direxit, ſcripſerat etiam ad Ludovicum Imperatorem, petens ab eo, ut Epiſcopum & prædicatores mitteret ſuis populis. Serò autem ab hoc Auguſto miſſos, Hermenricum & multos presbyteros, eſt credendum; ut qui Provinciam a Romanis nacti jam occupapatam, iterum in Germaniam (ut in Annalibus legitur Fuldenſibus) redierunt. Populonienſis Epiſcopus Paulus Romam rediit, ſub Hadriano Papa ſecundo; qui anno 868. Dominicum Trevenſem Epiſcopum, reducem Conſtantinopoli, & Grimoaldum Polimartienſem, voluit in Bulgaria remanere. Qui ſuis prædicationibus, & veritate Evangelica, Michaëlem Regem adeo commoverunt; ut Regno abdicato, monachuſque factus, ſuum primogenitum, Regem renunciarit. Sed filius degener, legem nedum ejurat Chriſti, eam quoque perſequitur. Propter hæc pater, depoſito tantiſper cucullo, reſumit ſceptra; capit; excæcat filium; & perpetuo carceri eum mancipans, ſecundò genitum, Regem creat, iterumque vitæ monaſticæ ſe reſtituit. Cur autem Bulgaria ſub Conſtantinopolitano hinc manſerit Patriarcha, & non ſub Romano Pontifice; & cur eis datus ſit Archiepiſcopus Theophylactus, a Sancto Ignatio Patriarcha, anno 870. videndi Papebrochius, Pagius, Binius, alii ad anno 870. & annum 880. & legendus, ſed non audiendus; ut pote facilis confutatu, Jacobus Lenfantius, in ſua Hiſtoria belli Huſſitici, & Concilii Baſileenſis, tomo primo.

3. Dum

(1) *Menologium Græcorum eadem die pro* Crumno, Crumum *habet, & hanc ſeriem habet Principum ſucceſſorum.* Crumno *ſuccedit* Ducumus; *huic mox* Ditzengus (*ita hic ille* Tzocus) *qui Manuelem occidit; qui cæcitate percuſſus, occiſuſque a ſuis, ſucceſſorem habet* Murtagonum, *a quo alii martyrio ſunt affecti. Ita ab aliis, κατὰ διαδοχὴν Βουλγαρικοῖς ἄρχουσι,* ſucceſſoribus Principibus Bulgarorum, multi alii Chriſtiani, *martyrio ſunt coronati. Sed fidendum magis Menologio Baſilii, antiquiori, ac proximiori temporibus paſſionum. In recentioribus Græcis, paſſim fabulæ craſſiores, & confuſio non ferenda. Pro* Crumno, *alii legunt* Cramnum: *& adhuc hæſito, num* Murtagonus, *ſit* Bagorus *Rex Bulgarorum per ea tempora, hinc Chriſtianus anno 861. cujus filius Rex Michaël Chriſtianus.*

3. Dum autem per Bulgariam hæc aguntur, finitima Moravia Chriſtum ſuſcipit. Slabi, ſive Slavi, & Illyrii fratres, S. Cyrillus philoſophus (antea in ſeculo Conſtantinus) & S. Methodius, ab anno 863. ad 867. ibi prædicant, favente eorum Principe Baſtilao, qui jam baptiſmum ſuſceperat. Tum Romam veniunt, & Methodius ab Hadriano ſecundo initiis anni 868. primus gentis Archiepiſcopus ordinatur: cum poteſtate, ut *per alia loca* Moraviæ, *in quibus Epiſcopi debent & poſſunt exiſtere, poſtmodum valeat ordinare.* Sed poſt tantos ſudores, vir ſanctiſſimus a clericis, monachiſque calumniam patitur, apud Joannem octavum, anno 880. & Romam iterum (quòd aliena lingua nempe a Slavica, doceat, ſacra peragat) cogitur repedare. Innocentia tamen mox patet, & abſolutus remittitur. Hæc conſtant ex ejus vita, & ex epiſtolis 194. 195. & 247.) Joannis octavi, ſcriptis *Tuventaro de Moravia*, *Methodio* ipſi *Archiepiſcopo Pannonienſis Eccleſiæ*, & *Sfentopulcro Comiti* Moraviæ. Joannes enim divina officia & liturgiam, lingua Illyrica Moravis & Methodio celebranda permiſit. A Cyrillo autem & Methodio, Rutheni (& Annales cum Cichovio) ſe Chriſto iterum magnam partem converſos dicunt; anno 863. vel 867. Vicinis Moraviæ ego credo, & poſt an. 870., dum Moraviæ Methodius erat jam Archiepiſcopus. Literas equidem Græco-slavas a Cyrillo, Methodioque, quod & fatentur; Rutheni habent: ſed hoc commune ipſis cum Bulgaris, Croatis, Walachis, Moldavis, Serbis, qui iiſdem literis & lingua utuntur, etſi a Cyrillo & Methodio non converſi. Annales Rutheni apud Heberſtenium, a Michaële tertio Theophili filio, Slavonicas literas Bulgaris datas dicunt. Ergo a Bulgaris ad alios, ad Ruthenos. Et ſanè mirandum ſit, Bojohemos, (ubi olim Boji, Marcomanni, Quadi populi), prædicationibus S. Methodii an. 894. una cum ſuo Principe Bortivojo, ſalutare lavacrum ſuſcepiſſe, ab antiquis tradi; de Ruthenis, non idem etiam, ſi ſit verum. Sive autem per Moraviam, ſive per Bulgariam, Chriſti fides in Ruthenos tum penetravit; indubie operâ S. Ignatii Patriarchæ, & ab anno 876. id geſtum eſt. Divina enim fretus miſericordia, Evangeliorum librum in ignem mittere, ut Rutheni petebant; ſi remaneret illæſus; in confirmationem fidei, injicere non renuit. Ita converſi ſunt: quod Ignatii vita narrat. Sed tenues, oportet, radices egit, quandoquidem iterum anno 924., fidem amplexi ſunt, ut Cedrenus habet, pariterque in ea nihil perſeverarunt. Immanibus populis, adhuc Chriſti jugum, non dulce & ſuave erat: & in hyperboreis nivibus, ignis Chriſti, veluti in cautibus frigeſcebat.

4. Fluctuabant ergo Ruthena ingenia, & miteſcere recuſabant; cum tertiò inſonuit eis Chriſtus anno 959. Initium mihi ab Abaris, qui Pannonii antiquitus; hinc Hunni, tum Hungari, & Græcis Turci ſunt nuncupati. Hos (qui a Bulgaris anno 896. cladem maximam acceperant, dum Noricum Ripenſe devaſtant) vicit Heinricus auceps, Germaniæ Rex, anno 922.: & tamen adhuc in Norico, anno 925. S. Viboradam virginem, martyrem effecerunt. Rejecti a Germania, irruunt in fines Imperii Græci, anno 930. Sed fit pax, & inter Chriſtianos diu verſati, eorum aliquot Chriſtum ſuſcipiunt, eodem anno 930. Cumque aliquando inter Ruthenos de Principatu contenderetur; a Varegis (1) tres fratres impetrant, ipſiſque imperium detulerunt. Ruricio Principatus obvenit Novogardiæ, qui in Ladoga Sedem fixit (2): Sinao Biela-Ozeræ, qui conſedit in albo lacu: Truvoro Pleſcovienſis, qui ſedit in oppido Svorzeco. Hi primi Ruſſorum Principes; & horum ingreſſus in Ruſſiam, juxta eorum Annales, incidit in annum 862. (3) Duobus ſine heredibus defunctis, Principatus omnes Ruricius ſuperſtes obtinuit; qui moriens filium Igorum, puerum, & Regnum ſub tutela propinqui Olegi reliquit. Tutor Imperii fines, devictis multis Provinciis promovit; arma in Thraciam quoque intulit, & auxiliares copias Bulgaris, qui Cpolim anno 923. obſidebant, præſtitit. Mortuo poſt triginta tres annos a ſuſcepta tutela Olego; Igorus ducta ex Pleſcovia uxore Olga (Elgam appellant alii) tandem incipit imperare. Infeſtus & ipſe Græcis parat Claſſem in ma-

(1) Wageriani, & Vagriani *aliis*, *hodie* Ingriani.
(2) Burickum, *hunc alii dicunt*.

(3) *Ab Orbe Condito* 6370.

mari Euxino, qua Heracleam & Nicomediam uſque, præter Boſphorum Thracium pervenit. Sed bis victus a Claſſe Conſtantini Porphyrogeniti, & Romani Lacapeni Auguſtorum, anno 940. & 941.; ingreditur iterum Boryſthenem, ſancit pacem. Poſt aliqua, a Malditto Dreulianorum Principe ex inſidiis occiſus, infantem reliquit Svatoslaum (1); & mater Olga interim Regno præeſt. Maldittus viduam expetit uxorem, Olgam; quæ ut ulciſcatur mariti manes, arte feminea, primùm Dreulianorum quinque millia occidit: hinc Chiovlam reverſa, & conſcripto exercitu, ductoque contra Dreulianos; acie vicit, & anno obſedit: ac tandem ſtratagemate, incendit caſtrum, obſeſſoſque capit, & trucidat. Hinc reliquis Dreulianorum oppidis occupatis, & domum reverſa (quibus prædicantibus ignoratur, indubie a Græcis) anno 955. Cpolim profecta, ſub Conſtantino Porphyrogenito & Romano filio Auguſtis, per manus Theophylacti Patriarchæ ſuſcepit fidem; mutatoque nomine Olgæ, Helena dicta eſt. Ea mox magnis a Coſtantino muneribus donata, Chioviam eſt regreſſa: dolens tantùm; Svatoslaum filium, ſecum ad Chriſtum adducere nequiviſſe. Sane conſtat, eodem tempore, itemque Cpoli cum Olga, Principem Hungarorum baptiſmo luſtratum eſſe.

5. Sacerdotes autem prorſus credendum eſt, Helenam e Conſtantinopoli, ſecum in Ruſſiam attuliſſe, cum ſibi, tum ut ſuis populis prædicarent: flagranſque zelo Chriſtianos viſendi & ſuos; anno 859. ad Othonem etiam Magnum Imp. ſcripſit, ut Epiſcopum & presbyteros, pro hac cauſa ad ſe mitteret. Libutium Otho, ex Monaſterio S. Albani, Adaldago Bremenſi Archiepiſcopo, Epiſcopum obtulit ordinandum: idque factum in Natali Domini anni 960. Sed Libutius dum parat iter, ſequenti anno, XV. Kal. Martii diem obit; & ex monachis Trevirenſibus S. Maximini, Sanctus Adalbertus aſſumitur ab Othone: ordinatuſque & ipſe Apoſtolus & Epiſcopus illius gentis, anno 962. ad Ruthenos venit. Nactus is homines præferoces, & nihil in his, propter quæ miſſus fuerat, proficiens; ubi fruſtra ſe fatigatum ſenſit, revertitur, nec periculis iter caruit. Quibuſdam enim ex ſuis, inter redeundum a barbaris, occiſis, magno vix ipſe labore evaſit. Fictè legatos ab Helena miſſos dicit Continuator Reginonis in Chronico ad annum 959.: arbitror contra ego, & ſuſpicionis nimiæ Germanos arguo. Quippe Helena prædicare Adalbertum in Ruſſia petiit, & eum reapſe ibi prædicaſſe, vel ipſi narrant. Barbari reſpuunt Verbum Dei, vel a Græcis, quos ſecum e Cpoli Regina neophyta ſecum duxerat: experiri voluit num his Latini proficerent: noluit ſuos imperio ad id compellere: pro Latinis legatos ad Othonem miſit: venit Adalbertus cum ſuis: ſed re irrita; quòd ſemen Chriſti in petras tum incidit, & in ſpinas. Helenam doluiſſe credendum eſt: & (minore filio ethnicoque) innovare quid noluiſſe, mulieri & Regno periculoſum.

6. Svatoslaus ubi adolevit, ſtrenuus ac promptus ad labores bellicos & pericula, pluries vicit Bulgaros, Sedemque Imperii Bulgaris ereptam, Pereslaviam fecit. Tunc mater Helena diem obit. Hinc haud ſemel fudit Græcos; dum Nicephorus Phoca Imp. aliis occupatus, feliciter anno 968. de Saracenis triumphabat. Victus contra a Zimiſca, anno 974., qui de Moſchis, Bulgaris, & Saracenis pariter triumphavit. Poſt multa, Svatoslaus ſub finem vitæ, proſpexit filiis, non Regno: *Hieropolco* Chiovia (2), Olego Dreulianos, *Bladimiro* (3) Novogardiam Magnam aſſignavit. Tum Cures Piezenigorum Princeps, ex inſidiis Svatoslaum interficit, cranioque ejus ad poculum, auro circumdatum, ſuum utitur. Facta hæc anno 975. Concubinæ filius erat Bladimirus. Novogardiæ namque quidam civis, Caluſcza dictus, filias duas habuit, Dobrinam & Maluſcam. Hæc in gynecio dum eſt Helenæ, a Svatoslao comprimitur, & gravida parit Bladimirum; eique Dobrina amita, Novogardenſium uſa precibus operaque, ut in diviſione Principatuum, Novogardia, nepoti, pater aſſignet, efficit.

7. Svatoslao e medio ſic ſublato, Svadoltus unus e primoribus Regni; quòd Lutam filium ſuum necârat Olegus, Hieropolcum in fratrem accendit, ut Regno pellat. Hieropolcus bellum reapſe fratri infert, ac profligat Dreulianos. Olegus

(1) *Aliter Iwatoslaus.* (2) *Aliis Gewpalchus.* (3) *Aliis Wolodimirus.*

gus fugiens, dum a ſuis oppido quodam excluditur, illudque oppugnat; ponte in flumen detruſus, cum ſuorum multis demergitur: & Bladimirus re cognita, relicta Novogardia, ultra mare, ad Varegos profugit. Hieropolcus hoc pacto totius Ruſſiæ Princeps ſolus evadit. Sed non is erat Bladimirus, qui metu abjectoque animo fratri cederet: comparandis auxiliis profugerat ad Varegos: a quibus facile copiis impetratis, mox Præfectum a fratre Novogardiæ expulit. Tum Varegum Rognuloddam Principem Peſcoviæ cum duobus filiis, (quòd nothus repulſam filiæ Rogmidæ, uxoris, a patre deſtinatæ potius Hieropolco, paſſus eſt) prælio cecidit: & Rogmida uxore ducta, Chioviam, in fratrem movit: ibi enim Hieropolcus impar copiis ſe occluſerat. Dum validam fruſtra urbem oppugnat; dolo uſus Bludi, primò a conſiliis Hieropolco; Chiovia, & hinc Rhode oppido validiſſimo potitur, quo perfugerat frater: ac tandem fame, & dolo item Bludi, etiam Hieropolco. Ex turri deſpiciens Bladimirus; venientem fratrem a duobus Varegis occidi proſpicit: & ne quid horrori deeſſet, quam monialem Græcam vi ſtupro primùm polluerat, poſtea uxorem duxerat Hieropolcus; Bladimirus ei etiam ſtuprum infert. Fratribus ſic ſublatis, unus Ruſſiæ Princeps remanet Bladimirus: firmatoque ſtatim imperio; per otium, luxuriæ, & idololatriæ penitus ſe immerſit. Ipſe namque inſtituiſſe dicitur, præter antiqua idola (*Cumaros* appellata) Chioviæ, & *Perunem* (1) capite argenteum, cætera lignum; & *Uſtadum*, & *Corſam*, & *Daſvam*, & *Stribam*, & *Simaërglam*, & *Macoſcum*, quibus aſſidue immolabat. Immanis luxuriæ teſtes, uxores plurimæ, & tercentæ Chioviæ concubinæ; totidem Bielgradi, ducentæque Roſtovi. Uxores, Rogmida, ex qua filios Iſoslavum ſuſcepit, Hieroslaum, Sevoldum, & duas feminas: Anonymæ aliæ: Græca, ex qua Svatopolcum; Bojohema, ex qua Iſaxlaum; Bojohema alia, ex qua Svatoslaum, & Stanislaum (2); Bulgara denique, ex qua Boriſum, & Glebum: quos dudum quidem martyres habent Rutheni, attamen poſt noſtras tabulas, & duodecimum ſeculum coli compertum eſt. Amoribus & ſuperſtitioni, ubi huc ventum eſt, amor gloriæ ex armis ſucceſſit. Indomitus Bladimirus, & bellicoſus juvenis, ac proferendi Principatus fines avidus; conſcribit exercitum in Græcos: quibus tum Baſilius & Conſtantinus fratres imperabant. Depopulatur eorum fines, & uſque ad Tauricam Cherſoneſum progreſſus, ipſe vi Cherſona potitur. Imperatores inter graviſſima bella alia, quibus Reſpublica involvebatur; ut commodius ſe ſe præparent, legatos ſpecie ſub tributo petendæ pacis mittunt, explorantque vires: & cum maximis copiis occurrunt. Rutheni Græcorum multitudine territi, ſed mox pro concione erecti a Bladimiro, congrediuntur; & ubi aliquando vario Marte pugnatum eſt, fuſis hoſtibus vincunt. Dumque tendunt recta Cpolim; qua precibus, qua tributo Bladimirus demulſus; non modò ab Urbis oppugnatione reſtitit, ſed & a finibus Thraciis recedens, domum reduxit ſuos.

Æra Chriſtianiſmi apud Ruthenos, eorumque finitimos.

CAP. IV.

1. PAce facta, accidit anno 987., ut Barda Phocas, nepos Nicephori Phocæ pridem Imperatoris, multis circumdatus legionibus, a Baſilio & Conſtantino deficeret; purpura & ipſe ſumpta. Et compeſcendo hoſti publico, vires tum Imperii affatim, nec promptæ, nec validæ præſto erant. Tunc ſuppetias vocatus Bladimirus, cum ſuis venit, & unitis viribus, Tyrannus a Græcis copiis, & Ruthenis oppreſſus eſt. Atque hinc origo converſionis ad Chriſtum. Bladimirus inter Chriſtianos milites poſitus, mores aſpexerat Chriſtianos: tunc averſionem priſtinam, etſi efferus, nobis minuit. Vidit ſacra: aſpexit innumera, quæ ſqualorem non redolebant ſuarum Provinciarum: aſpexit Auguſtam domum: & largiſſime munerati barbarum Cæſares diſmiſerunt: amicior nempe & cicuratior Bladimirus receſſit. Hic potentis & victricis effectus Gratiæ Dei, qui fortiter ſua-

(1) Perum Uslad *ſunt Neſteſuranojo.* Striba *abeſt.*
(2) *Sine feminis*, novem *filii. Neſteſuranojo ſunt* decem. *Viſelaus, vel, Viſolaus, hic decimus, qui obiit vivo patre.*

ſuaviterque diſponit omnia: & ab amore, in quo maxime lubricus erat ille, Bladimirum aggreditur. Paulum vox divina proſtravit; noſtrum item, in femina, quæ Adamum ſuum ad vitam duxit. Erat Baſilio & Conſtantino, ex patre Romano, & uxore Theophanone, ſoror Anna: Hujus pulcritudinem magis quam virtutes, tunc audiens miratuſque Bladimirus; eam ſenſim ardentiſſime deperit, & per legatos a fratribus uxorem petit;(oblata ultro redditione urbis Cherſonæ, ejuſque finium) obtinetque, ſi Chriſtum induat. Atque hîc tandem Gratia Dei hominem occupavit. Promiſit enim Chriſtiano lavacro ſe acceſſurum: extemplo Cherſona exceſſit: venientemque promiſſam, amatam Annam, cum magno Comitatu; etiam Sacerdotum, in finibus Ruthenis excepit. Baptizatus una cum filiis, & primoribus, ſecutis ejus exemplum, a Michaële, primo Metropolita (dato genti a Nicolao Chryſobergio Patriarcha) Baſilius appellatur; & Magnus *Cæſar* a Græcis Sacerdotibus & laicis, ut Imperatores mandaverant, ſalutatur. Quod nomen a Græcis datum, ab eo aſſumptum, modò Rutheni Principes ab anno 1500. tuentur; etſi Ruthenæ linguæ accommodatum, barbare *Cſar*, vel *Czar* durius proferatur. Annales gentis apud Herbeſtenium, facta hæc dicunt, anno ab Orbe condito 6496.; nobis anno ſalutis 988., inſequenti ſcilicet ad auxilia in Bardam lata: & melioris notæ Critici, cum Pagio idem ſentiunt. Hinc nuptiis celebratis, mox, gyneciis liberas pandit januas Bladimirus: tum Chioviam veniens cum uxore, totus diverſus ab illo, novam vitam & ſanctam vivere, & converſioni ſuorum per ſe ipſum (alterum Conſtantinum & Apoſtolum ſuæ gentis) & per Michaëlem, & Græcos Eccleſiaſticos ſedulò incumbit: Rem perarduam aggreſſus: mentes & corda hominum, eaque barbara ſuaſionibus, in religionis negotio permutare. Sed divinæ Gratiæ hæc facillima, cujus gloriam promovebat.

2. Octennium, dicunt Rutheni, in his inſudatum eſt, uſque ad 996. a Metropolita primo Chioviæ Michaële, curante Principe Bladimiro: tunc meſſem albam apparuiſſe & maturam. Quod ubi ſenſit Bladimirus, diem, horam edicit populo, qua omnes ad flumen baptizandos (Poſaniam, & Chioviam is præterfuit) ni hoſtes publici haberi velint, ſe ſiſtant. Idem per urbes reliquas ſui Imperii, ut fiat, jubet. Prima dies Auguſti hæc fuit; qua immenſa hominum multitudo omnis ætatis & ſexus, ex ripa fluminis per presbyteros Græcos, ultro citroque curſitantes, per *trinam aſperſionem* Chriſto regeneratur. Hinc in commemorationem beneficii inſtitutum, ut Rutheni omnes perpetuo annis ſingulis, ea die cum crucibus & ſupplicatione, & ſinguli ſuis in manu cereis, procedant ad flumen (vel aquam aliam, ſi a fluminibus abſint loca) & benedicant; primò poſt Sacerdotem, lumina in aqua illa extinguentes. Tum ubi in eamdem, ter crucem immerſit presbyter, matres pueros, hinc ſe ipſas (ut teſtis oculatus Olearii author eſt in itinere Moſcovitico anni 1654.) in aquam ter etiam immittentes, affatim lavant optimè. Aquam quiſque vaſculis domum refert. Quam commemorationem (vel hodieque continuatam) noſtræ Tabulæ referunt prima Auguſti. Additumque deinceps loco, Templum Boriſo & Glebo filiis Bladimiri (quos Davidem, Romanumque dicunt, nominibus ex baptiſmo) in Synaxario Bladimiri, traditur a Ruthenis. Poſt baptiſmum, pro concione ad populum Bladimirus, jubet per ſuum Imperium idola conteri omnia (& ipſe contrivit primus, ſuaque, & antiqua, Jovem, Martem, Junonem, Venerem, aliaque) & vero erigi Templa Deo: & reapſe ſuperbum Templum, Deiparæ Chioviæ ipſe erigit, Cathedralem Metropolitæ. Tunc celebrioribus Urbibus Epiſcopi, juxta conſtituta Patriarchæ Chryſobergii, ſunt impoſiti: etſi (quòd Novogardia patria Maluſcæ matris & Bladimiri erat) Archiepiſcopus hujus urbis ſolo titulo & honore, cæteris juſſus eſt antecelleret: omnes alii ſubderentur Metropolitæ: ut Metropolita immediate daretur, & penderet vel in minimis, a Conſtantinopoleos pro tempore Patriarchis. Hinc veſtes, ſacra, Officia; omnia ad Græcum ritum, & Ruthenico charactere: quod corruptum Græcum, Slavonicum dixi a Slavis.

3. Per idem tempus fides Chriſti in finitimas etiam Provincias penetravit. Diſcipulus S. Romualdi Bonifacius, deſi-

derio

derio martyrii æſtuabat; & exemplum S. Adalberti Epiſcopi Pragenſis, nuper martyrium paſſi in Pruſſia, maxime urgebat hominem. Venit idcirco Romam, anno 996. impetrat a Romano Pontifice, miſſionem in Pruſſiam, & fit Archiepiſcopus Regionarius. Is apoſtolus per medium ardentem ignem a Rege barbaro adactus, in fidei teſtimonium ſoſpes tranſit. Rem narrat Ditmarus rebus æqualis (libro I.) tum Regem illum converſum Chriſto: Frater junior ad fidem fruſtra pluries invitatus; blaſphemus, a Rege fratre damnatur capitis. Hinc a fratrum minimo, cauſato mortis germani cauſam Bonifacium, Bonifacius crudeliter eſt occiſus, anno 1008. Hæc Ruſſia Papebrochio (19. Junii in S.Bonifacio) Livonia vel Samogitia eſt: aliis alba Ruſſia, qui non verentur Regem illum, dicere Magnum Cæſarem Bladimirum. Quem refellere errorem, facile. Nec enim fratres anno 997. alios habebat Bladimirus, multo minus occidit eorum quemquam: & ſeptennium erat jam Chriſtianus, ſuoſque omnes anno ante, effecerat Chriſtianos. Quamquam autem Livonia & Samogitia finitima ſint Ruthenis; Ruſſi Bonifacii, Lithuania mihi ſunt; quæ rubra & nigra Ruſſia illa, nonnihil per Bonifacii martyrium, & Regis curam, induit Chriſti candidam. Sed tandem decimoquarto ſeculo (an. 1386.& 1387.) per Ducem, ſeu Regem ſuum Jagellonem, Chriſto Domino acceſſit tota, eique firmiter credit hactenus. Jagello Cracoviæ baptizatus, dictuſque Ladislaus, Poloniæ Regno, Ducatum Lithuaniæ, Livoniæ, & alios perpetuo univit: ducta uxore, unica & herede defuncti Poloniæ, & Hungariæ Regis filia. Sane tunc Vilnæ Epiſcopatum conſtituit, Metropolim Lithuaniæ. Sanctus Bruno diſcipulus Bonifacii, eum imitatus; a Pruſſis quibus prædicat, martyrium item, cum decem & octo ſociis paſſus eſt, aliquantulo poſt magiſtrum. (Bollandus die 14. Februarii).

4. Erant autem hæc, tempora, quibus univerſus etiam circumquaque Septentrio Deo vero converteretur. Dani prædicante eis Sancto Unnone Archiepiſcopo Hamburgenſi, anno 930., ex parte Chriſto Domino acceſſerunt. Micislaus Dux Poloniæ, anno 965. fit Chriſtianus, & Johannes Papa XIII. Ægidium Epiſcopum Tuſculanum, mittit eò legatum ſuum, ut res Eccleſiaſticas componeret in Polonia. Sileſia quoque converſa eſt, & anno ſequenti, primum Epiſcopum, Romanum civem, habuit Gotthifredum. Tum Joannes Evangeliſtas dirigit etiam in Vandaliam: qui converſi; anno 1012. a fide, & a Ducibus Saxoniæ ſuis Dominis deficiunt. Anno 973. Heroldus Rex Daniæ cum ſuis omnibus fidem Chriſti ſuſcepit: ad miraculum clerici Popponis, qui coram omnibus diu fervens manu ferrum illæſus tenuit. Sed mortuo tandem Heroldo anno 980. perſecutio uſque ad an. 993. duravit; quo Rex Sveno fit Chriſtianus. Tunc & Rutheni, ut viſum eſt, jugum ſuave Chriſti ſuo collo etiam induxerunt.

5. Sed mortem tandem obiit Anna uxor, poſt 23. annos a nuptiis, anno 1010. ut Rutheni habent Annales apud Heberſtenium: eamque Græcam illam uxorem puto, ex qua ſolum ſuſcepit filium Svatopolcum. Forte autem nondum Senex erat admodum Bladimirus, qui poſt Annæ fata & luctum, duxit uxorem alteram (quam allatus author, primam, ni fallor, Boiohemam voluit) Boleslai Ducis Poloniæ nempe filiam. Adduxitque eam ad virum, Reimbertus Epiſcopus in Pomerania Colbergenſis. Qui anno 1008. legatus ſui Ducis, primò in Moſcoviam venit; eaque occaſione, quaſdam idololatriæ reliquias (per pagos & compita puto) inde evellere ſategit. Tandem poſt hæc, fatis ceſſit etiam Bladimirus. Anno enim ab Orbe condito 6523., Chriſti 1014., quarto poſt Annæ obitum (ut idem habet Heberſtenius,) Princeps Apoſtolicus eſt defunctus, die decima quinta Julii: qua die jam diu a Ruthenis (poſt utique noſtras Tabulas) colitur tanquam Pater Patriæ, & de ſua gente benemerentiſſimus. An autem imitandum in omnibus Conſtantinum ſibi propoſuerit Bladimirus, ignoro; & an audierit Conſtantini donationem; quæ ejus ſeculo eſt conficta. Sedem Imperii novam condidit ſuo nomine Vladimiram; ſicut Conſtantinus a ſuo Cpolim: in qua ſedit relicta Chiovia, ut eccleſiaſtici imperii ſedem daret Metropolitis. Munifico Principi, & notho, æque ac magnus ille, (quocum *Iſapoſtolus* canitur a Ruthenis) unum defuiſſe videtur, ut *Conſtantinus* etiam diceretur. Sed fratrum Imperatorum, Baſilius

Con-

Conſtantino erat major,& ſuprema omnia imperabat,ejuſque honori velificatum. Sane pro Conſtitutione falſa Conſtantini, veram Sanctionem Bladimiri, qua decimis & foro Eccleſiaſtico monitus proſpexit, ex vetuſto Rutheno manuſcripto (qui Cerimoniali noſtro reſpondet) dabimus ſuo loco. Uti & aliam filii Jaroslai;& aliam decimi quarti ſeculi, Demetrii magni Cæſaris, qua eadem confirmavit. Corpus Bladimiri Senatus Populuſque Roxolanus mærentiſſimi in Templum Sanctiſſimæ Deiparæ, quod ipſe erexerat, magnifice extulerunt. Atque ab eo, & ex eo tempore conſtantiſſime Moſcovia tenet Chriſtum.

6. Mortuo Magno Cæſare Baſilio, ſeu Bladimiro, diſſidentes inter ſe filii (Conſtantini Magni filios cernere mihi videor) de Principatu, nequitia potentior infirmiores oppreſſit. Svatopolcus, qui patris ſolium, Chioviam (dum extrema agebat; occupaverat) fratres Boriſum, & Glebum, per ſicarios ſejunctim tollit. Illum die 24. Septembris anni 1115., hunc die quinta ejuſdem menſis, anni 1116. Boriſum pater in ſuo ſolio deſtinaverat ſucceſſorem: Svatopolcus jure primogeniti, ex Chriſtiana, & ex Imperatoribus Orientis, per ſcelera & parricidia (Viſolaus enim vivente patre, vitam objerat) viam ſibi ad Principatum aperuit. Sed horum cæde, reliqui fratres octo (decem enim filios habuit Bladimirus, duas femellas) quos & perdere volvebat animo, ſibi quiſque ab eo cavens, & fidens nemini; mutuis proditionibus, inſidiiſque, & ſimultatibus; inteſtino bello, de Principatu tandiu certavêre; donec Jaroslaus frater, profligato oppreſſoque Svatopolco, Chioviæ Principatum ſuſcepit. Hieroslaus enim filio Iſaslao, (1) thronum poſt 40. annos moriens reliquit: ſed eum armis diutinis, inde Sevoldi filius Bladimirus ſecundus, cognomento Monomachus appellatus, deturbavit. Acta hæc poſt annum ſalutis 1074. Moritur alter hic Bladimirus anno ab O.C.6633., Chriſti anno 1125.,ut ex Ruthenis Annalibus, tradit Herbeſtenius.

7. Sane monachos ſub Jaroslao Bladimiri primi filio, Antonius, primus in Ruſſiam invexit, anno circiter 1020., juxta Inſtituta Baſilianorum in Monte Atho: in quo vir Lubecenſis, vitam monaſticam orſus eſt: & hic colitur tamquam Sanctus. (2)

8. Sed non hîc noſtrum eſt, ſucceſſiones & bella Ruthenorum Principum; varias ejus Imperii, in pluras Provincias diſfracti, vices ſcribere: nec ut Tartaris tributarii ab anno 1137. uſque ad 1500., ad ſervitium uſque dejecti, modò ad eam amplitudinem potentiſſimi Principatus, Magni Cæſares Moſcoviæ evecti ſint. Aliorum hæc eſt jam gloria: nos de Ruthena Eccleſia pertractamus. Cujus ubi fidei primordia diſſeruimus; modò e re ducimus, brevi manu Latinis auribus inferre, Metropolitarum ſeriem Chiovienſium, & alia, ad hanc diem: quæ latiùs juſto opere P. Ignatius Culcinius, e Baſiliana familia, e Ruthenis ſuis, Poloniſque Authoribus digerere promittit. (3) Primoque loco id meminiſſe juvabit, Chioviam eſſe metropolim Vcrainæ civilem, & pertinere ad Coſaccos; qui erepti Polono poſt annum 1637. obediunt Moſcho. Inſuper ſub Nicolao Chryſobergio Patriarcha Cpolis, (quo tempore etiam Baronio fatente, Cpolitanam inter Eccleſiam & Romanam perfectiſſima erat unio) miſſum, ordinatumque Ruthenis, Michaëlem primum Metropolitam; & baptiſmo Bladimirum & Ruthenos omnes eſſe luſtratos. Nicolaus autem Patriarcha ſedit ab anno 983., ad annum 996. Tum de ſchiſmate diſſerere oportebit, quove tempore Moſcovitæ, Ruthenique albi a Sancta Rom. Eccleſia diſceſſere. Rutheni namque rubri, ſeu nigri, (Lithuani ſcilicet) jam tum a Clemente VIII., hactenus in ſancta unione, annexi Polono imperio, permanſerunt. Ac tandem qui ſint Chioviæ Epiſcopi ſuffraganei.

INDI-

(1) *Alias* Zaslao.

(2) *Nos in fine operis dabimus ejus vitam.*

(3) *Obiit vir optimus, poſt reditum in Voliniam: nec forte ſtetit promiſſis.*

INDICULUS METROPOLITARUM CHIOVIENSIUM.

CAP. V.

I.	*Michaël I. Græcus ſedit*	*Ab*	*Anno* 988.	*ad* 1019.
II.	*Leontius Græcus*	*Ab*	*An.* 1020.	*ad* 1037.
III.	*Theopemptus Græcus*	*Ab*	*An.* 1038.	*ad* 1050.
IV.	*Hilarion Ruthenus*	*Ab*	*An.* 1051.	*ad* 1067.
V.	*Georgius I. Græcus*	*Ab*	*An.* 1068.	*ad* 1079.
VI.	*Joannes I. Græcus*	*Ab*	*An.* 1080.	*ad* 1091.
VII.	*Joannes II. Græcus*	*Ab*	*An.* 1091.	*ad* 1091.
VIII.	*Ephræm Græcus*	*Ab*	*An.* 1092.	*ad* 1101.
IX.	*Nicolaus Græcus*	*Ab*	*An.* 1102.	*ad* 1103.
X.	*Nicephorus I. Græcus*	*Ab*	*An.* 1104.	*ad* 1126.
XI.	*Nicetas Græcus*	*Ab*	*An.* 1126.	*ad* 1126.
XII.	*Michaël II. Græcus*	*Ab*	*An.* 1127.	*ad* 1145.
XIII.	*Clemens Ruthenus*	*Ab*	*An.* 1146.	*ad* 1159.
XIV.	*Conſtantinus Græcus*	*Ab*	*An.* 1160.	*ad* 1169.
XV.	*Theodorus Græcus*	*Ab*	*An.* 1170.	*ad* 1175.
XVI.	*Joannes III. Græcus*	*Ab*	*An.* 1176.	*ad* 1184.
XVII.	*Nicephorus II. Græcus*	*Ab*	*An.* 1185.	*ad* 1185.
XVIII.	*Matthæus Græcus*	*Ab*	*An.* 1185.	*ad* 1224.
XIX.	*Cyrillus I. Ruthenus*	*Ab*	*An.* 1225.	*ad* 1236.
XX.	*Joſephus I. Græcus*	*Ab*	*An.* 1237.	*ad* 1249.
XXI.	*Cyrillus II. Ruthenus*	*Ab*	*An.* 1250.	*ad* 1282.
XXII.	*Maximus Græcus*	*Ab*	*An.* 1283.	*ad* 1306.
XXIII.	*Petrus Ruthenus*	*Ab*	*An.* 1307.	*ad* 1325.
XXIV.	*Theognoſtus*	*Ab*	*An.* 1326.	*ad* 1363.
XXV.	*Alexius Ruthenus*	*Ab*	*An.* 1364.	*ad* 1372.
XXVI.	*Cyprianus I.*	*Ab*	*An.* 1372.	*ad* 1407.
XXVII.	*Photius Græcus*	*Ab*	*An.* 1407.	*ad* 1415.
XXVIII.	*Gregorius I. Bulgarus*	*Ab*	*An.* 1415.	*ad* 1436.
XXIX.	*Iſidorus Theſſalonicenſis* (1)	*Ab*	*An.* 1437.	*ad* 1443.
XXX.	*Gregorius II. Græcus*	*Ab*	*An.* 1443.	*ad* 1473.
XXXI.	*Miſaël Ruthenus*	*Ab*	*An.* 1473.	*ad* 1482.
XXXII.	*Jonas I. Ruthenus*	*Ab*	*An.* 1482.	*ad* 1490.
XXXIII.	*Macarius I. Lithuanus*	*Ab*	*An.* 1390.	*ad* 1497.
XXXIV.	*Joſephus II. Lithuanus*	*Ab*	*An.* 1497.	*ad* 1516.
XXXV.	*Jonas II. Moſchus*	*Ab*	*An.* 1516.	*ad* 1526.
XXXVI.	*Joſephus III. Lituanus*	*Ab*	*An.* 1526.	*ad* 1538.
XXXVII.	*Macarius II.*	*Ab*	*An.* 1538.	*ad* 1556.
XXXVIII.	*Silveſter Lithuanus*	*Ab*	*An.* 1556.	*ad* 1568.
XXXIX.	*Jonas III. Lithuanus*	*Ab*	*An.* 1568.	*ad* 1577.
XL.	*Helias*	*Ab*	*An.* 1577.	*ad* 1578.
XLI.	*Oneſiphorus*	*Ab*	*An.* 1578.	*ad* 1588.
XLII.	*Michaël III. Polonus*	*Ab*	*An.* 1588.	*ad* 1599.
XLIII.	*Hypatius*	*Ab*	*An.* 1599.	*ad* 1613.
XLIV.	*Joſephus IV.*	*Ab*	*An.* 1614.	*ad* 1635.
XLV.	*Raphaël*	*Ab*	*An.* 1635.	*ad* 1640.

XLVI. *An-*

(1) *Hic anno* 1439. *interfuit Concilio Florentino, & ab Eugenio Quarto creatus eſt Cardinalis. Sed ubi in patriam rediit; ſuis bonis, & Sede, a Schiſmaticis ſpoliatus; vix Romam fugit. Tum a Nicolao V. Cpolim legatus ad Conſtantinum Imp., poſtquam anno* 1453. *a Turcis hæc urbs capta fuit, ipſe quæſitus ad necem, incognitus fugiens, in ſervitutem incidit. E qua parvo pretioſe redimens, Romam rediit; tribuſque Epiſcopatibus ſucceſſive decoratus; anno tandem* 1463. *obiit: ut Æneas Sylvius narrat in Europa pag.* 247. *Vide Lenfant t.* 2. *Concilii Baſileenſis pag.* 226.

XLVI.	*Antonius Lithuanus* (1)	*Ab An.* 1640. *ad* 1656.
XLVII.	*Gabriel Lithuanus*	*Ab An.* 1661. *ad* 1674.
XLVIII.	*Cyprianus II. Polonus*	*Ab An.* 1674. *ad* 1693.
XLIX.	*Leo Volinienſis*	*Ab An.* 1693. *ad* 1708.
L.	*Georgius II.*	*Ab An.* 1708. *ad* 1713.
LI.	*Leo II.*	*Ab An.* 1713. *ad* 1728.
LII.	*Athanaſius*	*Ab An.* 1729. *Vivebat adhuc an.*1733.

1. ERat animus omnes recenſere,a quibus ſinguli fuerint ordinati : veluti Michaëlem I. ordinatum , miſſum a Nicolao Chryſobergio Patriarcha Cpolis ; Leontium ab Euſtathio Patriarcha ; Theopemptum ab Alexio Patriarcha,&c., ſed longum hoc nimis ; & ſufficiat hinc meminiſſe , quo tempore non fuerunt ordinati a Patriarchis Cpolis .

2. Clemens Ruthenus, ob ſchiſma Manuelis Comneni , & Eccleſiæ Græcæ contra Latinos , electus & conſecratus eſt Chioviæ a ſua Synodo, juſſu Iſaslai Principis Ruſſiæ : Epiſcopi fuere, Honuphrius Sernigovienſis , Theodorus Bialogrodenſis , Euthymius Pereslavienſis , Damianus Jurevienſis,Theodorus Vladimirenſis, Niphon Novogrodenſis,Emmanuel Smoleſcenſis : quorum , reſtitit ſolus Niphon.

3. Sub Photio bivium , & duo Metropolitæ . Alter enim Photius , (Patriarcha Photio nomine & rebus dignus) ; Moſcuam occupavit, & ab eo ducunt originem Moſcuæ Metropolitæ . In ipſum poſt aliquot annos mittitur e Cpoli Chioviam Geraſimus a Patriarcha, Metropolita ; qui anno 1433. Vitebſci igne crematus eſt . Schiſmaticus ille , criminis & parricidii Photius inſimulatur,qui in Geraſimum , & Gregorium primum ſedit .

4. Jonas , ei ſucceſſit in Iſidorum, (qui anno 1440. Sede dejectus eſt) & Gregorium II. : Philippus , ſucceſſit Jonæ , in eundem Gregorium,& Miſaëlem;& Jonæ, Simeon qui anno 1478.fuit Moſcuæ Antimetropolita, & coronavit Demetrium anno 1497.

5. Porrò Simeon, (qui fruſtra per aliquos inſeritur inter unitos Eccleſiæ) ſedit in Metropolitas Chioviæ Miſaëlem, & Jonam I. Ruthenum , Macarium Lithuanum, & Joſephum Secundum; eique ſucceſſit Bartholomæus an.1497. , (ſub Maximiliano I. Imp.) & huic depoſito , Daniel. Herbeſtenius pag.20. illum Sanctæ vitæ , hunc hypocritam dicit .

6. Ne autem quid videar diſſimulare : qui poſt Jonam Schiſmaticum Philippus , ſedit , is Joannem filium Baſilii , *Neronem* Moſcoviæ , ſæpe monendo ; carceri, exſilio , tandem in vinculis eſt occiſus : juxta Olearium , qui de ſuppoſitis ejus miraculis & martyrio verba facit .

7. Oneſiphorus Metropolita Chiovienſis , ex neſcio quibus cauſis , ab Hieremia Patriarcha Cpolis , per Ruſſias curſitante, ad corradendum aurum (quo Metrophanem a Patriarchatu extruderet)eſt depoſitus anno 1588.. Quo tempore inſtitutus eſt etiam Patriarchatus : & triceps monſtrum Ruſſiam occupavit ; unum Moſcuæ, duo Chioviæ . Nam contra Michaëlem Polonum , a Patriarcha Cpolis Hieremia ; Nicephorus Pſeudometropolita , in Chioviam miſſus fuit , qui ſedit etiam in Hypatium .

8. Jobus Antimetropolita , ſedit in Joſephum quartum , & Raphaëlem; & contra eundem Petrus ejus ſucceſſor . Ita Chioviam Schiſmatici incubarunt Schiſmaticorum : alibi autem ſchiſmatici tantum cum ſuo Metropolita , conſederunt ; ſed locum neſcio .

9. Contra Antonium Silveſter Coſsovius anno 1650.Antimetropolita Chioviæ ſtetit ; & tunc etiam Patriarcha fuit Moſcoviæ Joſephus , uſque ad annum 1655. Primus enim Patriarcha fuit Job , ab anno 1588. uſque ad 1605. quo depoſitus , clauſtrum repetiit . Secundus , Ignatius (quem *Romanæ fidei* dicunt Rutheni Annales) uſque ad an.1612. , quo detruſus eſt in Monaſterium S. Michaëlis Moſcuæ,a Baſilio Suiſcho, ſucceſſore Demetrii dilaniati . Tertius Hermogenes Caſanenſis Metropolita (quod Jobus thronum rurſus aſcendere abnuerat)qui poſt octennium a furibunda plebe in cavea , fame ene-

(1) *Vide iter in Moſcoviam Auguſtini de Mayerberg Legati Leopoldi Cæſaris (pag.26.) an.1661. ubi de Hieremia Patriarcha , & de Patriarchis omnibus Moſcuæ , ad ſua tempora . Exſcripſimus ; & inveniuntur in Commentarii noſtri fine .*

eneſtus eſt. Huic quartus ſucceſſit Philaretus, Metropolita Roſtovienſis, uſque ad anno 1633.: quintus Joaſaphus uſque ad an.1646.: ſextus Joſephus uſque ad 1655.:ſeptimus Nicon,uſq.ad 1667.(1) Octavum, & nonum ignoramus: decimus & ultimus fuit Hadrianus, qui ſedebat anno 1690., & obiit anno 1702. Tunc enim Petrus I. Alexii Filius, cognomento *Magnus*, Ruſſiæ Cæſar; Patriarchatum hunc abolevit, & adminiſtratores (dato ipſis nomine *Synodi*) creavit Patriarchatus. Tandem, ne quid ſileam neceſſarium; contra Gabrielem Calliſtus Schiſmaticus Chioviæ perſonavit. Multa alia tute videris, in Commentariis Joannis Neſteſuranoi; quæ poſt quam hæc noſtra ſcripſimus; Gallicè, & Italicè prodierunt. His præjactis, e re eſto dare notitiam Epiſcopatuum Moſcoviæ, & Ruſſiæ.

Notitia Epiſcopatuum Moſcoviæ & Ruſſiæ.

CAP. VI.

1. UBi de Metropolitis Chioviæ, & de triplici capite,quod ſciſſio peperit, & aſſumpſit, dictum eſt; de Epiſcopatibus ſub iis, modò cum Moſco diviſis, dicendum ducimus; utpote de Eccleſia in Imperio Moſcovitico: quod prius ab ejus amplitudine debet conſiderari. Ampliſſimum hoc Imperium, præter Provinciam, Ducatumque Moſcoviæ proprium, in qua Metropolis Moſcua, ſedes Cæſarum, & Patriarcharum atque Metropolitarum; complectitur Provincias 23. & Regiones decem. Provinciæ, Vladimiria, Novogardia minor, Reſania, Vorotinia, Severia, Smolenſcus, Bielſechia, Reſcovia, Tueria, Pleſcovia, Novogardia major, Duina, Uſtiuſa, Vologda, Bieleziora, Jaroslavia, Roſtovia, Suſdalla, Sibiora, Ingria (unde *Hungari*, *Hunni* antea,poſtmodum *Turcæ*, qui primò ad paludem Mæotiden, hinc in Pannoniam conceſſerunt) Ucraina, in qua Chiovia; Caſania, & Aſtracania. Regiones, Vosla, Viacca, Permia, Pezora, Obdoria, Condora, Luceoria, Loppia, Populi Ceremiſſi, (Tartari ſcilicet Crimæi) & Mordua. Tot regiones & populos hoc Imperium continet; & tamen ad nutum minimum, ſuus illud Princeps moderatur.

2. Moſcovia, vel Moſcua, quæ Patriarchalis eſt (etſi Patriarchatus ſit abolitus) quatuor ſub ſe habet Metropoles; Novogardiam magnam, Caſanum, Roſtoviam, Sarchiam: Archiepiſcopos novem; Vologdæ, Smolenſci, Reſaniæ, Suſdaliæ, Tucriæ, Aſtracaniæ, Severiæ, Pleſcoviæ, & (quæ urbs recentior eſt) Archangeli. Sub his Epiſcopales ſunt, Viacca, Columna,Roſcivia,Otifera,Volotia, Frotina,Permia, Sernigovia, Jaroslavia,Condoria,Novogardia minor:numero omnes undecim: qui *Vladicæ* lingua ſua dicuntur, & rotunda utuntur mitra; præter Novogorodienſem, qui noſtra Latina utitur. Horum nemo ad dignitatem iſtam aſcendit, niſi prius diu vitam monaſticam laudabiliter ſit profeſſus: quæ per utramque Ruſſiam, albam, & nigram, eſt ſola Baſiliana. Sanctus enim Antonius prior eam ex monte Atho, ſub Baſilii Vladimiri I. filio Jaroslao, in Moſcoviam, ut diximus,invexit. Et mos datus a Græca Eccleſia; quæ ſeculares presbyteros, ibi indoctos fere ſemper, & mercatores, & plerumque uxore, aut filiis circumdatos gravatoſque; ad Epiſcopatum nunquam admittit. Hinc nemo Epiſcoporum carnes edit, quia Græci Ruthenique monachi, perpetuo carne abſtinent: & permiſſum tantum Epiſcopis, carnes apponere convivis ſuis, laicis vel presbyteris ſecularibus: quod Abbatibus & Prioribus eſt prohibitum.

3. Protoarchimandrita, ſeu Abbas Generalis Familiæ S. Baſilii Magni, multos ſub ſe habet Archimandritas: hi Hegumenos, ſeu Abbates, ſub ſe ultra quinquaginta; ſub quibus monachi innumeri, & clauſtra etiam Monialium. In Clero ſeculari plurimi ſunt Protopapæ, ſeu Archipresbyteri, & ſub his infiniti Papæ, ſeu presbyteri, maximam partem indocti, viles, & vitioſi.

4. Patriarcha eligebatur a Metropolitis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Clero; & a Magno Cæſare, Paſtoralis baculi traditione confirmabatur. Tantaque ejus erat authoritas; ut alter veluti Princeps, etiam in Politicis, hæc quandoque reformaret, ſi moribus, aut fidei abhor-

(1) *Vide Iter Moſc. Auguſtini de Mayerberg. Nos hæc noſtra abſolvimus Romæ, anno* 1733. *VII. Kal. Junii.*

rentia exiſtimaret: nec ab ullo deponi poterat, niſi a Patriarcha Cpolitano, aut Antiocheno. Modò poſtquam, ut diximus Magnus Cæſar Petrus I. Alexii filius Patriarchatum (ob rationes politicas) abolevit; pro Patriarcha ſtat, ex ejus inſtitutione; Senatus ſacer plurium Archiepiſcoporum, qui, pro lubito Principis, referunt ejus vices. Cæterum omnes Rutheni albi, ſchiſmate ſunt infecti: omnes errores Græcorum retinent, & tuentur. Etquamquam Romanum Pontificem, Primum Patriarcharum fateantur; haud tamen eum Univerſæ Eccleſiæ caput ſentiunt; ut quem cum tota Latina Eccleſia, in hæreſes dicunt lapſum. Ipſum idcirco, noſque omnes abominantur; & ut hæreticos & ſchiſmaticos differunt, ſicut Græci (1).

5. In Ruſſia nigra (quæ & Lithuania) ſeptem Provinciæ, & in ſingulis plures Epiſcopatus. Polocia (quacum unita Vitebſca, Micislavia, Orſa, & Mohilovia) ubi modò Archiepiſcopus Florianus Rennicius; Parochiæ mille circiter: Vladimiria (quacum unita Breſta) ubi Epiſcopus Theophilus eſt Godeſcius; Parochiæ ſub eo, mille: Luceoria, & Oſtrogia, ubi Theodoſius Runnictius; qui eſt Exarchus totius Ruſſiæ; Parochiæ ultra mille: Leopolis (quacum unita, Vilna, Novogrodum, Minſca, Halicia, Camenetia, & Podolia) ubi modò reſidet Metropolita, quòd Vilnæ reſidere non poteſt; Parochiæ ad ſex millia: Premislia, cui unitæ Sanocia & Samboria: ejus modò Epiſcopus Hieronymus Uſtrozycius; Parochiæ pluſquam duo millia: Chelmæ & Belzæ Epiſcopus Philippus Veloccovicius; ad ſeptingentas prope Parochiæ: Piſcæ & Turoviæ Epiſcopus Georgius Bulcnus; Parochiæ ultra ducentas. Hi omnes, qui in Regno Poloniæ ſunt, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ parent; ſed inter ipſos plura ſunt Monaſteria, & innumeri, per omnes ferme Epiſcopatus, qui ſchiſma Ruthenum fovent.

Quia ſentiendum de Sanctis Ruſſiæ.

CAP. VII.

1. Videamus modò, poſt hæc diſcuſſa, quid de Ruthenis Sanctis ſit ſentiendum. Qua in re, de Sanctis eorum poſt ſchiſma, nulli dubium eſt, eos a nobis recipi non debere. Uti contra, de *Baſilio* Vladimiro, avia *Helena*, filiis Boriſo & Glebo, ſive *Romano & Davide*; *Antonio & Theodoſio* monachis, mihi non eſt dubium fore recipiendos. Sed quod malum, in Capponianis Tabulis; de ipſis nullum veſtigium. Quamobrem inter Sanctos relati ſint, a poſterioribus ſeculi duodecimi. De Petro, Alexioque Metropolitis major eſt difficultas, qui in ſeculum incidunt quartumdecimum. Et ſolutio pendet a Græca Eccleſia; apud cujus Patriarcham, quiſque ordinabatur Metropolità, & profeſſionem fidei emittebat. Hæc ergo quæſtio breviſſime examinanda.

2. Quatuordecies, uſque ad eorum exitium, Græci a Latina Eccleſia deſciverunt. Belli ſignum in Romanam Eccleſiam Photius primus extulit, anno 856., & prima fax incendii Gregorius Asbeſta Syracuſanus Epiſcopus, ab anno 854. Photius criminari de errore Romanam Eccleſiam orſus eſt: ſed mox anno 869. in octava Synodo OEcumenica, Conſtantinopolitana quarta, pax denuò eſt reformata; in exſilium pulſo Photio, & quibuſdam Epiſcopis, qui ejus partes ſuſceperant: & anno 886. incendium extinctum eſt. Hinc profunda pax & unio inter Græcam Eccleſiam & Latinam uſque ad an. 996., quo anno Nicolaus Chryſobergius obiit Patriarcha. Hoc autem adeò verum eſt, ut Sanctos Græcos eorum temporum Eccleſia Latina & ſuſcipiat & veneretur. Siſinnius ei ſucceſſit, & huic Sergius (ex genere Photii) anno 999. qui, quam viam Siſinnius nonnihil Schiſmati reſeraverat, adeo inſtauravit; ut e ſacris Diptychis, Romani Pontificis nomen radere auſus ſit. Is mortem obiit anno 1019., & cum eo ceſſavit ſchiſma. Michael Cerularius, omnia

(1) *Joannes quidam Metropolita Ruſſiæ ſcribit ad Clementem PP.* forte VI. *eumque erroris inſimulat. apud Herbeſtenium, & Allatium.*
Vide in Commentarii noſtri fine, Leonem Metropolitam Preſlaviæ in Ruſſia, ejuſque opus græcum contra Latinos & azyma. Eundem 18. ſcriptorem græcum videre eſt, qui pro ſchiſmate ſuo ſcripſit, apud Allatium lib. 2. cap. 18.

omnia quæ modò ſentiunt Græci, anno 1053. in Eccleſiam Latinam vomuit; quamobrem Cpoli ab Apocriſariis S. Leonis Noni, extra fidelium communionem ejectus eſt. Leo Oſtienſis lib. 2. cap. 98., Stephanum Nonum (obiit hic anno 1058.) fruſtra conatum, ait, ad priſtinam unitatem fidei, Græcam Eccleſiam redigere cum Latina. Alexanderque Secundus anno 1071., Legatos ſanando ſchiſmati miſit ad Michaëlem Ducam Imperatorem: ſed Michaël Pſellus Schiſmaticus, a quo ſumma rerum pendebat, fruſtraneos reddidit hos conatus. Nec quia in Concilio ſexto Romano anni 1078., Nicephorus Botaniata Imp., a Sancto Gregorio Septimo, idcircò excommunicatus eſt, malo occurſum cum Oriente. Alexius enim Comnenus an. 1089. Latinis, qui erant in ſuo Imperio vetuit, ne azyma conſecrarent; & Urbanum Secundum ad dirimendam hanc controverſiam, ad Synodum Conſtantinopolitanam, invitavit: quo tamen pergere, Papæ impedito non licuit. Ex quo videretur ſola tum Græcos inter & Latinos, controverſia hæc fuiſſe; ni ſciremus, anno 1110. Petrum Mediolanenſem Archiepiſcopum Chryſolanum, a Paſchali Secundo Papa Conſtantinopolim miſſum, ad Alexium Imperatorem, pro exſtirpandis Legatum reliquiis ſchiſmatis Cerularii: Ibique cum Græcis etiam de Proceſſione Sancti Spiritus diſputaſſe. Sane de hac Quæſtione ſcripſit is opus (manuſcriptum in Regia aſſervatum) in quod Johannes Furnus monachus, & Nicolaus Epiſcopus Methonenſis, ſchiſmatici, calamos diſtrinxerunt. Rediit Chryſolanus anno 1116., & eſto aliquatenus exinde ibi ſchiſma compreſſum ſit; quòd in Generalibus Conciliis, Lateranenſi primo & ſecundo anni 1123. & 1139., nil in Græcos ſtatutum inveniatur. Aſt anno 1155. Hadrianus Papa Quartus ſuos ad Manuelem Comnenum Legatos mittit; ſcribitque Theſſalonicenſi Archiepiſcopo Baſilio, pro concordia utriuſque Eccleſiæ. Recruduerat ergo ſchiſma, nec etiam extinctum erat anno 1168., cum Emmanuel Legatos ſuos Alexandro Tertio Papæ miſit; oblata Græcæ cum Romana Eccleſia unione, ſi utrunque Imperium Alexander, ſibi conferre vellet. Papa namque, etſi miſit Apocriſarios pro unione utriuſque Eccleſiæ, unionem tamen Imperii ad ſe dixit non pertinere. Haud mirum hinc, ſi eodem anno, habita Cpoli Synodo ſub Michaële Anchialo Patriarcha; Græci conditiones ab Alexandro pro unione propoſitas recuſarunt, & in ſchiſmate permanſerunt.

3. In Concilio equidem tertio Lateranenſi, undecimo Generali, anno 1179. de Græcorum Schiſmate nil decernitur: ſed ex quo tempore Emmanuel diem obiit ſequenti anno 1188., res Imperii & Religionis, in pejus ruere cepiſſe; teſtis eſt etiam Allatius de Conſenſu utriuſque lib. 2. cap. 13. Vulcanus Dalmatiæ Rex, qui anno 1199. ad communionem venit Romanam; quid dicendum ſit de Græcis abunde docet; Uti & epiſtola Innocentii Tertii, Pantaleoni Compſano Archiepiſcopo an. 1220. qua conſultum vult Papa mutuo inter ſe contemptui, Græcorum Latinorumque presbyterorum in Regno Apuliæ. Notum eſt autem, Innocentium Legatos ad Alexium Angelum Imp., & ad Patriarcham Johannem Camaterum miſiſſe, pro unione utriuſque Eccleſiæ, anno 1198. Inſuper, & Iſaacium, filiumque Alexium, reciperato Solio, anno 1203., eidem Papæ ſcripſiſſe, ſe promptiſſimos unioni. Sed hi adimplere promiſſa non valuerunt, quod eos Græci (auxiliaribus Latinis militibus infeſti, eoſque domo exactos volentes) in ordinem e Solio redigerunt. Nunquam verò magis recruduit Schiſma, quam anno 1204., quo a Latinis Cpolis capta, & Balduinus eis impoſitus Imperator, & Latinorum Patriarcha, Thomas datus eſt Maurocenus. Tunc enim Theodorus Laſcharis, Imperii Græci Hadrianopoli Sedem poſuit; ſuam ibi etiam Patriarcha: & Alexius Comnenus junior Trapezunte: & tres hinc Imperatores, Conſtantinopolitanus, Nicenus, & Trapezuntius. Sane Theſſaliæ a Latinis datus Rex, Marchio Montisferrati: ſublata Bonifacio Creta, data Venetis: Achaja Latino ſuberat Gothifredo Villarduino: & Cyprus (quam anno 1190. Richardus Anglorum Rex, ejecto exinde pſeudo-Iſaacio Comneno Imperatore, inſederat ab inſequenti anno 1191.) Guidoni de Luſignano, olim Hieroſolymæ Regi, vendita erat. Quamobrem, ut odium pluſquam Vatinianum, Græcorum, hæ lacerationes Græci Im-

perii pepererunt; ita indubium, Græcos illarum partium, ſub Latinis Principibus, Romanæ Eccleſiæ non eſſe unitos. Johannes Tzetzes, qui tum vivebat; quam debacchetur in Latinos, norunt qui Chiliadas ejus legerint. Ita quamquam ſub Latinis erat Conſtantinopolis, eo tamen amplius immorigera, quo irritata, & ſub jugo ſuorum hoſtium.

4. Parte alia Bulgari, jubente eorum Rege Joannicio, eodem anno 1204., obedientiam S. Romanæ Eccleſiæ præſtiterunt, in manibus Apoſtolici Legati Dominici Archiepiſcopi Brunduſini: Datumque eſt pallium Baſilio, eorum Metropolitæ Trinovitano; quem anno 1205. cum ſuis omnibus Epiſcopis & presbyteris, Romano ritu, oleo ſancto ungi, & ita deinceps obſervari, voluit Innocentius. Sed cùm in Rege, tùm in ſubjectis metus & ſimulatio: is noſtros Cruce ſignatos; hi Regem ſuum metuebant. Michaelitius tyrannunculus Græcus anno 1210., crudeliſſimus in Latinos erat Eccleſiaſticos: & Pelagius Cardinalis Epiſcopus Albanenſis anno 1213. Legatus Cpolim miſſus eſt, ut ſchiſmaticos illos ad unionem redigeret. Sed nil clarius anno 1215. quo ab Innocentio, Lateranenſe quartum Concilium, Generale duodecimum celebratur. Interſunt Græci & Patriarcha; ſed Latini excommunicationem & degradationem in Schiſmaticos Græcos comminantur; qui eò uſque proceſſerant, ut & baptiſmo a Latinis tinctos, iterum baptizarent: & iterum altaria benedicerent, in quibus Latini ſacra myſteria celebraſſent. Subſcripſere Græci Patres qui aderant, ſed in Græcia eventus nullus. Cyprii anno 1222., ab Honorio tertio Epiſcopos petunt, præter Latinos, etiam ſuos Græcos; & objurgantur, ut monſtroſum corpus duobus Capitibus expetentes. Eodem anno 1222. Robertus Imperator, auxilia a Papa petit, qui extra communionem ponit ſchiſmaticos, Græcorum fautores, qui eum laceſſebant. Gregorius Nonus anno 1233., Polonis Epiſcopis datâ epiſtola præcipit, ne permittant viros Latini Ritus, cum Ruthenis mulieribus matrimonia contrahere; quòd Schiſmaticæ. Id acu rem noſtram tangit. Tandem poſtea, ubi matura meſſis, Cypriis anno 1250. ab Innocentio Quarto, (poſt ibi ejuratum ſchiſma) facultas facta eſt, quatuordecim ſuæ gentis Epiſcopos eligendi, qui S. Rom. Sedi immediate ſubjecti eſſent.

5. Anno 1232. Germanus Patriarcha Græcus Cpolis, qui ſuam Nicææ Bithyniæ habebat ſedem; Gregorio Nono ſcripſit (quamvis indignabundus) pro unione ſuæ Eccleſiæ cum Latina. Schiſmatici ergo adhuc Bithyni erant, & Ponti gentes, & reliqui, qui ejus conflabant Patriarchatum. Annuit his Gregorius; & Legati ejus (Fratres quidam è familiis Sanctorum Dominici, & Franciſci) in Niceno Palatio, cum Græcis de Proceſſione Sancti Spiritus diſputant; ſed re infecta Cpolim pergunt. Revocantur, & in coacto Nymphææ Bithyniæ Græcorum Concilio, iterum cum Patriarcha Germano, & ſuis diſputant. Vatacius offert pacem; &, ſi Latini e Symbolo, verbum *Filioque* deleant, ſe Latinis uſum azymi permiſſuros. Rem prorſus ridendam: pro re adiaphora, dogma fidei. Et congreſſus ita fruſtraneus, eſt ſolutus. Porrò, dum Græci in ſchiſmate indormiunt; Vatacius cum Joannicii filio Aſſano, Bulgaro, parat copias, quibus anno 1235. Callipolim Imperatori Latino tollit, & Cpolim obſidet; ſed eſt fuſus: Et quia anno 1240. bellicum Balduini Imperatoris apparatum timet, ſimulat velle ejurare ſchiſma. Cogitur hinc Concilium Lugdunenſe primum, Generale 13. anno 1245., ſed fruſtra pro Græcis ſtetit. Solùm Daniel Cæſar Moſcoviæ, anno 1247. ab Innocentio Papa Quarto, ut ſui Rutheni in fermentaceo ſacra conficiant, obtinet, ritu Græco: & hoc ſignum tunc cum S. Rom. Eccleſia unionis. Sed eo res Græcorum proceſſerant, rebus deſperatis & irritis; ut in Tartaros, Græcos ſchiſmate, bellum indictum ſit Cruciarium. Quod veritus Sattacon, Tartarorum Camus Orientalium; amplectitur ſanctam fidem, & Romano Pontifici, anno 1254. obedientiam profitetur. Interea Innocentius ſapientia, longanimitateque ſua uſus; adhuc fulmen intentat, non vibrat tamen: Conſtantinum Urbevetanum Epiſcopum Legatum ſuum anno 1255. ad Theodorum Laſcarim Imp. Nicæam mittit, pro unione adhuc Græcæ Eccleſiæ cum Romana: dum domi patitur Gulielmum de Sancto Amore, qui in ſuo libello *de periculis noviſſimorum temporum*, anno 1256. ſchiſma Græcorum

ferendum profert. Ad hæc diſſenſionem Germani Cyprii Archiepiſcopi, pro data ei juriſdictione in Græcos inſulæ, cum Latino Archiepiſcopo Nicoſiæ: quamobrem ad mulcendum Græcum Imperium; pro Germano donec obeat, ſententiam profert.

6. Anno 1261. Michaël Palæologus reciperat Conſtantinopolim; Balduinus Imp. Latinus fugit; moritur Innocentius; & eandem patientiam induit Urbanus Quartus anno 1262. Quo anno, etſi pro Balduino, Cruciarium in Græcos indicit; exſerto tamen fulmine adhuc abſtinet: dum Genuenſes tantùm a communione alienos pronunciat; qui Græcis Schiſmaticis (in Venetorum odium icto fœdere) arma junxerant, Cpoli expugnandæ. Quia verò in excommunicatione Genuenſes ſordeſcebant; Cruciarium etiam in eos Urbanus promulgat: quod ipſi veriti, anno 1264. deſerunt fictum fœdus, relictoque Michaële Imperatore, abſolvuntur. Dum autem Michaël fœderatis his dolet ſe deſtitutum; ei oportuit anno 1267. reformidare etiam Saracenos, qui Armeniam affligebant. Quo ſe igitur verteret inops conſilii, a Rom. Pontifice ſuppetias petit; ſed reſponſum, ut religionem & fidem jungeret cum Latinis, qui eorum auxilia expetebat. Fruſtratus Michaël ſua ſpe, & contra pavens etiam a Cruciario Latinorum, qui confluxerant in Palæſtinam, anno 1270. (quod ſola dura neceſſitas exprimebat) ſimulatione tectus, Sancti Gallorum Regis Ludovici IX. arbitrio committit Græcæ Eccleſiæ controverſiam cum Latina. Hoc ſanctus Rex Sacro Cardinalium Collegio (vacabat enim Romana Sedes) remiſit; qui formulam fidei Græcis Schiſmaticis præſcripſerunt. Porrò numquam diutiùs vacavit Sedes; donec tandem aliquando electus eſt Gregorius Papa Decimus anno 1272.: Qui ſecundum indixit Concilium Lugdunenſe, Generale decimum quartum. Aſt interea anno 1273. parandis animis, Concilium aliud Cpoli habetur (Niceno Schiſmatico Patriarcha Joſepho invito) pro unione utriuſque Eccleſiæ: aliudque anno 1274. quo Joſeph Schiſmaticus deponitur, & eligitur Johannes Veccus: qui ob lectum opus Nicephori Blemmidæ, converſus erat. Eodem anno Concilium Lugdunenſe celebratur: & Græci formulam fidei ſibi præſcriptam profeſſi ſunt. Unita ſic Græca Eccleſia cum Latina, palpus erat potius & illuſio. Anno enim 1277. Veccus Patriarcha Concilium habet; in quo Apocriſarii Apoſtolici adſuerunt, ut Græci decreta in Lugdunenſi Concilio exſequerentur. Juſſum autem a Papa fuerat, ut Patriarcha coram ipſis Schiſma ejuraret: ut Græci Epiſcopi abſolutionem de præterito Schiſmate, atque a ſancta Sede confirmationem ſuorum Epiſcopatuum, flagitarent: Denique ut Symbolo verbum *Filioque* adderetur. Græci igitur qui hæc nunquam animo, ſed voce tenus, coactique conceperant, indignati recedunt: & qui palam Schismati erant addicti, ſub dejecto Arſenio Patriarcha; eodem anno, ſed loco incerto, cum Monachis Schiſmaticis, Concilium idcirco contra unionem celebrant, & contra Joannem Veccum. Ipſum ſanè Michaëlem Imperatorem de hæreſi inſimularunt; quin ejus odio & livore, anno 1278. Imperatorem, loco ejus Johannem Comnenum dicunt, qui regnàbat tunc Trapezunte. Andronicus ad hæc Palæologus Michaelis filius, neceſſitate, (ut pater, & alii ſemper fecerant) anno 1287. Catholicam fidem; juxta decreta Concilii Lugdunenſis, profeſſus eſt: ſed ficta omnia & inania. Pater enim anno ſequenti, ut ſine Comneno æmulo imperet, placeat Græcis, qui obedire prorſus Summo Pontifici nolebant; multoque minus addere ſymbolo *Filioque*; ad Schiſma redit: uxorem filiam Eudociam dat Comneno, & a Martino Papa Quarto excommunicatur. Et quod notandum, juxto judicio Dei, dum moritur anno 1283. etiam a Schiſmaticis Græcis, extra Eccleſiam ſepelitur: extorris nempe, qui nec in Græca Eccleſia fuerat, nec Latina. Anno 1284. fugit Patriarcha Veccus a furore Schiſmaticorum, eique ſubſtituitur Joſeph: quo mox depoſito, Georgius Cyprius (qui ſub Michaële, ſe catholicum ficte egerat,) & tunc erat Antipatriarcha, Synodum Cpoli cogit in Veccum, Conſtantinum Meliteniotam, & Georgium Metochitam; qui conſtanter in ſancta unione conſiſtebant eoſque duci jubet in carceres, atque exſilio tandem multat.

7. Anno 1307. in Pictavino Conventu, Cruciarium militem in Syros & Cpolim Clemens Quintus indicit, Imperatoremq; Andro-

Andronicum Secundum excommunicat. Appendix hæc nempe fuit eorum,quæ Bonifacius Octavus anno egit 1301. Præcepit enim Capitulis quatuor Patriarchalium per Orientem; ne eo durante ſchiſmate, quemquam Patriarcham (adjecta nullitatis pœna)ſancta Sede eligerent inconſulta. Poſt hæc anno 1323.Oroſius Serviæ Rex, Græcorum ejurat ſchiſma, ut filiam det uxorem Philippo, filio Caroli 2. Regis Neapolis, Principi Tarentino. Patrem in fide non perduraſſe, conſtat ex filio Stephano, qui anno 1348. ad communionem Romanam redit. Nec his contenti; Græci erroribus,& Schiſmati,negationem Purgatorii addunt ignis; qui valetudinariis etiam brutis, ſanctam dabant Euchariſtiam. Quid ſani hinc ſperes ab hominibus tam indoctis? Johannes Caleca, anno 1334. Patriarcha Cpolis, renuit diſputare cum miſſis a Papa Johanne 22. Cpolim, Franciſco Veſprenſi, & Riccardo Epiſcopo Cherſonæ: nec quem e ſuis habuit rei idoneum.Dum autem præmitur, maxime a Turcis jam tum ab anno 1332. Andronicus, auxilia anno 1339. flagitat a Papa Benedicto XII., unionem offert, & ut de Dogmate proceſſionis Spiritus Sancti, in Generali Concilio decernatur. Reſpondit Papa, rem jam deciſam in ſecundo Concilio Lugdunenſi: & ſi Græci ad unionem redirent, non defutura auxilia Latinorum. Reapſe Stephanus Banus Boſniæ anno 1340. reliquit Schiſma: ſed hic æque timebat Turcas atque Latinos.

8. Imperator Johannes Palæologus anno 1366. ſuos legatos miſit, qui obedientiam præſtarent Urbano Quinto: Ipſe Budæ coram Ludovico Rege Hungariæ juravit ſe relicturum Schiſma: quapropter Papa ſuos nuncios ei miſit, data Formula fidei, quam ſubſcriberet. Eam profeſſus eſt anno 1369., biennio nempe. poſtquam, anno 1367. Patriarcha Cpolis, Viterbium ad Papam Urbanum venit, pro unione ſuæ Eccleſiæ cum Latina: & poſtquam anno 1368. Principes Albaniæ, Straſimirus, Georgius, & Balſas Schiſma pariter ejuraverant. Exemplum Johannis Imperatoris, reliqui principes ſunt ſequuti. Sed Imperator etiam venit Romam, & eodem anno obedientiam Papæ præſtitit, priuſquam hic regrederetur Avenionem. Anno 1420. a Martino V. Petrus Cardinalis S. Angeli Legatus Apoſtolicus Cpolim mittitur, cogendo Concilio contra Schiſma. Invaluerat ergo iterum Schiſma Græcum: mittiturqne eòdem, anno etiam 1422. Prolegatus Apoſtolicus Frater Minorita Antonius de Maſſa; ut re ipſa unio utriuſque Eccleſiæ effectui traderetur. Quanta indulgentia cervicoſis, & re deciſa! Tandem pro his, aliiſqe Eccleſiæ occurrentibus; anno 1438. indicitur Generale Concilium; ad quod primò Ferrariam indictum, tum Florentiam translatum; cum Græcis ſuis Imperator Johannes, & Joſeph Patriarcha venerunt. Hoc pacto, anno ſequenti 1439. rebus diligenter diſcuſſis; Patriarcha, Imperator, Græci, unionem cum Eccleſia Romana profeſſi ſunt. Iidem, etiam de Purgatorio peregerunt. Marcus autem Eugenius Archiepiſcopus Epheſinus, ubi rediit in Græciam, iterum Græcos ſcidit; & hinc ad hæc tempora durat ſchiſma: Eo obſtinatius, quo firmatius cauſam Excidii ſui Imperii, non ſe ſuamque fidem, ſed Latinos, in primis Romanos Pontifices, eſſe dicunt. Quod ad Moſcovitas attinet; Alexander Sextus anno 1496. Cruciarium bellum, in Schiſmaticos Moſcovitas conclamari jubet in Svetia, ut ab eis defenderet Regnum iſtud. Iterum Cruciarium in Tartaros & Moſcovitas anno 1510. ſub Julio Secundo Papa, promulgatur: & hoc penultimum Cruciarium. Ultimum enim anno 1513. per Julium Secundum, contra Turcas indictum conſtat.

9. Quæ hactenus dicta ſunt, affatim puto pandent, tempus potius, cum de Græcis loquimur, quærendum eſſe, quo Catholici fuerint & uniti; quam quo non fuerint, manifeſto fædi Schiſmate, ab ætate Michaëlis Cerularii, ad tempora excidii Græci Imperii. Annos hæc conflant ſolidos quadringentos ab anno 1053. uſque ad annum 1453.: in quo temporis ſpatio, quatuordecies, ut dixi, & eruditis conſtat, a Latinis caſtris Græci reſilierunt: ter nempe, vel quater quoque ſeculo. Utcumque prius ferebantur, vocabantur, hortabantur ad unitatem: Sed ab anno 1272., quo in ſecundo Lugdunenſi Concilio Generali, dogma deciſum fuit, ipſique & acquieverunt; ſchiſma ubi poſtea recruduit; damnandi magis fuère; & poſt hæc

tem-

tempora eorum Sancti, ut Sancti a Latina Eccleſia non habentur; ni liquidò & probè conſtet, ipſos corde & animo, ore quoque (ore namque confeſſio fit ad ſalutem) ubi opus fuit, deteſtatos fuiſſe Schiſma:& vixiſſe fide & opere in unione. Et an idem dicendum ſentiendumque ſit de Ruthenis, operæ pretium eſt diſſerere.

10. Pro qua re primum noto anno 1115. non fuiſſe ſchiſmati involutos; quod vel inde conſtat, quod ſuſceperunt Concilium tertium Lateranenſe, canonemque de auriculari confeſſione, ſaltem ſemel in anno, & communionem Paſchalem: quæ vel hodie Sanctè Rutheni obſervant: ſervaverunt verò nunquam Græci, nec receperunt.

11. Secundò teneo *Helenam* ſive Olgam, *Baſilium* Ladimirum nepotem, hujus filios *Davidem & Romanum*, ſeu Boriſum & Glebum (defuncti namque ſunt ante ſchiſma Cerularii) *Antonium*, *& Theodoſium* Abbates, etſi paulo poſt; poſſe coli rectiſſime cum Ruthenis. Qui quamvis in noſtris Tabulis non colantur, (nempe poſt initia ſeculi duodecimi) attamen poſt hæc tempora, aliis Tabulis ſunt inſerti: & quod vim argumento addit; Græci eos non colunt; etſi eorum cultum videantur Ruthenæ Eccleſiæ indulſiſſe.

12. Petrus & Alexius metropolitæ, in dubia & periculoſa tempora inciderunt, ab 1307. & 1372.; tutiuſque eſt dicere, de Sanctitate eorum non liquere. Ea namque tempora erant aperti ac damnati Schiſmatis:& impoſſibile videtur, de tali contagione nihil hos contraxiſſe, qui a Cpolitano Patriarcha, in omnibus, vel in minimis, pendebant: ab eo Cpoli ordinabantur; & fere ſemper Græci erant. Proinde apud eum fidei profeſſionem emittebant; ibique ea deteſtabantur, quæ Græci eorum magiſtri, in Latinis exſecrabantur: indeque ita Chioviam mittebantur: Rutheni hoc pacto, omnes Græcorum errores profitebantur. Egoque planè ignoro, num quiſquam facile ſibi ſuadeat; Ruthenos, tantùm poſt mortem Alexii Metropolitæ, anno 1372. a Græcis ebibiſſe venena iſta; & tunc primum, & non diu antea, fuiſſe eo ſchiſmate involutos. Quis ſibi fingat, magiſtros fere ſemper fædatos, diſcipulos ſemper puros illibatoſque, uſque ad initia decimiquinti ſeculi? Etiam de natis & mortuis in ſuo ſchiſmate, modò Rutheni, vitam immaculatam narrant, prodigia, & miracula. Adeantur Mayerbergius, & Olearius ſuorum itinerum libro tertio; adeantur Papebrochii Ephemerides Græco-Moſchæ; conſulantur Rutheni libri ut *Trypbologium*, *Uſtavum* (vel *Guſtavum*) *Horologium*, *&c.* Si libet ergo, recipiamus & ipſos, & Romano Martyrologio inſeramus; & num recte ne, an ſecùs, in fide ſenſerint; num Schiſmati averſi vixerint, eja ne animo quidem concipiamus. Sane a recta fide initium ſanctitatis, tum a miraculis probatio rectæ fidei: ſine quo firmiſſimo fundamento, facile ruunt alia.

13. Interim, ne quid videar diſſimulare, unum pro Petro, Alexioque metropolitis moneo;eos etiam modò ab unitis Lithuanis Rutheniſque, coli, nec a ſancta Romana Eccleſia, id eſſe ipſis, vetitum aut improbatum. Sed Lithuaniam, jam tum ex parte, ſub Jagellone Rege Poloniæ indutam Chriſtum; ſemper unitam credo Romanæ Eccleſiæ, quia ſub Imperio erat Poloni, non autem Rutheni Cæſaris. Uniti autem, ut dixi; de Alexio cum officio proprio celebrant, die duodecima Januarii, ut & teſtis eſt Leo Creuſius Vilnenſis Archimandrita; qui ipſum Conſtantinopoli conſecratum ſcribit a Philotheo Patriarcha. Quod ad alios, probe pro eis militat Synodus Zamoſciana; cui habitæ anno 1720. præfuit Eminentiſſimus Hieronymus Grimaldus, tunc Nuncius Apoſtolicus in Polonia. Quæ approbata a Benedicto Papa XIII.; cultui Boriſi & Glebi per Lithuaniam, de præcepto & officio proprio, diem ponit ſecundam Maii, pro eorum translatione facta anno 1072.: diem verò 24. Julii, feſtum eorum mortis: & Baſilii Ladimiri, 15. Julii. Helenæ (ſive Olgæ) memoriam, Guſtavum Ruthenum, die undecima facit Julii. Poloni certe, eos omnes colunt cultu religioſo.

14. Poſt enarratam converſionem, & fata reliqua, quæ ad Eccleſiam Ruthenam ſpectant; locus eſſet Synaxaria (cum alia modò non habeamus) allatorum Sanctorum, & Ladimiri Conſtitutionem, pro decimis, & libertate & Juriſdictione hujus Eccleſiæ afferre: ſed in calce horum Prolegomenon, prolixum eſſet; proinde ſatius erit, ea in fine operis collocare.

ENU-

ENUCLEATIO INSCRIPTIONUM QUÆ PER CIFRAS ET COMPENDIA, LEGUNTUR SUB IMAGINIBUS. CUJUSQUE RUTHENÆ TABULÆ.

P. Ignatio Culcinio Viro Volhinio & e Ruthena Baſiliana Familia, interprete.

CAP. VIII.

PRIMA TABULA

Quæ continet dies menſium Septembris: Octobris: & Novembris.

SEPTEMBRIE.

α'. Prepodómne Simeòn.
β'. Mucenic Mamántu. Joanni Poſtnìch.
γ'. Authimu. Prepodómne Theoctiſt.
δ'. Babilu. Moyſei.
ε'. Zacharia.
ϛ'. Ciudo Archangelu.
ζ'. Mucenic Sozontu.
η'. Rozdeſtro Preſviatia Bogorodicl.
θ'. Joacim. Anna. Severiánu.
ι'. Mucenic Minodóra, Mitrodóra, Nymphodóra.
ια'. Prepodómne Theodóra.
ιβ'. Autonómu.
ιγ'. Cornelii.
ιδ'. Budzuchénie uſtiágo Créſta.
ιε'. Mucenic Nicíta.
ιϛ'. Euphimii.
ιζ'. Sophíi. Viri, Nadaſti. Lubòc.
ιη'. Eumenii.
ιθ'. Trophímu. Sabbatíu. Dorimedònt.
κ'. Euſtathii. Tatiána.
κα'. Coidrátu.
κβ'. Mucenic Phoca.
κγ'. Zactátie Preditéci.
κδ'. Thecla.
κε'. Euphrosímia.
κϛ'. Joanna Bogoslòb.
κζ'. Calliſtratu.
κη'. Chariton.
κθ'. Cyriácu.
λ'. Grigórii.

SEPTEMBER.

1. Simeonis confeſſoris.
2. Mamantis martyris. Joannis Jejunatoris.
3. Anthimi. Theoctiſti confeſſoris.
4. Babylæ. Moyſi.
5. Zachariæ.
6. Miraculum Archangeli [Michaëlis.
7. Sozontis martyris.
8. Nativitas Protectricis Deiparæ.
9. Joachim. Annæ. Severiani.
10. Menodoræ, Metrodoræ, Nymphiodoræ martyrū.
11. Theodori Confeſſoris.
12. Autonomi.
13. Cornelii.
14. Exaltatio Sanctæ Crucis.
15. Nicetæ Martyris.
16. Euphemiæ.
17. Sophiæ. Fidei. Spei. Charitatis.
18. Eumenii.
19. Trophimi. Sabbatii. Dorymedontis.
20. Euſtathii. Tatianæ.
21. Quadrati.
22. Phocæ Martyris.
23. Conceptio Præcurſoris.
24. Theclæ.
25. Euphroſynæ.
26. Joannis Theologi.
27. Calliſtrati.
28. Charitonis.
29. Cyriaci.
30. Gregorii.

OCTOBRIE.

α'. Pocru (1) Bogorodici.
β'. Cyprianu. Juſtina.
γ'. Dionyſii.
δ'. Hierothei.
ε'. Charitina.
ϛ'. Thoma.
ζ'. Sergii. Bacchu.
η'. Pelagia.

OCTOBER.

1. Patrocinium Deiparæ.
2. Cypriani. Juſtinæ.
3. Dionyſii.
4. Hierothei.
5. Charitinæ.
6. Thomæ.
7. Sergii. Bacchi.
8. Pelagiæ.

θ'. Ja-

(1) Papebrochius hac die in ſuis Ephemeridibus, legit *Pokrod*, quod ejus interpres *Coronationem* vertit. Menologium Græcorum die 10. Martii: Ἡ ἐν τῷ Πάσχα μνήμη τῆς Ἀκαθίστου· ἥ τις εὐχαριστήριός ἐστι ἑορτὴ τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, λυτρωσάσης τὴν πόλιν ἐκ τῶν ἐχθρῶν. *Commemoratio Acathiſti, quæ fit ante Paſcha: Acathiſtus autem eſt feſtum in gratiarum actionem, Sanctiſſimæ Dei genitricis, quæ liberavit Urbem* [Cpolim] *ab hoſtibus*. Meurſius in Gloſſario Græco-Barbaro: Ἀκάθιστος, ſcribit, *Epitheton B. Mariæ. Origo nominis a Victoria, quam Heraclii tempore, adverſus Choſroæ Legatum Sarbarum obtinuiſſent: ob quam, viſum, totam noctem, ac* ſtantes, *hymnum B. Mariæ dicere*, Non eſt autem *Epitheton* B. Mariæ, ſed *Feſti* hujus; ita dicti, quia *ſtabant*, & non ſedebant canentes. Accidit hoc autem anno 628.

θ'. Jacobu. Andronicu.
ι'. Eulampii. Eulampia.
ια'. Philippu.
ιβ'. Probu. Tarachu, Andronicu. Coſma.
ιγ'. Carpu. Papylu.
ιδ'. Nazarii. Protaſii. Gervaſii. Celeſi.
ιε'. Lucianu. Euthymii.
ιϛ'. Loginu.
ιζ'. Prepodomne Andreu.
ιη'. Lyca.
ιθ'. Joëlu. Varu.
κ'. Artemii.
κα'. Hilarion.
κβ'. Abercii. Sedm otròc uo Epheſi.
κγ'. Jacobu.
κδ'. Aretha.
κε'. Marcianu. Martyrii.
κϛ'. Dimitrii.
κζ'. Neſtoru.
κη'. Terentii. Neonila. Stephanu.
κθ'. Anaſtaſia. Abramii.
λ'. Zinobiu. Zinobia.
λα'. Epimachu. Stachii. Lampii.

NOEMBRIE.

α'. Cozma. Damianu.
β'. Acindinu. Pigaſii. Elpidii. Anempodiu.
γ'. Acepſimu. Joſeph. Jamphaphi (1).
δ'. Joannicii. Nicandru.
ε'. Galactionu. Epiſtimia.
ϛ'. Pauli. Trideſiatri mucenic Militíni. Lazáru.
ζ'. Sobor Archiſtratiga Michaila.
η'. Oniſiphoru. Stephanida. Porphyriu.
θ'. Eraſtu. Olimpu. Rhodionu.
ι'. Mina. Victoru. Vincentiu. Theodoru.
ια'. Joanna. Nilu.
ιβ'. Joanna Zlatouſtoho.
ιγ'. Philippu.
ιδ'. Gyrii. Samonu. Abibu.
ιε'. Matthei.
ιϛ'. Grigorii.
ιζ'. Platonu.
ιη'. Romanu.
ιθ'. Audii. Barlaam.
κ'. Proclu. Grigorii.
κα'. Vovedenie Bogorodici.
κβ'. Philimonu.
κγ'. Grigorii. Amphilochiu.
κδ'. Ecaterina. Mercurii.
κε'. Climentu. Petru.
κϛ'. Alimpii.
κζ'. Jacobu.
κη'. Stephanu.
κθ'. Paramonu. Philemonu. Acaciu.
λ'. Andrei.

9. Jacobi. Andronici.
10. Eulampii. Eulampiæ.
11. Philippi.
12. Probi. Tarachi. Andronici: Coſmæ.
13. Carpi. Papuli.
14. Nazarii. Protaſii. Gervaſii. Celſi.
15. Luciani. Euthymii.
16. Longini.
17. Andreæ Confeſſoris.
18. Lucæ.
19. Joëlis. Vari.
20. Artemii.
21. Hilarionis.
22. Abercii. Septem dormientium Epheſi.
23. Jacobi.
24. Arethæ.
25. Marciani. Martyrii.
26. Demetrii.
27. Neſtoris.
28. Terentii. Neonillæ. Stephani.
29. Anaſtaſiæ. Abramii.
30. Zenobii. Zenobiæ.
31. Epimachi. Stachys. Lampii.

NOVEMBER.

1. Coſmæ. Damiani.
2. Acyndini. Pegaſii. Elpidii. Anempodiſti.
3. Acepſimæ. Joſephi. Jamphaphi.
4. Joannicii. Nicandri.
5. Galactionis. Epiſtemes.
6. Pauli. XXXIII. martyrum Melitene. Lazari.
7. Feſtum Archiſtrategi Michaëlis.
8. Oneſiphori. Stephanidæ. Porphyrii.
9. Eraſti. Olympi. Rhodionis.
10. Menæ. Victoris. Vincentii. Theodori.
11. Joannis. Nili.
12. Joannis Chryſoſtomi.
13. Philippi.
14. Guriæ. Samonæ. Abibi.
15. Matthæi.
16. Gregorii.
17. Platonis.
18. Romani.
19. Abdii. Barlaami.
20. Procli. Gregorii.
21. Ingreſſus Deiparæ [in Templum.
22. Philemonis.
23. Gregorii. Amphilochii.
24. Aecaterinæ. Mercurii.
25. Clementis. Petri.
26. Alypii.
27. Jacobi.
28. Stephani.
29. Paramonis. Philemonis. Acacii.
30. Andreæ.

d SE-

(1) Joſephi. *Jamphaphi*. Quis iſte Sanctus *Jamphaphus*? Legerem, *Joſephus Jambographi*, vel *Hymnographi*; niſi *Joſephus* ille a Græcis & Moſchis die 3. vel 4. Aprilis coleretur: niſi ex Menologiis hac die cognoſceretur agi de Joſepho presbytero, & Aithala diacono martyrib. Perſis, cum ſuo Epiſcopo Acepſima. Pro *Jamphaphi* ergo, legendum eſt *Aithala*, male a Culcinio lecta *Ziffera*, & monſtro pro Sancto, dato.

SECUNDA RUTHENA TABULA

Quæ continet dies menſium, Decembris, Januarii, & Februarii.

DECEMBRIE.		DECEMBER.	
α'.	Naumu.	1.	Naum. [Prophetæ.
β'.	Abbacum.	2.	Abbacum. [Prophetæ.
γ'.	Sophonii.	3.	Sophoniæ. [Prophetæ.
δ'.	Joanna Damaſcenu. Barbara.	4.	Johannis Damaſceni. Barbaræ.
ε'.	Sabba.	5.	Sabbæ.
ς'.	Nicola.	6.	Nicolai,
ζ'.	Ambroſiu.	7.	Ambroſii.
η'.	Potapiu.	8.	Patapii.
θ'.	Zaćtatie Bogorodici.	9.	Conceptio Deiparæ.
ι'.	Hirmogenu. Mina. Eugraphii.	10.	Hermogenis. Menæ. Eugraphi.
ια'.	Daniil:	11.	Danielis.
ιβ'.	Spyridionu.	12.	Spyridionis.
ιγ'.	Euſtratii. Auxentii. Mardarii. Oreſtu.	13.	Euſtratii., Auxentii. Mardarii. Oreſtis.
ιδ'.	Thirſu. Leucii. Philemonu. Apollonii.	14.	Thyrſi. Leucii. Philemonis. Apollonii.
ιε'.	Eleutheriu. Paulu.	15.	Eleutherii. Pauli.
ις'.	Aggii.	16.	Aggæi. [Prophetæ.
ιζ'.	Daniil. Anania. Azaria. Miſailu.	17.	Danielis. Ananiæ. Azariæ. Miſaëlis.
ιη'.	Sebaſtiani.	18.	Sebaſtiani.
ιθ'.	Bonifacii.	19.	Bonifacii.
κ'.	Ignatiu.	20.	Ignatii.
κα'.	Juliana.	21.	Julianæ.
κβ'.	Anaſtaſia.	22.	Anaſtaſiæ.
κγ'.	Deſiat Mucenic i Crita.	23.	Decem martyrum in Creta.
κδ'.	Eugenia.	24.	Eugeniæ.
κε'.	Rozdeſtro Hoſpódne.	25.	Nativitas Domini.
κς'.	Sobor Bogorodici.	26.	Feſtum Deiparæ.
κζ'.	Stephanu. Theodoru.	27.	Stephani. Theodori.
κη'.	Duadeſiat tiſiaczi mucenic Nicomidia.	28.	Viginti millium martyrum Nicomediæ.
κθ'.	Czetirina deſiat tiſiaczi mladenec. Marcellu.	29.	Quatuordecim millium Innocentium. Marcelli.
λ'.	Anyſia. Zoticu.	30.	Anaſtaſiæ. Zotici.
λα'.	Melania.	31.	Melaniæ.

JANUARIE.		JANUARIUS.	
α'.	Obrizanie Hoſpodne. Baſiliu Kappad.	1.	Circumciſio Domini. Baſilii Cappadociæ.
β'.	Selibeſtru.	2.	Silveſtri.
γ'.	Malachii. Gordii.	3.	Malachiæ. Gordii.
δ'.	Sobor Siedmideſiat Apoſtolu. Theoćtiſtu.	4.	Feſtum Septuaginta Apoſtolorum. Theoćtiſti.
ε'.	Theopeptu. Theona. Syncliticia.	5.	Theopempti. Theonæ. Syncleticæ.
ς'.	Bogojaulenie Hoſpodne.	6.	Theophania Domini.
ζ'.	Sobor Joanna Creſtitéla.	7.	Feſtum Joannis Baptiſtæ.
η'.	Domnica. Georgii.	8.	Domnicæ. Georgii.
θ'.	Polieućtu.	9.	Polieućti.
ι'.	Grigorii. Domitianu. Martianu.	10.	Gregorii. Domitiani. Martiani.
ια'.	Theodoſii.	11.	Theodoſii.
ιβ'.	Tatiana. Petru.	12.	Tatianæ. Petri.
ιγ'.	Ermylu.	13.	Hermyli.
ιδ'.	Sabba.	14.	Sabbæ.
ιε'.	Paulu. Joanna Cneznicha.	15.	Pauli. Joannis Calybitæ.
ις'.	Poclonenie ceſinim veriham Petra.	16.	Adoratio catenarum Petri.
ιζ'.	Antonii.	17.	Antonij.
ιη'.	Athanaſii. Cyrilu.	18.	Athanaſii. Cyrilli.
ιθ'.	Macarii.	19.	Macarii.
κ'.	Euthymii.	20.	Euthymii.
κα'.	Maximi. Neophytu.	21.	Maximi. Neophyti.
κβ'.	Timothei. Anaſtaſii Perſa.	22.	Timothei. Anaſtaſii Perſæ.
κγ'.	Climentu Ancyrana.	23.	Clementis Ancyrani.
κδ'.	Xenia.	24.	Xenajæ.
κε'.	Grigorii.	25.	Gregorii.
κς'.	Xenophontu. Maria.	26.	Xenophontis. Mariæ.
κζ'.	Dreneſenie moſtey Sviatiho Joanna Zlatouſtho.	27.	Translatio Corporis S. Joannis Chryſoſtomi.

κη'. E-

κη'. Ephrumu.
κθ'. Ignatii.
λ'. Hippolitu. Baſilii.
λα'. Joanna.

28. Ephræmi.
29. Ignatii.
30. Hippolyti. Baſilii.
31. Joannis.

FEBRUARIE.

α'. Triphonu.
β'. Stritenie Hoſpodne.
γ'. Simeonu. Anna.
δ'. Iſidoru.
ε'. Agathia.
ϛ'. Bicylu.
ζ'. Partheniu. Lyca.
η'. Theodoru. Zacharia.
θ'. Nikiphoru.
ι'. Charalampii.
ια'. Blaſii.
ιβ'. Meletii.
ιγ'. Martinianu.
ιδ'. Cyrilu. Auxentii.
ιε'. Oniſimu.
ιϛ'. Pamphilu.
ιζ'. Theodoru Tironu.
ιη'. Leu.
ιθ'. Archippu.
κ'. Leu.
κα'. Timothei. Euſtathii.
κβ'. Obritenie Sviatich mucenic.
κγ'. Polycarpu.
κδ'. Obritenie hlavi Preditei.
κε'. Taraſii.
κϛ'. Porphirii.
κζ'. Procopii.
κη'. Baſilii.
κθ'. Caſianu.

FEBRUARIUS.

1. Tryphonis.
2. Occurſus Domini.
3. Simeonis. Annæ.
4. Iſidori.
5. Agathæ.
6. Bucoli.
7. Parthenii. Lucæ.
8. Theodori. Zachariæ.
9. Nicephori.
10. Charalampii.
11. Blaſii.
12. Meletii.
13. Martiniani.
14. Cyrilli. Auxentii.
15. Oneſimi.
16. Pamphili.
17. Theodori Tyronis.
18. Leonis.
19. Archippi.
20. Leonis.
21. Timothei. Euſtathii.
22. Inventio Sanctorum martyrum.
23. Polycarpi.
24. Prima] Inventio capitis Præcurſoris.
25. Taraſii.
26. Porphyrii.
27. Procopii.
28. Baſilii.
29. Caſſiani.

TERTIA RUTHENA TABULA

Quæ continet dies menſium, Martii, Aprilis, & Maji.

α'. Eudocia.
β'. Theodoti.
γ'. Eutropii. Cleonicu. Baſiliſcu.
δ'. Geraſimu.
ε'. Cononu. [&c.
ϛ'. Sviathich Czetiri deſiat dua mucenic. Feodora
ζ'. Vaſilu. Ephremu. Capitonu.
η'. Theophilactu.
θ'. Sviatich mucenic Czetiri deſiat.
ι'. Codratu.
ια'. Sophronii.
ιβ' Theophanu. Grigori. [chi.
ιγ'. Preneſenie moſtcy Sviatiho Nichifori Patriar-
ιδ'. Benedictu.
ιε'. Agapii.
ιϛ'. Sabinu.
ιζ'. Alexiu.
ιη'. Cirilu.
ιθ'. Chriſanthu. Daria.
κ'. Ubienich uo Obitéli Savi.
κα'. Jacobu.
κβ'. Baſilii.
κγ'. Nicon i ize Snim.
κδ'. Artemii. Zacharii. Iſacii.
κε'. Blagoviſanie Bogorodici.
κϛ'. Sobor Gabriila.

1. Eudociæ.
2. Theodoti.
3. Eutropii. Cleonici. Baſiliſci.
4. Geraſimi.
5. Cononis. (Theodori [*Calliſti. Theophili* &c.
6. Quadraginta duorum Sanctorum martyrum.
7. Baſilei. Ephræmi. Capitonis.
8. Theophylacti.
9. Sanctorum quadraginta martyrum.
10. Quadrati.
11. Sophronii.
12. Theophanis. Gregorii.
13. Translatio corporis S. Nicephori Patriarchæ.
14. Benedicti.
15. Agapii.
16. Sabini.
17. Alexii.
18. Cyrilli.
19. Chryſanthi. Dariæ.
20. Monachorum in Monaſterio Sabbæ.
21. Jacobi.
22. Baſilii.
23. Niconis & ſociorum.
24. Artemii. Zachariæ. Iſaacis.
25. Annunciatio Deiparæ.
26. Feſtum Gabrielis [Archangeli.

κζ'. Matrona. Philetu.	27. Matronæ. Phileti.
κη'. Stephanu.	28. Stephani.
κθ'. Marcu. Cyrilu.	29. Marci. Cyrilli.
λ'. Joanna.	30. Joannis.
λα'. Hypatii.	31. Hypatii.

APRELU.	APRILIS.
α'. Maria.	1. Mariæ.
β'. Titu.	2. Titi.
γ'. Nicita.	3. Nicetæ.
δ'. Joſiphu. Georgii.	4. Joſephi. Georgii.
ε'. Theodulu. Agathopodu.	5. Theduli. Agathopodis.
ϛ'. Eutychii.	6. Eutychii.
ζ'. Georgii.	7. Georgii.
η'. Irodionu. Agabu.	8. Herodionis. Agabi.
θ'. Eupſychii.	9. Eupſychii.
ι'. Terentii. Pomphii.	10. Terentii. Pomphii.
ια'. Antipu.	11. Antypæ.
ιβ'. Baſilii.	12. Baſilii.
ιγ'. Artemonu.	13. Artemonis.
ιδ'. Martinu.	14. Martini.
ιε'. Ariſtarchu. Pudu. Trophimu.	15. Ariſtarchi.
ιϛ'. Agapia. Irina. Chionia.	16. Agapis. Irenis. Chioniæ.
ιζ'. Symeonu. Acaciu.	17. Symeonis. Acacii.
ιη'. Joanna.	18. Joannis.
ιθ'. Joanna.	19. Joannis.
κ'. Theodoru.	20. Theodori.
κα'. Jannuarii.	21. Januarii.
κβ'. Theodoru.	22. Theodori.
κγ'. Georgii.	23. Georgii.
κδ'. Sabba.	24. Sabbæ.
κε'. Marcu.	25. Marci.
κϛ'. Baſilii.	26. Baſilii.
κζ'. Symeonu.	27. Symeonis.
κη'. Jaſonu. Soſipatru.	28. Jaſonis. Soſipatri.
κθ'. Deviat mucenic Cyſicina.	29. Novem martyrum Cyzici.
λ'. Jacobu.	30. Jacobi.

MAI.	MAJUS.
α'. Jeremia.	1. Hieremiæ. [Prophetæ.
β'. Athanaſii.	2. Athanaſii.
γ'. Timothei. Maura.	3. Timothei. Mauræ.
δ'. Pelagia. Irina.	4. Pelagiæ. Irenis.
ε'. Jobu.	5. Jobi.
ϛ'. Jaulenie Creſta Jeruſalimi.	6. Apparitio Crucis in Hieruſalem.
ζ'. Joanna. Arſenii.	7. Joannis. Arſenii.
η'. Iſaia. Chriſtophoru.	8. Eſajæ. Chriſtophori.
θ'. Simonu Zilotu.	9. Simonis Zelotæ.
ι'. Mociu.	10. Mocii.
ια'. Epiphanii. Germanu.	11. Epiphanii. Germani.
ιβ'. Glyceria.	12. Glyceriæ.
ιγ'. Iſidoru.	13. Iſidori.
ιδ'. Pachomiu.	14. Pachomii.
ιε'. Theodoru.	15 Theodori.
ιϛ'. Andronicu.	16. Andronici.
ιζ'. Theodotu Ancyrana.	17. Theodoti Ancyrani.
ιη'. Patriciu.	18. Patricii.
ιθ'. Thalilei.	19. Thallelæi.
κ'. Conſtantinu. Elena.	20. Conſtantini. Helenæ.
κα'. Vaſiliſcu.	21. Baſiliſci.
κβ'. Michailu.	22. Michaëlis.
κγ'. Symeonu.	23. Symeonis.
κδ'. Tretie obritenie hlavi Prediteci.	24. Tertia inventio capitis Præcurſoris.
κε'. Carpu.	25. Carpi.
κϛ'. Therapontu.	26. Therapontis.
κζ'. Nicita.	27. Nicetæ.

κη'. Theo-

κη'. Theodoſia.	28. Theodoſiæ.
κθ'. Iſacii.	29. Iſaacii.
λ'. Hermia.	30. Hermiæ.

QUARTA RUTHENA TABULA

Quæ continet dies menſium, Junii, Julii, & Auguſti.

JUNU.	JUNIUS.
α'. Juſtinu.	1. Juſtini.
β'. Niciphoru.	2. Nicephori.
γ'. Lucillianu.	3. Lucilliani.
δ'. Mitrophanu.	4. Metrophanis.
ε'. Dorothei.	5. Dorothei.
ς'. Biſarionu. Ilarionu.	6. Beſſarionis. Hilarionis.
ζ'. Theodotu.	7. Theodoti.
η'. Theodoru.	8. Theodori.
θ'. Cyrilu Alexandrinu.	9. Cyrilli Alexandrini.
ι'. Timotheu.	10. Timothei.
ια'. Vartolomeu. Varnava.	11. Bartholomæi. Barnabæ.
ιβ'. Onuphrii. Petru.	12. Onuphrii. Petri.
ιγ'. Acylina. Xiphillii.	13. Aquilinæ. Triphyllii.
ιδ'. Eliſeu. Methodii Patriarchi.	14. Eliſæi. Methodii Patriarchæ.
ιε'. Amu.	15. Amos. [Prophetæ.
ις'. Tychonu.	16. Tychonis.
ιζ'. Manuilu. Savilu. Iſmailu.	17. Manuelis. Sabelis. Iſmaëlis.
ιη'. Leontii.	18. Leontii.
ιθ'. Juda.	19. Judæ.
κ'. Methodii.	20. Methodii.
κα'. Julianu.	21. Juliani.
κβ'. Euſevii.	22. Euſebii.
κγ'. Agrippina.	23. Agrippinæ.
κδ'. Rozdeſtro Joanna. Eliſavet. Zacharia.	24. Nativitas Joannis [Baptiſtæ.] Eliſabet. Zachariæ.
κε'. Phevronſa.	25. Phebroniæ.
κς'. Davidu.	26. Davidis. [Prophetæ.
κζ'. Sampſonu.	27. Sampſonis.
κη'. Cyru. Joanna.	28. Cyri. Joannis.
κθ'. Petra. Pavel.	29. Petri. Pauli.
λ'. Sobor Apoſtólu:	30. Feſtum Apoſtolorum [omnium.

JULU.	JULIUS.
α'. Cozma. Damianu.	1. Coſmæ. Damiani.
β'. Poloxenie ryzi preſviatia Bogorodici.	2. Repoſitio veſtium Protectricis Deiparæ.
γ'. Hyacinthu. Anatolii.	3. Hyacinthi. Anatolii.
δ'. Andrei.	4. Andreæ.
ε'. Martha. Athanaſii. Lampadii. Simeonu.	5. Marthæ. Athanaſii. Lampadii. Simeonis.
ς'. Sisói.	6. Siſois.
ζ'. Fthomi. Anna. Acacii.	7. Thomæ. Annæ. Acacii.
η'. Procopii.	8. Procopii.
θ'. Pancratii.	9. Pancratii.
ι'. Czetíri deſiàt piàt mucenic o Nicopoli.	10. Quadragintaquinque martyrum Nicopoli.
ια'. Euphimia.	11. Euphemiæ.
ιβ'. Proclu. Ilarii. Michailu.	12. Procli. Hilarii. Michaëlis.
ιγ'. Sobor Gavriílu.	13. Feſtum Gabrielis.] Archangeli.
ιδ'. Acilla.	14. Aquilæ.
ιε'. Julita. Cyricu.	15. Julittæ. Cyrici.
ις'. Pocra Sedm Lutagi.	16. Patrum Septimæ Synodi [Generalis.
ιζ'. Marina.	17. Marinæ.
ιη'. Jacinthu. Aimilianu.	18. Hyacinthi. Æmiliani.
ιθ'. Diu. Macrina.	19. Dii. Macrinæ.
κ'. Ilia.	20. Heliæ [Prophetæ.
κα'. Ezechiil. Joána. Symeonu.	21. Ezechielis [Prophetæ. Joannis. Simeonis.
κβ'. Maria.	22. Mariæ.
κγ'. Trophimu. Theophilu.	23. Trophimi. Theophili.
κδ'. Chriſtina.	24. Chriſtinæ.

κε'. An.

κε'. Anna. Olimpiada. Eupraxia.	25. Annæ. Olympiadis. Eupraxiæ.
κς'. Ermolau. Paraſcevi.	26. Hermolai. Paraſceves.
κζ'. Pantelemonu.	27. Panteleemonis.
κη'. Prochoru. Nicanoru. Timonu. Parmena.	28. Prochori. Nicanoris. Timonis. Parmenæ.
κθ'. Callinicu.	29. Callinici.
λ'. Sila. Silvanu.	30. Silæ. Silvani.
λα'. Eudocii.	31. Eudocii.

ABGUST.	AUGUSTUS.
α'. Eleazaru. Solomonia. Proiſchozdenie Creſta.	1. Eleazari. Solomoniæ. Proceſſio Crucis.
β'. Stephanu.	2. Stephani.
γ'. Iſaci. Dalmatu. Fauſtu.	3. Iſaacii. Dalmatii. Fauſti.
δ'. Eudocia, Sedm otròc uo Epheſi.	4. Eudociæ. Septem dormientium Epheſi.
ε'. Euſignii.	5. Euſignii.
ς'. Preobrazénie Hoſpódne.	6. Transfiguratio Domini.
ζ'. Dometii.	7. Domitii.
η'. Emilianu.	8. Æmiliani.
θ'. Matheu.	9. Matthæi.
ι'. Laurentii.	10. Laurentii.
ια'. Euplu.	11. Eupli.
ιβ'. Photiii. Nicita.	12. Photii. Nicetæ.
ιγ'. Maximu.	13. Maximi.
ιδ'. Michei.	13. Micheæ. [Prophetæ.
ιε'. Uſpenie Bogordici.	14. Dormitio Deiparæ.
ις'. Nerucòt vorennágo obráza.	16. Non manufactæ imaginis.
ιζ'. Myronu.	17. Myronis.
ιη'. Floru. Lauru.	18. Flori. Lauri.
ιθ'. Andrèi.	19. Andrææ.
κ'. Samuil.	20. Samuelis. [Prophetæ.
κα'. Thadeu. Baſſa.	21. Thaddæi. Baſſæ.
κβ'. Agathonicu.	22. Agathonici.
κγ'. Luppu.	23. Lupi.
κδ'. Eutichii. Titu.	24. Eutychii.
κε'. Bartolomeu. Titu.	25. Bartholomæi. Titi.
κς'. Adrianu. Natalia.	26. Hadriani. Nataliæ.
κζ'. Piminu.	27. Pœmenis.
κη'. Moiſi.	28. Moyſi.
κθ'. Uſicnovenie hlavi Joanna.	29. Obtruncàtio capitis Joannis.
λ'. Alexandru. Joannu. Paulu.	30. Alexandri. Joannis. Pauli.
λα'. Poloxenie ceſtro pojaja Bogorodici.	31. Depoſitio venerabilis Zonæ Deiparæ.

QUINTA RUTHENA TABULA

Quæ continet imagines rerum, quæ habentur in Evangeliis Dominicarum a Septuageſima uſque ad Pentecoſten.

Quæ ſunt in Græcorum Triodio, & Pentecoſtario.

INSCRIPTIONES RUTHENÆ.	EÆDEM LATINÆ.
α'. Nedèla o Mitári i Pharisèi.	I. Dominica Publicani & Phariſæi.
β'. Nedèla o Bludnòm ſinu.	II. Dominica filii prodigi.
γ'. Nedèla Siro Poſtnája [1].	III. Dominica Tyrophagiæ.
δ'. Subóta pervája Poſta [2].	IV. Sabbatum primum Jejunii.
ε'. Nedèla pervája Poſta [3].	V. Dominica prima Jejunii.
ς'. Nedèla tretája Poſta [4].	VI. Dominica tertia Jejunii.
ζ'. Nedèla Cetvertája Poſta [5].	VII. Dominica quarta Jejunii.
η'. Nedèla pietája Poſta [6].	VIII. Dominica quinta Jejunii.
θ'. Subóta Lazàra.	IX. Sabbatu Lazari.

ι'. Ne-

[1] Ideſt: *Memoria ejectionis Protoplaſtorum e Paradiſo*, quam figuræ repræſentant. [2] Ideſt: *Memoria Orthodoxiæ*; quam, poſt reſtitutas ſacras imagines, inſtituit Imperatrix Theodora 9. ſeculo, anno 843. ſub Patriarcha S. Methodio. [3] Ideſt: *Memoria VII. Synodi Generalis* pro imaginibus. [4] Ideſt: *Adoratio Sanctæ Crucis*. [5] Id eſt: *Memoria Sancti Joannis*, qui ſcripſit *Scalam*, ex qua dictus eſt *Climacus*. [6] *Achatiſtus B. Virginis*, hic memoratur; & quid ſit, diximus ſupra, ad diem primam Octobris.

ι'.	Nedéla Vichánia.	X.	Dominica Palmarum.
ια'.	Ponedeloàch Velici [7].	XI.	Feria ſecunda majoris hebdomadæ.
ιβ'.	Vtoróc Velici [8].	XII.	Feria tertia majoris hebdomadæ.
ιγ'.	Sreda Velicája [9].	XIII.	Feria quarta majoris hebdomadæ.
ιδ'.	Cetreitòc Velici [10].	XIV.	Feria quinta majoris hebdomadæ.
ιε'.	Piatòc Velici [11].	XV.	Feria ſexta majoris hebdomadæ.
ις'.	Subóta Velicája [12.].	XVI.	Sabbatum Sanctum.
ιζ'.	Voſcresénie Hoſpódne.	XVII.	Reſurrectio Domini.
ιη'.	Nedela Ftomi [13.].	XVIII.	Dominica Thomæ [Apoſtoli.
ιθ'.	Nedéla Zeri Mironosic.	XIX.	Dominica mulierum Myrobletarum.
κ'.	Nedéla o Prazslablennim.	XX.	Dominica Paralytici.
κα'.	Nedéla o Samaranini.	XXI.	Dominica Samaritanæ.
κβ'.	Nedéla o Slipòm.	XXII.	Dominica cœci nati.
κγ'.	Vozneſenie Hoſpódne.	XXIII.	Aſcenſio Domini.
κδ'.	Soſeſtívie Dúcha Hoſpódnia.	XXIV.	Deſcenſio Spiritus Sancti.
κε'.	Nedéla Usic Sviatich.	XXV.	Dominica omnium Sanctorum.
κς'.	Utoroje Snitie Hoſpodne.	XXVI.	Secundus Adventus Domini [ſeu Judicium [univerſale.

PROSPECTUS OPERIS ET IDEA.

CAP. IX.

1. *Commentarium ad noſtras Ruthenas Capponianas Tabulas*, σὺν Θεῷ *auſpicamur; a Septembri, cum ipſis, & Græca Eccleſia, annum incipientes: qui apud eos audit annus Eccleſiaſticus. Porrò, nos quaque die Acta vel geſta Sanctorum ejus diei, compendio explicamus: ut nobiſcum inſtructum plenè lectorem, ad ſententiam præparemus. Brevitati autem, quod ad poterimus, ſtudebimus: raptim plurima excurrentes: ubi verò longiore examine opus ſit (ut lux major, obſcuris rebus affulgeat) labori & operi non parcemus. Multa ſunt enim, quæ limâ; multa quæ Cenſore Catholico, libero tamen indigent. Ea igitur nos veritati ſoli litantes, operæ pretium ducimus illuſtrare: quod in Dei gloriam, in Sanctorum ejus honorem, in unitatem fidei, myſticique iterum Corporis cum Ruthenis, precamur Deum, ut bene vertat.*

2. *Sane ſingulis quibuſque menſibus, non pauca illuſtrabuntur.*

3. *Septembri puta, S. Joannes Neſteuta Patriarcha Conſtantinopolis; (qui cauſa, ſin occaſio prima, tituli* Servus Servorum Dei, *fuit Pontificibus Romanis, jam tum a B. Gregorio Magno) enucleatius recenſebitur, & num a Latina etiam Eccleſia coli debeat. Acta S. Euſtathii & ſociorum, rimatius excutiuntur.*

4. *Menſe Octobri aliquantulum immoramur in Actis Septem dormientium Epheſi, & noſtram ſententiam de ipſis ex veriſimilitudine aperimus.*

5. *Menſe Novembri, agemus de S. Æcaterina. Sed diſſertationem de Actis ejus, S. Chriſtinæ, & S. Barbaræ, quid ſentiendum ſit (quod ſit longior) edere eſt animus ſeparatim, Barbaræ Græci feſtum agunt die 4. Decembris cum Latinis; Chriſtinæ verò die 24. Julii.*

6. *Menſe Decembri agitur de S. Nicolao Epiſcopo. Sed ejus Acta omnia, aliàs græco-latine dedimus juſto opere, cum examine omnium accurato. Die 27. Jambicos verſus adducimus, quos in vultu ſcribi SS. fratrum Theodori & Theophanis (qui idcirco* Grapti *dicti ſunt) ab impio Theophilo Imperatore; quod ſacras colerent imagines. Eos habet tantum Menologium Græcorum.*

7. *Menſe Januario, die 2. de B. Papa Silveſtro agimus: Notanda etiam ſunt, quæ*

[7] *Memoria ficus maledictæ* a Domino in Evangelio. Cujus imago refertur. [8] *Memoria virginum prudentum, & fatuarum.*

[9] Refertur *memoria converſionis fœminæ peccatricis.*

[10.11.12.] Figuræ repræſentant, *memoriam Cœnæ Domini, Paſſionis Domini, & Sepulturæ Domini.*

[13] *Memoria quondo Thomas Apoſtolus vidit, & tetigit*: quod his temporibus ea Evangelia, apud Græcos, & Ruthenos, legùntur.

quæ adducemus de Sanctis Syncleticis, & Apollinari Syncletica, die quarta.

8. *Menſe Februario, Martio & Aprili præcipua non habemus.*

9. *Menſe Majo, die 21. de Conſtantini magni Sanctitate & cultu, agendum eſſet; ni de eo, ſeparato opere luculentiùs ageremus, in impios & ingratos. S. Methodius medio 9. ſeculo, ut de eo cecinit, ex Monologio afferetur.*

10. *Menſe Junio, Julio, & Auguſto præcipua non habemus.*

AD RUTHENAS TABULAS *COMMENTARIUS* MENSE SEPTEMBRI.

Die Prima.

Ruthenè. Prepodomne Simeon: ideſt: *Simeonis Confeſſoris*,

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Συμεὼν τοῦ στυλίτου. *Sancti Patris noſtri Symeonis Stylitæ.*

COMMENTARIUS.

Menologium Græcorum, quod hac die de eo agit, narrat eum oriundum ex Vico Siſan in Provincia Ciliciæ, ſub Leone Magno Imp., & Martyrio Antiocheno Epiſcopo floruiſſe: tum ſolitaria vita inita, & hinc aſcenſa columna; ubi in ipſa, quadraginta exegit annos, poſt multa miracula, in ſancta pace obiiſſe. Totidem ferme ad verbum habet Menologium Baſilii Imperatoris; quod tamen addit, fuiſſe patria Antiochenum: in adoleſcentia paviſſe oves: converſum ad Dominum auditis illis: *Beati pauperes ſpiritu*: in monachatu, quadraginta dies ſolitum jejunare, viginti ſtando, totidem ſedendo. In columna, annos quadraginta ſeptem egiſſe (eos forte incipiens a monachatu, ait enim, quadraginta ſeptem annos Deo ſerviiſſe). Baronius ſcripſit, octoginta eum annos vixiſſe ſub columna; quæ ſolida noſtra Symeonis eſt ætas, qui anno Chriſti 460 obiit. Cæterum hic Stylitarum omnium eſt primus, & ipſe ſenior Symeonum in Monachiſmo. De eo Bollandus & Bailletius agunt die quinta Januarii. De juniore verò, qui ætatis annorum 73., natus anno 521. in Domino requievit anno 593., agunt die 24. Maii, eoſque conſule, ſi eſt opus.

Die Secunda.

Ruthenè: Mucenjc Mamantu: ideſt: *Martyris Mamantis*.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Μάμαντος: *Sancti martyris Mamantis*.

COMMENTARIUS.

Ex Gangra urbe Paphlagoniæ, a matre una cum patre pro Chriſto comprehenſa, in vinculis poſita Mamas gignitur. Illi in carcere, diem claudunt, & puer a quadam muliere Chriſtiana, Ammia nomine, educatur: Mamas idcirco dictus, quod frequenter illam vocabat *Mamam*. Is vix quindecim annos attingit, & a Præſide Cæſareæ, pro fide Chriſti comprehenſus & ipſe, virgis cæditur, plumboque ad ejus collum alligato, projicitur in mare; ſed divinitus eſt ſervatus. Occulit hinc ſe in quodam ſpecu, ubi cervarum lacte nutritur. Verum poſtea iterum comprehenſus, poſt caminum & beſtias, tandem tridente ferreo viſcera laceratus, præſentis vitæ finem facit. Hæc Menologium Græcorum: in quibus nil mihi portentoſum, aut incredibile: Secus in iis, quæ Menologium habet Baſilii. Monet equidem, hæc acta ſub Aureliano Imperatore; ſilet natum in carcere, ſuppreſſo nomine Ammiæ; prodit hanc fuiſſe matronam ordinis Senatorii: quæ omnia admitti poſſunt. Sed cum narrat ab angelo in montem e carcere fuiſſe eductum: vel cum dicit, eum haſtili tranſverberatum, propriis manibus ſua extra urbem viſcera pertuliſſe, ibique tandem obiiſſe; hæc eruditioribus olent fabulam.

Eadem Die.

Ruthenè: Joannu Poſtnic: *Joannis Jejunatoris*.

Græcè: Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τοῦ ἐν ἁγίοις Πατριάρχου Ἰωάννου τοῦ Νηστευτοῦ: *Eadem die Sancti Patriarchæ Johannis Neſteutæ*: ideſt *Jejunatoris*.

COMMENTARIUS.

Placet in Sancti hujus obſequium, ſanctitatis, & veritatis, integrum Synaxarium Græcorum Menologii hic adſcribere; ut iis, quæ in eum a Latinis objiciuntur, faciliùs occurratur. Qua in re præmonemus primo lectorem; noſtri Johannis Patriarchæ cultum, aſſertum ſervatumque, poſt longam & ſedulam diſcuſſionem, Romæ a S. Congregatione Eminentiſs. Cardd., præpoſita editioni librorum Orientalium, ſub judicio & conſilio eruditorum virorum; inter quos Pater D. Philippus Vitalis Romanus, e Baſiliana Familia, græce latineque doctus; nuper Bibliothecæ Barberianæ Præfectus, amicus noſter. Synaxarium equidem, quod hic edimus (vita ejus inedita) latinis oculis alibi non eſt obvium.

SYNA-

SAnctus Pater noſter Johannes; ſub Imperio fuit Juſtini, & Tiberii, & Mauritii Imperatorum natus Conſtanrinopoli, Statuarius antea, vir pius, amator pauperum, & timens Deum. Monachum hic Euſebium nomine, qui erat ex Palæſtina, excepit hoſpitio: qui ad dexteram Sancti in via incedens, audivit quendam dicentem ſibi: Non decet te, Abba, a dextris incedere magni viri. Præſignificante ex tunc Deo, quam ipſe in manibus habiturus erat, curam Epiſcopalem. Poſthæc innoteſcit Sancto Eutychio, qui a Scholaſticis fuerat, & tunc erat Summus Sacerdos Dei; qui eum detondere deliberavit, utpote dignum, qui in clerum adſcriberetur. Cumque ipſe adhuc inter Diaconos eſſet, venit in Templum Sancti Laurentii, dum erat meridies, & ibi Eremitam invenit quendam, quem nemo cognoſcebat, unde veniſſet; qui indicavit Sancto gradus Altaris. Et ecce mille Sanctorum millia, & vox mixta, & cantus terribilis audiebatur, & ſtolis albis fulgentibus omnes induti erant.

Hic cum OEconomus eſſet, & miniſter pecuniarum Eccleſiæ, rediens ex externo quodam campeſtri loco, unumque habens dumtaxat loculum, ac indeſinenter præbens; ubi non evacuabatur, confluente pauperum multitudine, animum perculſit cujuſdam eorum, qui cum ipſo erant, clamantis & dicentis: *Domine miſerere mei: quouſque nobis non evacuatur hic loculus?* & loculus ſtatim vacuus factus eſt. Ipſe verò, leonis inſtar, magnanimo & gravi vultu; in illum intuens dixit: *Deus tibi, frater, parcat: multo amplius forte futurum erat, ut ſufficerent.*

Poſt dormitionem autem Eutychii Patriarchæ, detentus ut ordinaretur, non acquievit:& vidit terribilē viſionem, qua ei videre videbatur mare, uſque ad Cœlum pertingens, & caminum ignis tremendum, & multitudinem Angelorum, ita ipſi dicentium: Non oportet aliter fieri, ſed ſic; quoniam ab utroque periculo tentari eſt opus. Hæc autem minaciter dicebant. Tumque ſe ipſum etſi nolentem dedit, & ordinatur Patriarcha Conſtatinopolis maximam exercitationem, & venerandam vitam, omnibus virtutibus ornatam, uſque ad obitum prætergreſſus.

Hic transfretatus aliquando uſq; ad Hebdomum, & facta procella magna; ſola oratione, & ſigno Crucis, mare in tranquillitatem convertit. Albariam in oculis habens Gazenſis Johannes Scholaſticus, accepta a Sancto hoc Patriarcha immaculata particula, dicente ipſo, Corpus Chriſti, ſe ex ipſa ferme nativitate cæcum, dum ſalutat ipſum, ſanitatem obtinuit.

Mortalitate aliquando magna exorta, dedit cuidam fido, ex his qui ei inſerviebant, duos corbes, unum vacuum, & alium plenum lapillorum, & dicit ei: Sta in te, & numerans mortuos, juxta eorum numerum, mitte lapillos in corbem vacuum. Et hoc facto ſemel ac bis, novit quoniam ſepulti ſunt, prima die homines tercenti viginti tres: & ſecunda die, hoc facto, paulum diminuta eſt: & uſque ad ſeptimam diem hoc faciens, invenit penitus ceſſaviſſe cladem, ob intentam acutamque Sancti orationem.

Ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Ἰωάννης, ἦν ἐπὶ τῆς βασιλείας Ἰουστίνου, καὶ Τιβερίου, καὶ Μαυρικίου τῶν βασιλέων, ἐν Κπόλει γεννηθεὶς, χαράκτης πρῴην ὑπάρχων, ἀνὴρ εὐσεβὴς, καὶ φιλόπτωχος, φιλόξενος, καὶ φοβούμενος τὸν θεόν. Οὗτος μοναχὸν Εὐσέβιον τοὔνομα ἐκ Παλαιστίνης γενόμενον ὑπεδέξατο· ὃς καὶ περιπατῶν ἐν τῇ ὁδῷ εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τοῦ ὁσίου, ἤκουσέ τινος διαλεγομένου αὐτῷ· οὐκ ἔφεταί σοι Ἀββᾶ, ἐν τοῖς δεξιοῖς περιπατεῖν τοῦ μεγάλου. Προμηνύοντος ἄρα τοῦ θεοῦ τὴν μέλλουσαν ἐγχειρίζεσθαι αὐτῷ μεγάλην Ἀρχιερωσύνην. Μετὰ ταῦτα ἀναγνωρίζεται τῷ ἐν ἁγίοις Εὐτυχίῳ, τῷ ἀπὸ Σχολαστικῶν, καὶ Ἀρχιερεῖ τοῦ θεοῦ· ὃς καὶ ἀποκαρῆναι αὐτὸν συνεβούλευεν, ὡς ἄξιον ὄντα καταταγῆναι εἰς κλῆρον. Ἔτι δὲ ἐν τοῖς διακόνοις ὄντος αὐτοῦ, ἦλθεν εἰς τὸν ναὸν τοῦ ἁγίου Λαυρεντίου, μεσημβρίας οὔσης, καὶ εὑρίσκει ἐρημίτην τινὰ ἐκεῖσε, ὃν οὐδεὶς ἐγίνωσκε πόθεν παραγέγονε, καὶ ὑπεδείκνυε τῷ ὁσίῳ τοὺς ἀναβαθμοὺς τοῦ θυσιαστηρίου· καὶ ἰδοὺ μυριάδες ἁγίων, καὶ φωνὴ συμμιγὴς, ᾠδή τε φρικώδης ἐξηκούετο, καὶ λευκὰς στολὰς ἐξαστραπτούσας ἅπαντες ἐνεδιδύσκοντο.

Οὗτος διανομεὺς ὢν, καὶ διάκονος τῶν χρημάτων τῆς Ἐκκλησίας, ὑποστρέφων ἐκ τοῦ ἔξωθεν πεδινοῦ τόπου, καὶ ἓν μόνον βαλάντιον ἔχων, καὶ ἀφθόνως διδοὺς, ὡς οὐκ ἐκενοῦτο, τῶν πενήτων συῤῥεόντων εἰς πλῆθος, ἔφθασε δὲ καὶ εἰς τὸν νοῦν τινὸς τῶν σὺν αὐτῷ ἀνακράξαντος καὶ εἰπόντος· Κύριε ἐλέησόν με· μέχρι τινὸς οὐ κενοῦται ἡμῖν τοῦτο τὸ βαλάντιον; τὸ μὲν βαλάντιον παραχρῆμα κενὸν ἦν. Αὐτὸς δὲ λεοντῶδες εἰς ἐκεῖνον ἰδὼν ἔφη· Ὁ θεὸς, ἀδελφὲ, συγχωρήσῃ σοι· μέχρις οὐ πολλοῦ ἔμελλε διαρκέσαι.

Μετὰ δὲ τὴν κοίμησιν Εὐτυχίου Πατριάρχου, κρατηθεὶς εἰς τὸ χειροτονηθῆναι, οὐκ ἐπείθετο, καὶ εἶδεν ἔκστασιν φοβερὰν, ἡ δὲ ἦν, θάλασσα μέχρι οὐρανοῦ φθάνουσα, καὶ κάμινος πυρὸς φρικτὴ, καὶ ἀγγέλων πλῆθος προσφθεγγομένων αὐτῷ οὕτως. Οὐκ ἐνδέχεται ἄλλως γενέσθαι, ἀλλὰ οὕτω, ἐπεὶ τῶν ἀμφοτέρων πειρασθήσῃ. Ταῦτα δὲ ἔλεγον μετὰ ἀπειλῆς. Τότε καὶ μὴ βουλόμενος, ἐξέδωκεν ἑαυτὸν, καὶ χειροτονεῖται Πατριάρχης Κπόλεως, ἄσκησιν ἄκραν, καὶ βίον σεμνὸν, διὰ πάσης ἀρετῆς μέχρι τέλους διεξελθών.

Οὗτος διαπερῶν ποτὲ τὸ Ἕβδομον, καὶ κλύδωνος μεγάλου γεγονότος, τῇ εὐχῇ καὶ σφραγῖδι τοῦ σταυροῦ τὴν θάλασσαν εἰς γαλήνην μετέβαλεν. Ἐπίχυσιν δὲ ὀμμάτων ἔχων ὁ Γαζεὺς Ἰωάννης ὁ Σχολαστικὸς, καὶ λαβὼν παρὰ τοῦ ἁγίου τούτου Πατριάρχου τὴν ἄχραντον μερίδα, φήσαντος αὐτοῦ, Σῶμα Χριστοῦ, σχεδὸν ἐκ γενετῆς ἱσταμένου τυφλὸν, καὶ ἀσπασάμενος αὐτὸν, ἰάσεως ἔτυχε.

Θανατικοῦ ποτὲ μεγάλου γεγονότος, δέδωκέ τινι πιστῷ ἐκ τῶν ὑπουργούντων αὐτῷ δύο σπυρίδας, μίαν κενὴν, καὶ ἑτέραν ψηφίδων μεστὴν, καὶ λέγει αὐτῷ· Σθῆθι εἰς τὸν νοῦν, καὶ τοὺς παρεχομένους νεκροὺς μετρῶν, κατὰ τὸν αὐτῶν ἀριθμὸν, ἀποκένου ψηφίδας εἰς τὴν κενὴν σπυρίδα· καὶ τοῦτο ποιήσας ἅπαξ καὶ δὶς, ἔγνω ὅτι ἐξεκομίσθησαν τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ ψυχαὶ τριακόσιαι εἴκοσι τρεῖς, καὶ τῇ δευτέρᾳ τοῦτο ποιήσας, ὀλίγον ἐκόπασε· μέχρι τῆς ἑβδόμης τοῦτο ποιῶν, εὗρεν ὅτι παντελῶς ἐκόπασεν ἡ τραῦσις, διὰ τῆς ἐπιτεταμένης τοῦ ἁγίου προσευχῆς.

Τῆς δὲ ἐγκρατείας οὕτως ἦν ἐπιμελούμενος, ὥστε ἐπὶ ἓξ μῆνας, μηδὲ ὕδατος μεταλαβεῖν. Τριδακίνης δὲ μιᾶς ὁ καυλὸς, ἐκεῖνο καὶ μόνον ἐγένετο βρῶσις καὶ πόσις· ἢ πέπονος ὀλίγου· ἀλλά τε σταφυλῆς, ἢ σύκων καθυπαλλαγὴν, ταῦτα ἦν αὐτῷ τροφὴ, ἐν τοῖς τρισκαίδεκα πρὸς τὸ ἥμισυ χρόνοις τῆς Ἀρχιερωσύνης αὐτοῦ· Ὕπνος δὲ ἦν αὐτῷ, τὸ καθεῖσθαι, καὶ τὰ στέρνα ἐπισυνάπτειν τοῖς γόνασι· ῥαφὶς δὲ αὐτῷ ἐπηρτᾶτο εἰς ἅπτεσκηρὸν ἐπικαέντα· καὶ ἡνίκα τοῦ κηροῦ ὑπὸ τοῦ πυρὸς δαπανηθέντος ἡ ῥαφὶς ἐν λεκάνῃ ἐρρίπτετο, ἀνίστατο· εἰ δὲ συνέβη μὴ ἀκοῦσαι αὐτὸν τοῦ κτύπου τῆς ῥαφίδος, τὴν ἐπιοῦσαν νύκτα ὅλην ἄυπνος διετέλει.

Οὗτος δὲ εὐχῆς μὲν τοῖς πάθεσι πολεμῶν, τὰς τῶν βαρβάρων ἐπέστρεψε μάχας, διὰ νηστείας δὲ τὴν λύμην τῆς πόλεως δίωκε· καὶ τῇ ἀγρυπνίᾳ τὴν ποίμνην ἐφύλαττεν ἐξ ἀοράτων καὶ ὁρατῶν ἐχθρῶν. Ποτὲ δὲ παρασκευῆς οὔσης ὀψίας, λέγουσι τῷ ὁσίῳ· Αὔριον, δέσποτα, ἱπποδρόμιον ἄγεται· ἦν δὲ σάββατον τῆς Πεντηκοστῆς. καὶ ἀποκριθεὶς λέγει· Ἱπποδρόμιον τῇ ἁγίᾳ Πεντηκοστῇ; Καὶ πεσὼν ἐπὶ τὰ γόνατα ἐδυσώπει τὸν Θεὸν γενέσθαι τὶ σημεῖον φόβου ἕνεκα πρὸς τὸ κωλῦσαι τοῦτο· Καὶ ἰδοὺ τῇ δείλῃ αἰθρίας οὔσης, γίνονται καταιγίδες, καὶ πλῆθος ἀνέμου, καὶ ὑδάτων φορὰ, ὡς συντελεσθῆναι πάντες, καὶ φεύγειν τὸν λαὸν ἐκ τοῦ ἱππικοῦ. Ἐκτὸς γὰρ τούτου, φόβος ἕτερος οὐκ ἐγένετο ἄλλοτε.

Γυνὴ δέ τις τὸν ἄνδρα ἔχουσα δαιμονῶντα, καὶ ἀνδρί τινι τὴν ἔρημον οἰκοῦντα καταφυγοῦσα, Ἄπελθε, ἔφη, πρὸς τὸν ἁγιώτατον Πατριάρχην Κπόλεως Ἰωάννην, κἀκεῖνος αὐτὸν ἰάσεται. Καὶ τοῦτο ποιήσασα, οὐ διήμαρτε τοῦ σκοποῦ· λαβοῦσα γὰρ τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἴασιν τῇ προσευχῇ τοῦ ἁγίου, οἴκαδε χαίρουσα ἐπορεύετο. Τούτου τῇ εὐχῇ καὶ στεῖραι γυναῖκες τέκνα ἔτικον, καὶ ἀσθενοῦντες πολλοὶ ἰάσεως ἔτυχον.

Κοιμηθέντος δὲ αὐτοῦ ἐν εἰρήνῃ, καὶ προτεθέντος, ἐλθὼν εἰς ἀσπασμὸν αὐτοῦ Νεῖλος ὁ ἐνδοξότατος ἔπαρχος, ἀντεφιλήθη παρὰ τοῦ ἁγίου, πάντων ὁρώντων καὶ θαυμαζόντων· Ἐπεὶ δὲ αὐτῷ καί τινα ῥήματα εἰς τὸ οὖς, ἅτινα οὐκ ἐξεῖπέ τινι· ἐκήδευσαν δὲ αὐτὸν ἔνδον τοῦ θυσιαστηρίου τῶν ἁγίων ἀποστόλων, ὡς ἄξιον, δοξάζοντες Πατέρα, Υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα.

Tanta autem abſtinentia fuit prædìtus, ut ad ſex menſes, nec aquam deguſtaverit; Lactucæ verò ſolius caulis, ille & ſolus fuit cibus & potus, vel peponis non nihil: vel uvæ & ficuum aridorum aliquid, ad annos tredecim cum dimidio ejus Pontificatus, ei cibus fuit. Somnus ei fuit, demittere ſe, & pectus inclinare ſuper genibus; acus verò ab eo appendebatur cereæ candelæ accenſæ: quæ ubi cera ab igne conſumpta erat, in ſubjectam pelvim cadebat, & ipſe excitabatur. Si autem ipſum non audire accidiſſet acus ſtrepitum; ſequentem noctem, inſomnem ducebat omnem.

Hic quidem oratione in ſuos affectus dimicans, barbarorum divertit pugnas, jejunio verò luem Civitatis avertit; dum vigiliis ovile ſuum ab inviſibilibus cuſtodiebat, & viſibilibus inimicis. Aliquando die paraſceve de ſero, dicunt Venerabili huic: Cras, Domine, edentur Circenſes ludi. Erat autem ſabbatũ Pentecoſtes. Quibus ipſe reſpondens dixit: Circenſes die ſanctæ Pentecoſtes? (1) Et procidens ſuper genua, Deum precatus eſt, ut aliquod ſignum timoris ageret, quo illa prohiberentur. Et ecce poſt horam meridianam, cum eſſet ſudum, oboriuntur procellæ, & magnus ventus, aquarumque impetus; ita ut omnes contenderint, & fugerit populus ex Circo. Præter hæc enim timor alius, nec quid aliud factum eſt.

Mulier autem quædã Dæmoniacũ habens virum, & ad quendam heremi incolam confugiens; Abi, is dixit, ad ſummum Cpolitanum Patriarcham Johannem, & ipſe ſanabit eum. Quo facto mulier a ſcopo ſuo non aberravit; accepta enim ex ſancti oratione, viri ſui ſanatione, domum læta reverſa eſt. Ejus oratione, etiam ſteriles feminæ filios genuerunt, & multi valetudinarii ſanitatem ſunt conſecuti.

Eo autem defuncto in pace, expoſitoq; cũ veniſſet ad oſculandum eum Nilus glorioſiſſimus Præfectus Urbi, ſanctus viciſſim eum eſt oſculatus, omnibus cernentibus & admirantibus: & ei quædam in aurem dixit, quæ nemini ille dixit. Depoſuerunt autem eũ intus altare Sanctorum Apoſtolorum, ut dignũ erat, glorificantes Patrem, Filium, & Sanctum Spiritum.

His poſitis, primò hic meminiſſe oportet decimo ſeculo exeunte, jam diu inter ſanctos, Neſteutam noſtrum, per Græcas eccleſias, & Orientem, relatum fuiſſe, & cultu religioſo cultum: quandoquidem Baſilii Porphyrogeniti Menologium de ipſo tam claram memoriam agit: tum præterea noſtræ Ephemerides hæ Ruthenæ a ſeculo duodecimo; ac demum hodiernum Menologium, quod 14. ſeculo per Nicephorum Calliſtum accuratius eſt concinnatum. Secundò advertendum eſt, Canonem eſſe opus ſancti Germani, Patriarchæ Cpolis initio octavi ſeculi: nam Germanus ſecundus, & tertius ſederunt 13. ſeculo, cum diu invaluerat ejus cultus, ut modo dictum. Germanus 2. ſedit annos 17. ab anno 1221., Germanus 3. vix annum ſedit, & depoſitus eſt anno 1262. Canonem autem illum eſſe S. Germani, apparet ex rubrica, ad Odem primam hujus diei; ubi dicitur. *Ἕτερος κανὼν τοῦ ὁσίου· ποίημα Γερμανοῦ. Hujus Canon Sancti confeſſoris, poema eſt Germani.* Nam ſanctum neminem in his dicit, neque Johannem Damaſcenum, nec Methodium, nec Theophanem, nec Joſephum; nec quemquam alium, dum eorum Canones alibi afferuntur

S. Germanus itaque in hoc Canone, noſtrum Neſteutam dicit *Sanctum glorificatum in ſecula, cum angelis coram, pro nobis orare Cœlorum Regem: ut pium in vita: ut impietatis perſecutorem. A temperantia eum* laudans, *ab oratione, a miſericordia in pauperes, a laboribus, & vigiliis, Imitatorem fuiſſe Apoſtolorum: Zelo Heliam, & Moyſem imitatum perſecutum fuiſſe recto dogmate hæreſes. Fide, Spe, Charitate nobis verba oſtendiſſe vitæ. Eccleſiæ fuiſſe lumen & Magiſtrum: viſum fuiſſe præconem pœnitentiæ & Trinitatis: ac proinde orare pro omnibus, qui ejus hanc faciunt commemorationem.* Sane Photius in Epitome Simocattæ, eum etiam pro *Sancto* habuit nono ſeculo. Si ergo *Simocatta 7., Germanus 8.* celebrem & cultũ indubie a 7. initiis (ante quod quadriennio ante defunctus erat) cum proprio Canone, in ejus laudes effunditur; ſi 9. *Photius*; ſi 10. *Baſilii*

Meno-

(1) Theodoſius junior anno 4.: prohibuerat omnia ſpectacula, non ſolum diebus feſtis Eccleſiæ, ſed etiam in omnibus ſolennibus, & pietatis operibus dedicatis. Lege 5. Cod: Theodoſ: de ſpectaculis.

Menologium ; ſi *noſtræ Ruthenæ Tabulæ* 12.; ſi 14. *Nicephorus* Calliſtus in præſenti Græcorum Menologio; conſequens eſt, ut Sanctus etiam a nobis haberi poſſit, qui ſemper ut Sanctus eſt habitus ab Ecleſia Orientali. Etiam Romæ modò, Neapoli, Venetiis,& alibi,ubicumque Græcus viget, & permittitur, Ritus de eo celebratur.

Qui plura de ipſo quærit; adeat Theophylactum Simocattam, qui ferme æqualis ſeptimo ſeculo,laceras veſtes, refert, S. Johannis noſtri, ſtatim poſt mortem, ab Imperatore Mauritio habitas pro reliquiis,& ſervatas: & de quodam pecuniarum mutuo ei ab eodem Johanne, facto. Ibi plura ; & minora his etiam apud Photium. Bailletius, aliique recentiores, de ipſo nequidquam agunt. Menologium autem Baſilii die iſta, ita de eo ſcribit, ex Arcudii verſione, quæ eſt ad manus, apud Ughellum:

Eodem die memoria Joannis Patriarchæ Cpolitani, cognomine Jejunatoris.

Joannes cognomine Jejunator natus eſt Cpoli, præfuitque eidem Eccleſiæ Juſtino,Verio (ita pro *Tiberio*) *& Mauritio Imperatoribus. Hic primo quidem ſtatuariam artem exercuit; deinde ob multas, atque egregias animi dotes, Prcha renunciatus Urbis ipſius magnæ, multo magis virtutes excoluit. Pauperes enim ſumma proſecutus eſt benignitate, vir ſingulari lenitate, & miſericordia: quippe qui ex alterius ſollicitudine & calamitate; parem cum eo dolorem ſuſciperet. Quare Deus illum multis mirabilibus factis inſignem reddidit: Nam barbaræ gentes, ex Macedonia fugatæ (1), urbſque graviſſima liberata peſte: multiſque ſalus reſtituta fuit: plerique etiam peſſimè habiti a cacodæmone, priſtinam precibus Sancti Viri recuperarunt ſanitatem. Reliquit orationes, animæ utiliſſimas, quales* (etiam) *magnus Johannes Chryſoſtomus conſcripſit. Cum igitur populum ſuum Sancte pieque paviſſet; Sacramque Eccleſiam ad annos tredecim, menſes quinque integerrime gubernaſſet, vixiſſetque ad ſummam ſenectutem; felicem ab omni laude, Deo reſtituit Spiritum; vir certe ſingulariſſimi, omnium recte factorum, exempli.*

Porrò, ſi titulus Œ*umenici*, quem Johannes noſter primus aſſumpſit, & poſt eum Cyriacus ejus ſucceſſor, aliique Cpolitani ſequiores Patriarchæ; ejus vitæ Sanctæ, & miraculoſæ, dicat aliquis obſtare, tanquam tumoris & ſuperbiæ ſignum maximum : pace omnium, qui ſic ſentiant e Latinis; verbum eſt male ſumptum, in latiori ſignificatu; quo ſenſu nempe in Chalcedonenſi ſumitur, dum de S. Leone Papa loquitur. Hic eſt ſolus & vere Œ*cumenicus* Patriarcha totius Orbis: in Johanne, Cyriaco, & ſequioribus Patriarchis Cpolis, ſtrictius ſumptus eſt,pro Patriarcha Œ*cumenico* totius Provinciæ Pontice, Thracice,& Aſianę dumtaxat. Johannes noſter qui Primatū Papę in Eccleſia univerſa cognovit,& faſſus eſt;qui ab eodem B. Gregorio Magno, poſt ejus mortem impenſe laudatus legitur, epiſtolarum libro 5. epiſt. 64. nihil officit quod ob hunc titulum male intellectum,a B. Gregorio eſt reprehenſus, eodem libro cap. 15. 16. & 17. Diverſo enim ſenſu, & ſimpliciter accipiebat illum Johannes, & ſine typho aliquo ſuperbiæ, qui humillimus erat Pontifex. Diverſo & ſuperbiſſimo Gregorius, tanquam titulo Antichriſti. Pacatis inde animis, & terminis melius intellectis; titulus ille Cyriaco, & ſucceſſoribus Cpolitanis Epiſcopis, ante & poſt ſchiſma, ſemper, & ſine errore, vel ſcandalo uſque modò permiſſus eſt. Hæc autem habui pro Neſteuta.

DIE TERTIA.

Ruthenè: *Anthimu*.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἀνθίμου Ἐπισκόπου Νικομηδείας, *Sacroſancti Martyris Anthimi Epiſcopi Nicomediæ*.

COMMENTARIUS.

Adductus ad Maximianu m Aug., propoſitis ad terrorem, ſub oculos inſtr umentis omnium tormentorum, conſtans, ſaxis in cervice contunditur, ignito ferro ei terebrantur tali, nudus volutatur in teſtis, & virgis cæditur: æneas ignitas crepidas patitur: alligatur rotæ: tandem capiti obtruncato naſcuntur crines. Nihil hic tuti; præſertim in ſtrue & faſce tot tormentorum. Menologium Baſilii addit, virgas fuiſſe ſpineas; ad rotam facibus aduſtum : caput Nicomediæ ſervari, & quamquam mortui, capillos emiſiſſe. Addit præterea, mota Diocletiani & Maximiani perſecutione in Chriſtianos, Anthimum ſe in montis cujuſdam latebras abdidiſſe : quod maxime eſt veriſimile. Sed Maximiano dein proditum, ejuſque juſſu comprehenſum: & cum torqueretur, ſuperveniſſe Angelos Dei, qui interea,cruciatus ei & ſupplicia leniebant : quod additamentum eſt manifeſtum. Bailletius de noſtro ſancto agit die 27. Aprilis. Ubi vide quid ſentiat de Actis græcolatine editis per Bollandum. Sane præter ea, quæ dat Euſebius Cæſarienſis, reliqua ſunt, vel incerta, vel commentitia. Adito & Pagium ad ann. 302. Tillemontium tom. 5. Fleuryum lib. 8.

EADEM DIE.

Ruthenè: *Prepodomne Theoctiſtu: Theoctiſti confeſſoris*.

Græcè (ſola rubrica, & Canone, & Acroſtichide) Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοκτίστου, συνασκητοῦ τοῦ μεγάλου Εὐθυμίου. *S.P.N. Theoctiſti, aſcetæ una cum magno Euthymio*.

COMMENTARIUS.

Ex ejus Canone (qui eſt S. Theophanis) eruitur chariſmatum omnium decore ornatum, & miraculorum operatorem : vitæ tenore rigidum, irrigaſse heremum ſuis lacrymis; ſuſpiriis ſuos centuplicaſse labores. Domuiſse hinc carnem, fuiſse terribilem in Dæmones, ut pote mente & anima puriſſimum. Floruiſse Juſtitia, Fortitudine, & Prudentia : & inter orationes, jejunia, reliquaſque virtutes; lætum, ad Dominum commigraſse.

DIE QUARTA.

Ruthenè: *Babilu: Babylæ*.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Βαβύλα Ἐπισκόπου

(1) En veſtigia hiſtoriæ ejus vitæ.

Αντιοχείας. *Sacroſancti Martyris Babylæ Epiſcopi Antiocheni.*

COMMENTARIUS.

In rubrica Synaxarii additur poſt *Babylam*, Ἀρχιεπισκόπου Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἁγίων τριῶν νηπίων, οἳ διὰ ξίφους ἐτελειώθησαν: *Archiepiſcopi Antiochiæ Magnæ, & trium Sanctorum puerorum Sociorum ejus, qui una gladio ſunt conſummati.*

Numerianum Imperatorem ab ingreſsu Eccleſiæ dicitur prohibuiſse, *eo quod Perſarum Regis filium, datum obſidem occidiſſet*. Eadem narrat Chryſoſtomus. Chronicon Paſchale; *quod tutor puerum Gordiani Imperatorem* occiderat, ut regnaret. Aliam Baſilii Menologium affert cauſam, nempe, *quod eſſet cultor Idolorum*. Idcircò catenis vinctum; & ita in *pompa ductum* (*per civitatem*, addit M. Baſilii) & cum tribus pueris capite obtruncatum. Totidem ferme græca. Menol. Baſilii in fine addit: *Et a Chriſtianis ſepultus eſt extra urbem, una cum ei circumpoſitis catenis*. Quod ex Homilia Chryſoſtomi, de S. Babyla in gentiles tomo 1. pag. 669. & 670. ſumptum eſt.

Eadem die in Græcorum Menologio, agitur de alio Sancto Babyla, *qui* ἐν Ἀντιοχείᾳ διδάσκαλος, σὺν τοῖς ὑπ' αὐτῷ ὀγδοήκοντα τέσσαρσι παισί, ξίφει τελειοῦται *Antiochiæ ludi magiſter, cum octoginta quatuor pueris diſcipulis ejus, gladio obtruncatur*. Ejuſque ſynaxarium iſta habet: Maximiano Imperatore Nicomediæ poſito defertur hic Babylas, quod ſenex in crypta quadam docet pueros Deos ſpernere, adorare *Crucifixum*. Comprehenditur, & cum pueris ad Imp. adducitur. Ipſe poſt dira verbera, clauditur in carcere: adductos pueros 84. una cum ſemellis, Maximianus blanditiis avertere a Deo ſtudet; & quod illi ſilent; ex ipſis decem ætate majores excerpit; qui interrogati, & promiſſis varie tentati, tacent adhuc: ſolum Ammonius & Donatus, reſpondent uti debent, & verberantur. Tum converſus Imp. ad alios, idem dicunt, & eadem fortiter patiuntur: quamobrem omnes carceri mancipantur, & fame affliguntur. Cum magiſtro ſequenti die reproducuntur, & ob conſtantiam in fide, omnes gladio condemnantur. Demum a fidelibus noctu eorum corpora in onerariam navem illata, Byzantium extra mœnia (ubi modò Monaſterium eſt Chora dictum) in tribus loculis ſunt depoſita. Ex hac officina reor & ego acta hæc prodiiſſe: & pro Babyla Epiſcopo & tribus pueris factus Babylas alius, ſed ludi magiſter etiam Antiochiæ, & diſcipuli pueri & puellæ octoginta quatuor, ſub Maximiano ſcilicet; ut diverſus & alius ab illo Numeriani videretur. Menologium Baſilii hos non habet, & jure merito. Ea autem non rejicit Tillemontius.

Poſt Euſebium Cæſarienſem libro 6. cap. 34. & 39. nemo veriùs & ſolidius de Babyla Epiſcopo, & Martyre eſt locutus, quam Tillemontius tom. 2. Hiſt. Imper., & tom. 3. Hiſt. Eccleſiæ pag. 409. & Bailletius die 24. Januarii. In his pro *Numeriano*, *Philippus* eſt Imp., cui Babylas reſiſtit; & Decius Imp. ſub quo ſolus ſine pueris Babylas dicitur martyrium pertuliſse. Quanta inverſio, quanta fabulæ & confuſio! Quis credat 84. teneros pueros & puellas, a truculento quovis Principe, & immani, & macerari, et una die, & ex eadem cauſa neci datos, quin ut oves jugulatos; quos carceris fœditate, & penuria, blanditiiſque, vel ſuis, vel parentum, affiniumque, vincere tractu temporis ſperaſset? Si pro Antiochia Nicomediam (quod advertit etiam Tillemontius) reponas; ſi tres, vel quatuor tantum dicas, demptis aliis octoginta; credam magiſtrum illum homonymum eſse martyrem ſub Galerio Maximiano, poſt motam perſecutionem anno 303. cum tribus illis pueris, vel quatuor, quos Babylæ Epiſcopi (etiam Chryſoſtomus, Theodoretus, Philoſtorgius, & Meletius Mopſueſtenus Epiſcopus an. 432. circiter) ſocios faciunt in martyrio. *Numerianus* equidem Imp. ex qualibuſcumque actis, eſt expungendus, teſtibus Chryſoſtomo, & Philoſtorgio.

EADEM DIE.

Ruthenè: *Moyſei Moſis*.

Græcè: Τοῦ ἁγίου καὶ θεόπτου Μωυσέως τοῦ προφήτου. *Sancti, & qui Deum vidit, Moſis Prophetæ*.

COMMENTARIUS.

Ex Scriptura, omnia; ſed adjecta temporis nota, qua præceſſiſſe, ait, adventum Chriſti, annos 1485. quod adſtruit etiam Baſilii Menologium. De eo Bailletius agit hac die in ſanctis veteris Teſtamenti.

DIE QUINTA.

Ruthene: *Zacharia Zachariæ*.

Græcè: Τοῦ ἁγίου προφήτου Ζαχαρίου τοῦ πατρὸς τοῦ προδρόμου: *Sancti Zachariæ Prophetæ, Patris præcurſoris*.

COMMENTARIUS.

Dum liberè prædicat Deiparam, matrem ſimul & Virginem, & a loco, in quo in Templo Virgines conſiſtebant, ne expelleretur, jubet (Menol. Baſilii hæc non habet) & quod tempore necis infantium innocentium, ejus filius Johannes, in quodam ſpecu trans Jordanem a matre occultatus ſuit, (Menol. Baſilii addit: *ſexto menſe ab ejus nativitate*) in medio altaris Sacrificii, juſſu Herodis, a Judæis occiſus dicitur. Fabulam jamdiu hæc B. Hieronymus dixit, etſi abſque examine recepta, ab Origene, & a S. Petro Martyre & Patriarcha Alexandrino, a S. Baſilio Magno, S. Gregorio Nyſſeno, Cyrillo Alexandrino, & Theodoreto. Bailletius etiam ſequitur Hieronymum. In commentitiis & apocryphis actis poſita, in libro *de Infantia Salvatoris* adhuc leguntur.

DIE SEXTA.

Ruthenè: *Ciudo Archangelu miraculum Archangeli*.

Græcè: Ἡ ἀνάμνησις τοῦ γεγονότος θαύματος ἐν Κολοσσαῖς, ἤτοι Χώναις (τῆς Φρυγίας, addit rubrica Synaxarii) παρὰ τοῦ ἀρχαγγέλου Μιχαήλ. *Commemoratio miraculi facti Coloſſis, ſeu Chonis* (*Phrygiæ*) *ab Archangelo Michaële*.

COM-

COMMENTARIUS.

Invidia commoti quidam Hellenizantes, ob miracula, quæ in Templo Archiſtrategi Cœleſtis militiæ *Michaëlis fiebant, vicinum fluvium in Templum vertere dum volunt, ut populum & Archippum ibi manentem perderent; Sanctus Archippo apparet, atque ut confidat jubet. Percutit virga petram, in qua tranſitum facit flumini, ut cernitur uſque ad præſens.* Hæc ad verbum Menologium Græcorum narrat: ſed meram fabulam. Magna diverſitate, Menol. Baſilii, eadem ita ſcribit: *Chonis, olim Coloſſis, vir pius Archippus nomine habitabat; quo loci, aquæ Michaëlis Archangeli enarrant opera. Per hanc aquam, mirabilia gerebantur; & ipſe idcircò multos convertebat. Ethnici ægre ferentes tot miranda, immani rabie in Archippum & aquam illam ſanctam, coactis innumeris; duo magna flumina in unum corrivant, & eò dirigunt; ut Templum, & aquam perdant, & Archippum. Ut ſentit Archippus murmur torrentis aquæ, invocat Michaëlem, qui ſtatim virga petram percutit, & repentino petræ hiatu, aquas obruit: & ex eo tempore locus ille dictus eſt Chonæ.* Hoc eſt *infundibulum*, quod eo aquæ omnes influxerunt. Ridenda fabula: & mirum dictu! S. Michaëlis apparitionum nulla, fabulis non obruitur. Noſtræ ſeſe invicem deſtruunt. Bailletius die 29. Septembris de his agit, quæ tamen reſpuit, tanquam è Metaphraſte, & nata, quo tempore Coloſſæ, Chone jam diu dicebantur: nempe poſt Theodoretum, & quintum ſeculum.

DIE SEPTIMA.

Ruthenè: *Mucenic Sozontu martyris Sozontis.*

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Σώζοντος. *Sancti Martyris Sozontis.*

COMMENTARIUS.

Ex Lycaonia (*Lyciam* dicit Menol. Baſilii) oriundus, & paſtor ovium, audito Verbo Dei, fit Chriſtianus; & valedicto ovibus & parentibus, ingreſſuſque Idolorum Templum, auream Idoli dexteram (quod ex argento & auro conflatum erat) avellit, & pretium dat pauperibus; vel ut ait Menol. Baſilii, contritam pauperibus diviſit. Quod autem multos pro ſe capi ſuſpicit, ſeſe prodit, & comprehenditur. Maximus Præſes eum jubet acriter verberari; crepidis ferreis indui, & ut ambulet, vapulare: donec apparent oſſa; & in hoc tormento Spiritum Deo reddit. Menologium Baſilii, in principio addit: *Cum aliquando in quercum ingentem incidiſſet, apud quam erat aqua; appendiſſetque de arbore tres ſagittas & arcum, ſui ipſius monimenta; is locus precibus Sancti viri, divinarum curationum munus accepit. Docebat autem Ethnicos & baptizabat, in nomine Patris &c.* Et in fine poſt *crepidas*: *Deinde ſuſpenſus ex arbore, ad necem uſque cæſus eſt, atque ejus corpus in caminum ignis injectum eſt.* Pictura oſtendit ſuſpenſum inverſo capite.

Baronius in Martyrologio ad hanc diem dicit: *Pompejopoli in Cilicia, Sancti Sozontis Martyris, qui ſub Maximiano Imperatore, in ignem injectus, reddidit ſpiritum.* Et in notis: *Ejus acta quæ pluribus proſecutus eſt Metaphraſtes, extant apud Lipomanum tomo 6., & Surium tomo 5. De Pompejopoli, de qua hîc agitur, ſcribit Dio libro 36.* Pompejopolis equidem eſt in *Cilicia*: ex qua *Lyciam*, fecit Menol. Baſilii, *Lycaoniam* Menol. Græcorum. Si acta legas; fatales ibi Metaphraſtis ſentias manus: adeo ſpiritus fictionis, & amor fabulæ, proprii evaſerant Græcæ gentis. Impura minus ſunt ea, quæ Menologium Græcorum habet. Bailletius nullibi de hoc martyre. *Maximus* autem *Præſes* melius putem dicitur, quam *Maximianus Imperator*, in Actis iſtis.

DIE OCTAVA.

Ruthenè: *Rozdeſtro Preſviatia Bogorodici.*

Græcè: Τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. *Nativitas Sanctiſſimæ Reginæ noſtræ, Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ.*

COMMENTARIUS.

Joachim philotheus, oriundus ex Regia Tribu David, ſua Deo duplicia offerebat. Carens filiis, ipſe in monte, Anna conjux in horto, orant cum lacrymis; & ſanctiſſimam oratione obtinent Virginem. Ex eadem Tribu erat Anna. Vigeſimus ſecundus a David & Salomone eſt Matthan, qui duxit Mariam ex Tribu Juda, & genuit Jacob fratrem Joſephi fabri, & tres filias, Mariam, Soben, & Annam. Maria genuit Salomem obſtetricem; Jobe genuit Eliſabet; Anna genuit Deiparam. Hoc pacto Maria Virgo, erat ex Matthan, & Maria uxore ejus: Eliſabet, & Salome fuerunt conſobrinæ Annæ, materteræ verò Deiparæ. Cuncta ex actis apocryphis. Ex eodem fæculento fonte, eadem in Menologio Baſilii, etſi brevius, derivata etiam in Synaxarium diei ſequentis; qua de Joacim & Anna agitur. Bailletius hac die refert Molanum & Bollandum, qui veram hujus feſti rationem habent: independentem utique ab his Actis: Datque monitum, quod Fulbertus Carnotenſis tradit, rejectum a SS. Patribus, ut apocryphum, librum *de Nativitate Virginis*, tributum modò S. Cyrillo Alexandrino, modò S. Jacobo Hieroſolymitano Epiſcopis. Ita & liber alius ejuſdem farinæ, quem impoſtor *Seleucus*, ſub Matthæi Apoſtoli nomine, venditavit. Nec equidem meliora, larva S. Melitonis Sardenſis Epiſcopi eſt operata, in libro *De infantia Salvatoris*. Ea namque, Sancta Eccleſia non adoptat: & forſan, eorum ne quidam nomine uſa eſſet; niſi vel Anonymos ſemper ipſos, vel ſub aliquo alio eos nomine nuncupare, ob ignorantiam rerum, verùmque nominum, cogeretur.

DIE NONA.

Ruthenè: *Joacim, Anna.*

Græcè: Ἡ σύναξις τῶν δικαίων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης *Synaxis juſtorum Joacim & Annæ.*

COMMENTARIUS.

Synaxin hanc celebramus ob nativitatem ex eis Beatæ Virginis. Cæterum eorum dormitionem, die 25 Julii celebramus. Totidem Menologium Græcorum. Non quod emortualem eorum diem quiſque noverit,

ſed

ſed ut emortualem eorum diem, alicui die affigerent colerentque.

EADEM DIE.

Ruthenè: *Severianu: Severiani.*

Græce: Ο' ἅγιος Σεβηριανὸς λίθος παρὰ τοὺς πόδας φέρων, ϗ ἐπὶ τοῦ τείχους εἰς τὸν ἀέρα κρεμασθεὶς τελειοῦται. *Sanctus Severianus ſaxo pedibus alligato, & ex mœnibus in aërem ſuſpenſus, conſummatur.*

COMMENTARIUS.

Sub Licinio Imperatore & Lyſia Duce (limitaneo) *Sebaſtenus Senator, comprehenſus ut Chriſtianus, quòd quadraginta illos martyres, ad agonem fortiter ferendum hortatus eſſet; e mœnibus ſuſpenditur, & maximo lapide pedibus alligato, oneratus, ſpiritum Deo reddit.* Haud plura, & quidem vera. Menologium Baſilii non *Senatorem*, ſed *militem* eum dicit (& eſt veriſimilius) taureis cæſum, pexum fuiſſe latera, & aduſtum; & hinc ſuſpenſum mœnibus. Hæc tormenta ut plurimum quæſtionibus miſcebantur; verbera, ungues, faces, proinde credibile eſt, etiam cum Severiano præmiſſa eſſe.

DIE DECIMA.

Ruthenè: *Mucenic Minodora, Mitrodora, Nimphodora.*

Græce: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Μηνοδώρας, Μητροδώρας, ϗ Νυμφοδώρας. *Sanctarum martyrum Menodoræ, Metrodoræ, & Nymphodoræ.*

COMMENTARIUS.

Breviſſimum Synaxarium. *Sorores germanæ, & ab exeuntibus Thermas in Pythiis, ad duo millia paſſuum habitantes, delatæ Frontoni Præſidi Regionis, & acriter cruciatæ, ſuas Deo animas tradiderunt.* Ex tot paucis, de genuitate, vel falſitate Actorum judicium ferri non poſſet; ni ſuppetias veniret Menologium Baſilii, quod hac eadem die In Bithynia natas, ait, & in Pythiis, ubi calidæ manant aquæ, ad eas Thermas habitaſſe. Ad hæc, quod Imperante Maximiano, ſumma pietate præditæ, & Chriſtum Ethnicis prædicantes, correptæ a Regionis Præſide; Menodoræ natu maximæ, poſt virgas confracta crura: Sorores membratim ferreis contuſæ virgis. Conſummato martyrio; omnes ſepultæ prope calidas illas aquas, multis reſtituunt ſanitatem. licet earum præſentia, ſalubres illæ aquæ, ſanctificatæ veluti proficuæ magis experiuntur. Acta vera: ſed *Præſes* ille *Fronto*, *Proconſul Bithyniæ*, verti debet.

DIE UNDECIMA.

Ruthenè: *Prepodomnc Theodora.*

Græcè: Τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Θεοδώρας, τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ: *Sanctæ Matris noſtræ Theodoræ Alexandrinæ.*

COMMENTARIUS.

Noſtræ Ruthenè Tabulæ, ut & illæ Papebrochii Propyleo præfixæ Maij, decipiunt hic lectorem, & cauſa ſunt earum amanuenſes. Habent enim Πρ. Πρεποδόμνε, ideſt *Confeſſoris*, quæ vox pro maribus tantum Sanctis adhibetur. Aſt non de *Theodoro* hîc agitur *Confeſſore*, ſed de adultera & pœnitente Alexandrina Theodora. Rectè igitur Græci in Baſilii, & Græcorum Menologio dicunt, *Sanctæ matris noſtræ Theodoræ Alexandrinæ*. His monitis, venio ad ejus geſta, quæ ſunt illa celeberrima S. Theodoræ pœnitentis, in quadraginta verſibus Jambicis dodecaſyllabis (loco Synaxarii) appoſita in Menologio Græcorum. Eadem habet Menol. Baſilii: quod *ſub Zenone Imp.*, & quinto ſeculo hæc accidiſſe ait.

Bailletius hac die purum putum hæc fœtum dicit Metaphraſtis, ſub paribus Actis S. Marinæ (de qua 17. Julii) efformatum. Vixerit autem oportet ante Marinam (quæ ſeculo octavo figitur), & ante octavum ſeculum noſtra; & ejus Acta (vel fabulæ) ſint etiam anteriora. Sanctus enim Ignatius Patriarcha Cpolis medio nono ſeculo, ſcripſit Canonem Theodoræ, (qui adhuc canitur in hoc feſto) quinquaginta circiter annos ante Metaphraſtem. Ex quo Canone eruitur, *fuiſſe peccatricem, hinc pœnitentem, & ſub viri habitu egiſſe monachum uſque ad obitum; quo tempore, dum ejus corpus de more lotum fuit, mulier detecta eſt. Jejuniis aſſiduis domuiſſe carnem: Silveſtres herbas pro cibo, marinam aquam pro potu adhibuiſſe: Solis ardorem, rigorem noctis ſuſtinuiſſe: Floruiſſe virtutibus, humilitate, obedientia, & dono lacrymarum: educaſſe puerum pro filio, ei per calumniam a meretrice addictum: Deo interim egiſſe gratias: Sanaſſe attritum a fera beſtia: & beſtiam ipſam oratione enecaſſe: Alium occiſum gladio, ſuſcitaſſe: Lacum ſiccum oratione ſua, aqua repleviſſe.* Hæc evenerint equidem, & ſint ſcripta ante Ignatium, ſeptimo ſeculo, vel octavo. Quid ergo commune cum Metaphraſte, qui poſt 200. annos, ut minus, ea recudit?

Mihi autem, (ut liberè aperiam quid hîc ſentio) mihi, inquam, fundus Marinianorum (etſi illa dicatur Virgo) hæc Acta ſunt Theodoræ; & Theodoræ Alexandrinæ, primaria illa Mariæ Ægyptiacæ, Alexandrinæ pariter peccatricis, etſi non monachi, deſcripta tamquam a Coſma Monacho. Plaſten credo quemdam Johannem Monachum, virum zelo ductum inordinato & præpoſtero, medio ſexto ſeculo: ex cujus officina, Joaſaphatus, Onuphrius, alii ejuſmodi pii *Romanenſes* Mythici, etiam de Monialibus prodierunt: qui Orbem, credentem omnia flagitarent.

DIE DUODECIMA.

Ruthenè: *Autonomu.*

Græce: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Αὐτονόμου: *Sancti Martyris Autonomi.*

COMMENTARIUS.

Autonomus ſub Diocletiano relicta Italia, venit in Bithyniam; & quod ibi multos, in Chriſtum fidem docebat, ab Idololatris, lignis & lapidibus conſummatur. Menologium Græcorum hæc tantum habet: ex quibus habeas Acta vera. Menologium verò Baſilii, quod nonnihil illuminat, habet tenebras. *Autonomus enim perſecutionem Diocletiani declinans, venit in Bithyniam ex Italia; ubi a Cornelio*

exce-

exceptus domi ſuæ , Michaëli Archangelo Templum excitat, in quo Epiſcopum, Cornelium illum ordinat. Prædicat Claudiopoli : tum reverſus ad Cornelium, dum in Templo Archangeli ſacra celebrat myſteria, Ethnici irruentes, fideles in fugam vertunt, ipſumque ad altare crudeliter trucidant . Quis hanc Augiam expurget ? An Autonomus fuit Epiſcopus , quin Apoſtolus alius, qui per orbem Epiſcopos ordinaret? Et Templum Archangelo Michaëli ſub Diocletiano in Ethnica Civitate ? Cornelius equidem non aliunde ſuccurrit fabulæ, quam a vicinia ſequentis diei, in qua de eo agitur, bonum farcimen factus fabulæ. Incerta ergo, & fortaſſe conficta omnia, cæco ſeculo; tantumque ſit verum, *Autonomum ex Italia in Bithyniam ſub Diocletiano fugiſſe & ibi ad altare, quod forſan erat presbyter, eſſe occiſum*. In qua urbe? Dicant Acta hæc precioſa, vel quis divinet, Ego Dauvus ſum, non Oedipus : nec res magni refert.

DIE DECIMATERTIA.

Ruthenè : *Cornelii.*

Græcè : Τοῦ ἁγίου Κορνηλίου ἑκατοντάρχου : *Sancti Cornelii Centurionis*.

Cuncta vera ex Actis Apoſtolorum : falſa alia & commentitia, *ordinatum Epiſcopum urbis Scepſeos* in Myſia, ſub Archiepiſcopo Cyziceno, *cives omnes ex Idololatris*, reddidiſſe Chriſtianos, etiam archontem ejus. Alii eum dicunt Epiſcopum Cæſareæ in Palæſtina; alii Epiſcopum Troadis, quæ urbs ἐστ Epiſcopalis Phrygiæ. Quæ omnia conficta a Civibus harum urbium. Cives enim, ejuſmodi ſibi ſemper adblandiuntur. Bailletius cum Latinis, de noſtro Centurione ſecunda Februarii agit die.

DIE DECIMAQUARTA.

Ruthenè : Budzechénie Uſtiágo Creſta. *Exaltatio Sanctæ Crucis.*

Græcè : Ἡ παγκόσμιος ὕψωσις τοῦ τιμίου, καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ. *Ornatiſſima Exaltatio pretioſæ & vivificæ Crucis.*

Luculenter de his Tillemontius, Pagius, Bailletius, poſt Patres a quarto ſeculo. Præſtat autem etiam noſſe, quæ in Menologiis Baſilii & Nicephori dicunt Græci. Conſtantinus Magnus (inquit illud Nicephori) antequam toto Imperio potiretur, bellum geſſit *Romæ* (ut quidam Hiſtoricorum volunt) *cum Magnentio*; ut alii, *ad Danubium contra Scythas*. Is hoſtium majorem ſuo exercitum conſpicatus, dum pavet, ipſo meridie ſignum Crucis compactum ſtellis cernit, his latinis literis item ex ſtellis : *In hoc vince*; jubetque ſignum ejuſmodi, ex auro ſibi conflari, & ante exercitum duci in hoſtes. Vincit; hinc credit, & cum matre baptiſmum ſuſcipit : Καὶ τῷ εἰς Χριστὸν βαπτίσματι τυχιωθεὶς, μετὰ τῆς οἰκείας μητρός, vel, ut ait Menologium Baſilii : Καὶ βαπτισθεὶς σὺν τῇ μητρὶ Ἑλένῃ : *Et in Chriſtum baptiſmate inædificatus, & cum matre Helena baptizatus*. Mitto alia, quę ſunt nota. Nuperus editor Menol. Baſilii, re diſſimulata, & contra fidem Textus, pro *Magnentio* vertit *Maxentium*; quod non laudo. Idem Menologium, crucem *nocte* viſam, ait, non die ἐν τῇ νυκτὶ: literas ſolas conflaſſe ex ſtellis (ἐξ ἀστέρων), crucem verò ex luce. Inventam Crucem ab Helena, prodente locum *Cyriaco Judæo* (qui *Judas* aliis nuncupatur) Chriſtiano poſtea & Epiſcopo. Nos alibi de Conſtantino Magno, apparitionibus ejus, baptiſmo, & aliis, luculentiſſimo ſeparato opere, verba facimus: nec de falſis Cyriaci actis, operæ pretium ducimus hic tractare.

Bailletius hac die, nihil de Inventione, ſed de jactura Crucis, ejuſque reperatione ſub Heraclio Imp. agi ait; ex his, quæ colligit ex Actis S. Anaſtaſii Perſæ, Chronico Paſchali, Theophane, Suida, Cedreno, & Homiliis Antiochi Monachi Palæſtinæ. Verum antiquius, hac die agebatur feſtum Inventionis : poſtmodum verò a ſeptimo illo ſeculo, (potius ab octavo) hæc dies addicta fuit Exaltationi Crucis ſub Heraclio, & Inventio in menſem Majum rejecta eſt.

DIE DECIMAQUINTA.

Ruthenè : Mucenic Nicita : *Nicetæ Martyris.*

Græce : Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Νικήτα. *Magni Martyris Sancti Nicetæ.*

Barbarus gente, ut Gotthus, genere tamen illuſtris & dives, ſub Coſtantino Magno, trans Iſtrum, nil commune cum barbaris habuit; ſed cum piiſſimis quibuſvis. Ab Athanarico gentis Principe comprehenſus, & cruciatus ob Chriſti fidem, igne Martyrium fecit. De S. Saba Gottho eadem ferme, hæc Menologia, die 12. Aprilis narrant alibi. Acta corrupta dicit Bailletius a Metaphraſte. Baſilii Menologium, a Theophilo Gotthiæ totius Epiſcopo, fidem edoctum ſcribit : Silet Athanaricum. A Gotthis duos ſibi creatos Principes; quorum alter Fritigernus ſtat a Romanis, æmulumque vincit Athanaricum; in cujus ditione vigebat religio Chriſtiana; ibi & Nicetam prædicaſſe. Poſt Imperatoris verò, & Romanorum receſſum, prævaluiſſe denuo Athanaricum, qui Romanorum odio, Chriſtianos eſt perſecutus, & Nicetam poſt multos & varios cruciatus, igni tradidit. Sub *Conſtantino* Magno hęc geſta eſſe falſum eſt : quæ anno 370. ſiſti debebant, & ſub Valente, qui debellavit Athanaricum. *Nobilem* fuiſſe & *divitem* credi poteſt : a Teophilo verò Gotthiæ Epiſcopo converſum eſſe, fieri non poteſt : is enim Nicenę Synodo anno 325. ſedit. Si autem id admittas, ſenem nimium Nicetam, martyrium conſummaſſe tenendum eſt. Severa proinde nimium Bailletii eſt cenſura. Metaphraſtes enim ut plurimum lingua ſui temporis extulit acta Martyrum, & ſi quæ additio in actis illis, eſt antiquior ejus ævo. Reapſe Nicetę Canonem ſcribit S. Theophanes Acroſtichum nono ſeculo, nec alia de eo canit.

DIE DECIMASEXTA.

Ruthenè : *Euphimii. Euphemiæ.*

Gręce : Τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος καὶ πανευφήμου Εὐφημίας : *Magnæ & celeberrimæ Martyris S. Euphemiæ.*

Sub

Sub Diocletiano ob fidem in Chriſtum, igne, rota, aliiſque machinis cruciata, ac Leonibus expoſita, & ex omnibus Dei gratia incolumis, in Theatro animam Deo reddit. Ad verbum ferme breviſſimum Synaxarium. Ex actis antiquioribus Metaphraſte, ſed imputis maxime, & commentitiis: quibus nomen (vel manus) etiam Metaphraſtis, magno apud eruditos eſt præjudicio. Vide illa apud Lipomanum & Surium: & ſequere. (poſt S. Aſterium Epiſcopum quarto ſeculo Amaſenum, in Auctario Bibliothecę Patrum per Combefiſium) Tillemontium tomo 5. Eccl., Ruinartium in Sinceris, & Bailletium in SS. Vitis die iſta. Chalcedone autem paſſa eſt ignem, ubi & nata; ſub Diocletiano, & Priſco Procos. Bithynię.

DIE DECIMASEPTIMA.

Ruthenè: *Sophii. Viri. Nadaſli. Lubòc. Sophiæ. Fidei. Spei, & Charitatis.*

Græce: Τῆς ἁγίας μάρτυρος Σοφίας, καὶ τῶν τριῶν θυγατέρων αὐτῆς.

COMMENTARIUS.

Hæ Italæ, ſub Diocletiano paſſæ ſunt. Productæ Fidei annorum 12. virgiſque cæſæ, mammillæ præciduntur & pro ſanguine fluit lac. Projicitur in ignem, & inde incolumis, capite obtruncatur. Spes annorum decem, taureis cæditur, in ignem mittitur, in ſublime rapta pectitur; tum injicitur in lebetem, ſemper tamen incolumis tandem decollatur. Agapes (ſeu Charitas) annorum novem, ipſa quoque nudata & palo ſuſpenſa ſcalptaque; quod incolumis permanet, ibidem obtruncatur. Earum mater Sophia, poſt tres dies, earum ſepulchro provoluta, animam *Deo reddit*. Quid adhuc ergo, Menologium Baſilij, matrem etiam dicit *martyrem*? Idem Menologium (poſt uſuardum) ait ſub Adriano Imp. Sophiam cum filiabus profectam Romam, & occulte ab Urbis Epiſcopo baptizatas: Charitatem in fornacem injectam, ſed incolumem inde eductam, gladio obtruncatam. Acta, quæ ſunt apud Membriſium ſuriumque, tornata ait Bailletius a Metaphraſte, proinde nullius fidei: præſertim quæ a quodam Joh. Mediolanenſi, tamquam a ſuppare & oculato teſte martyrij, commentis ſcatent, & penitus ficta ſunt. Agape in Menol. Baſilij, injicitur in fornacem, & ex ea incolumis, gladio percutitur. Chronicon Ecchellens Orientale 8. ſeculo Sophiam & filias ſub Adriano & Antonino, tempore Eumenij Epiſcopi Alexandrini, martyrium paſſas tradit.

DIE DECIMAOCTAVA.

Ruthene: *Eumenij*. Eumenij.

Τοῦ ὁσίου, πατρὸς ἡμῶν Εὐμενίου Ἐπισκόπου Γορτύνης, τοῦ θαυματουργοῦ. *S. Patris noſtri Eumenij Epiſcopi Gortynæ Thaumaturgi.*

A pueritia humillimus, Epiſcopus fit Gortynæ terribilem draconem in ſe irruentem lampadibus comburit. Venit Romam: floret ſignis & portentis: hinc pergit in Thebaidem, curatque ſe occulere; ſed ſtatim agnitus eſt. Moritur prope Thebas & pueri Thebeorum, patriæ & ſuo ovili, ejus corpus remittunt. οἱ δὲ παῖδες τῶν Θηβαίων τῇ πατρίδι καὶ ποίμνῃ, τὸ τούτου σκῆνος παραπέμπουσι. Ῥάξος ὄνομα τῷ τόπῳ, ὅπου καὶ Κυρίλλου τὸ σεπτὸν κατέχει σῶμα. *Raxus loco eſt nomen, quæ & Cyrilli venerabile habet corpus.* Cyrilli nempe, Epiſcopi item Gortynæ. Ita M. Græcorum; ſed illud Baſilii, toto cælo ab his aberrat. De Dracone, & itineribus verbum nullum. Dives facultates ſuas in pauperes erogavit; ipſe omnes vitæ ſuæ dies in jejuniis, & orationibus tranſigebat: gaudebat cum gaudentibus, flebat cum flentibus: oculoſque ſemper lacrymis conſperſos circumferebat. Obtrectationibus adverſus quemvis aures nemini accommodabat. Ob hæc a Clero & populo electus Epiſcopus, ſedit annos multos, multoſque populos, quæ ad regnum Cælorum pertinent, docuit: miraculis in vita, & poſt mortem glorioſus. Quid hic *de ſepulto ad Raxum, ubi & Cyrilli corpus ſepultum*? de quo die 9. Julii feſtum agitur. Vide alia apud Bailletium. Canonem Eumenij acroſtichon, nono ſeculo ſcripſit S. Joſeph Hymnographus, in quo eum ut Epiſcopum Gortynæ in Creta inſula & iis ornatum virtutibus, de quibus ſupra, M. Baſilii de Dracone appellat, ita canit Ode 4. Trop. 3. χάσμα μέγα τοῦ δράκοντος τῶν προσευχῶν ἐνέπρησας λαμπάσι, κατὰ σοῦ ὁρμήσαντος ἱερώτατε. De itineribus Romano, & in Thebaidem, Ode 5. Trop. 3. Οἷα πυρσὸς ἐπιστὰς, Ῥώμην φωτίζεις ἐκπλῶν θαύμασι. Od. 7. Trop. 2. Ἡ Ῥώμη τῶν σῶν ἀπολαύσασα καλῶν, δῶρον ποθούμενον τῇ Θηβαΐδι μὴ βουλόμενον, πάτερ ἐκπέμπει Εὐμένιε· ἔνθα γεγονὼς ἀνατέλλεις τοῦ αὐχμοῦ τὴν κατάφυσιν, τῇ ἐπομβρίᾳ τῶν σεπτῶν εὐχῶν σοῦ, ὅσιε. De pueris Thebæis Od. 8. Trop. 2. Ἀμνημονήσαντες τῶν σῶν, οὐδαμῶς πάτερ καλῶν, παῖδες Θηβαίων, τῇ πατρίδι καὶ ποίμνῃ τὴν ἱερὰν σου σορὸν, αἰσίως κατευνάσαντες πέμπουσι, ἐκ τῷ ἐπανόδῳ θαυμάτων βρύει χάρις.

Acroſtichis illa hæc eſt. Εὐχαῖς δίδου μοὶ Χριστὸν εὐμενῆ, Μάκαρ, Ἰωσήφ. *Orationibus tuis*, o beate fac mihi Joſepho clementem Chriſtum. Quod his volo, eſt; ſi qua ſit fabula in his actis, anteriorem eſſe octavo forte ſeculo, certe nono.

DIE DECIMANONA.

Ruthene: Trophimu. Sabbatiu. Dorimedent. Trophimi. Sabbatii, Dorimedontos.

Græce: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Τροφίμου, Σαββατίου καὶ Δορυμέδοντος. *Sanctorum martyrum Trophimi, Sabbatii, & Dorymedontis.*

Sub Probo Imp. Sabbatius Antiochiæ ſiſtitur Vicario (Βικαρίῳ) per quem immaniter cæſus, & carceri conſtrictus, in tormentis emittit ſpiritum. Trophimus crepidis ferreis indutus, & miſſus Synadam exſul cum Dorymedonte, ibi multa paſſus, una cum ipſo capite obtruncatur. Hæc ait, & non plura Synaxarium. Canon eorum, eſt etiam S. Joſephi Hymnographi, nempe iſtud: Τρίφωτον ὑμνῶ Μαρτύρων διαγέαν Ἰωσήφ.

DIE VIGESIMA.

Ruthenè. Euſtathii. Tatiana.

Græce: Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Εὐσταθίου, καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ. *Sancti magni Martyris Euſtathii, & Sociorum ejus*. Canon ejus ſcribitur a Theophane.

COMMENTARIUS.

Acta notiora ſunt, quam ut hic referantur. Sed etiam ea, quæ Combefiſius gr. lat. vulgavit efficta ſunt; etſi ab quinto ſeculo ea vigeant. Miſcuit otioſus author, Jobi fata, & Pauli Apoſtoli in uno Martyre: & nomina forte ipſa, e re conficta ſunt: ut illud *Euſtathii*. Uxor eſt *Tatiana*. Filiorum in Synaxario nomina reticentur. Reapſe in Echo ſecundo, *Euſtathius* dicitur alter *Job*, alter *Paulus*. Putem ergo, ni fallor, Tragœdiam fuiſſe Apollinaris, patris . . . . . Epiſcopi Laodiceni, ante . . . . a quarto ſeculo hinc ſoluta oratione circumlatam. Vide Fabricium lib.8. Bibliothecæ Græcæ. Nec Theophanes in ſuo Canone canit alia. In rubrica Synaxarii, Tatiana ſolum dicitur *Theopiſta*; & filii *Agapius*, & *Theopiſtus*. Num *Tatianam* author, nuncupat *Theopiſtam*; & *Placidam* virum prius dictum, voluit dicere *Euſtathium*? Et num idem dicendum de nominibus filiorum? Ita ſane. Menologium Baſilii habet eadem, idque inſinuat. Sed *Tatianæ* nomen venit ex Metaphraſte. Nos longam exaravimus diſſertationem de hoc martyrio. quæ præſto eſt ut edatur: in qua hiſtoriam diligentiſſime proſequimur, & qui ſub his larvis lateant, cum eruditis communicamus.

DIE VIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Codratu.

Græce: Τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Κοδράτου, τοῦ ἐν Μαγνησίᾳ. *Sancti Apoſtoli Quadrati, qui eſt Magneſiæ*.

COMMENTARIUS.

Antiquus & Polybiſtor iſte, Athenis, & *Magneſiæ*, verbum Domini prædicavit. *Ex Athenis ejus Epiſcopatu* (τῆς αὐτοῦ ποίμνης) ab Ethnicis eductus; poſt multa tormenta, *lapides, & ignem*; tandem ſub *Hadriano* (Αἰλίου) *Aelii Filio*, coronam martyrii ſuſcepit. Menol. Baſilii ſilet ſignata; & ex conflictu apparet falſitas. Ait namque: Urbis Magneſiæ Epiſcopus, orta perſecutione Decii, Magneſia proficiſcitur Nicomediam, martyribus adjuvandis. Comprehenſus vero a Procos. Cæſaream ad Decium adducitur. Ibique ex tormentis omnibus, & ab igne incolumis, obtruncatur. Sub *Decio & Valeriano* M. hoc Baſilii figit martyrium ejus. De eo nil habet Bailletius toto opere: & de Quadrato *Presbytero*, die decima agit Martii.

In Menologio Græcorum hac die agitur etiam de Jona Propheta, & de Jona Sabbaita (M. Baſ. die ſequenti, addit, *Presbytero*) patre *Theodoriti* illius celeberrimi & fratris *Theophanis*, authorum ſub Theophilo Iconomacho Imp. ob Sanctorum Imagines tanta ſunt paſſi. In Menol. Baſilii qui legitur *ſub Leone Caballino*: quod item verum.

DIE VIGESIMASECUNDA.

Ruthenè: Mucenic. Phoca.

Græce: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Φωκᾶ. *Sacroſancti martyris Phocæ*. Canon ejus eſt S. Joſephi hymnographi.

COMMENTARIUS.

Filius Pamphili & Mariæ prope Sinopem (Menol. Baſilii ſilet parentes, ait tantum *natum Sinope*) ab infantia miraculoſus; a Columba, quæ capiti ejus inſedit (Menol. Baſilii addit *per ſomnium*) & coronam impoſuit; & humana voce dixit: *calix* κεκέρασται, *mixtus eſt, & illum oportet bibere*; martyrium ſuſtinendum ſibi præſenſit. Sub Trajano patitur; *gladio, igne*, ξίφει, πυρὶ, conſummatus. Menol. Baſilii ait, Phocam ante Epiſcopatum, profectum eſſe Amaſeam & Asbriſum: & Columbam ei per ſomnium porrexiſſe coronam, his verbis tantum: *Accipe Phoca, finis tui Symbolum*. Poſt multa denique tormenta, abſciſſo capite, in ignem conjectum eſſe.

Eadem die in Menol. Græcorum agitur Τοῦ ἁγίου Φωκᾶ τοῦ κηπωροῦ. *Sancti Phocæ hortulani*. In dyſticho ſequenti, & in Synaxario, dicitur *martyr*. Bailletius de eo agit die 14. Julii; & idem Menol. iterum die 23. Julii. Natus *Sinope*, ad locum dictum *Stepium* (Στεπίον) ſuum opus operabatur; erat Chriſtianus, & innoteſcit Præſidi, vel Principi (κρατοῦντι) miſſos ſatellites non cognitos excipit hoſpitio: quærit quinam ſint, & cur venerint ſuam urbem. Aperiunt hi cauſam adventus ſui: ipſe ſibi ſepulchrum parat, & illis maniſeſtat ſe eſſe Phocam. Quod illis diſplicet, & ipſe eos ſolatur: vadit, & capite obtruncatur pro Chriſti fide. Magnus Aſterius Epiſcopus Amaſenus de eo Encomium texuit, quod habet & Ruinartius. Ex hoc Sinopenſi & martyre, fore aut effictum ſit martyrium alius Sinopenſis & martyris homonymi Phocæ, de quo ſupra; aut ego equidem valde fallor. De hoc hortulano, nihil in Menol. Baſilii, die iſta.

Eadem die ſola rubrica agitur de *Sancta Druſilla martyre, filia Trajani Imperatoris; & cum ea, quinque Canonicarum*. Hæret aqua in hac Druſilla & Sociabus. Menol. Baſilii ſilet; itemque Bailletius.

DIE VIGESIMATERTIA.

Ruthenè: Zachtatic. Preditefi.

Græce: Ἡ Σύλληψις τοῦ τιμίου ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου, καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου. *Conceptio pretioſi, glorioſi, Prophetæ, & Baptiſtæ Johannis*. Canon eſt Johannis Damaſceni. Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ.

COMMENTARIUS.

Breviſſimum Synaxarium e Scriptura. Menol. Baſilii, Zachariam patrem dicit *Prophetam*.

DIE VIGESIMAQUARTA.

Rthenè: Thecla.

Græce: Τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος, ϗ ἰσαποστόλου Θέκλης. *Sanctæ magnæque martyris paris Apoſtolis Theclæ*. Canon Joannis monachi. Late de ea, etſi Acta improbet, Bailletius hac die.

COMMENTARIUS.

Iconienſis, ex matre Theoalia, illuſtri matrona, a Paulo Apoſtolo dum docet domi Oneſiphori, convertitur, ætate annorum decem & octo, deſponſa jam viro Thamiridi. *Deſpicit ignem, in quem ob Chriſtum projicitur* (hæc ſilet Menol.B.) Linquit matrem & Sponſum, & ſequitur Paulum: ubi eſt Antiochus. Piſidiæ, ab Alexandro (M. B. addit *Præſide*) beſtiis & tauris exponitur. Incolumis ab his omnibus, *in diverſis civitatibus Chriſtum prædicat* (ſignata hæc ſilet M.B.) In patriam hinc reverſa, in quodam illorum montium ſecedit (*apud Seleuciam*, addit M.B.) & *petra eam ſciſſa ſuſcipit* (ſilet & hæc M.B. ſed ait, id poſtea compertum; & cum *notarii quidam eam violare cogitarent & auderent, non poſſe*). Hic ea operatur virtutes multas, & nonagenaria tandem obit. Menol. Baſilii præter notata, in Inſcriptione dicit: *Sanctæ Protomartyris Theclæ*. Ait inſuper, *eam traditam in matrimonium, Thamyridi homini opulento*, ad ejus verba, *multos converſos ad Chriſtum*, adjutrice ejus Tryphena, quæ domi ſuæ ipſa exceperat.

Acta ejus, non ſunt genuina, etſi eadem de S. Thecla ſcribat S. Methodius tertio, vel initiis quarti ſeculi martyr, in *Convivio Martyrum*: etſi S. Baſilius Epiſcopus Seleucienſis quarto ſeculo eadem, proſa & verſu ſcripſit, in ſuis operibus græce & latine verſis: ut in Surio duobus libris, ubi eſt & Metaphraſtes. Videndus Dupinius, in Bibliotheca ſelectiori, & Tillemontius tomo 2. Etſi denique de igne etiam canat eadem S. Gregorius Nazianzenus, qui ejus tamen multa genuina conſcribit. Cæterum S. Iſidorus Peluſiota, & Evagrius eam dicunt Protomartyrem fœminarum: & S. Martinus Epiſcopus Turonenſis, teſte Sulpicio Severo in ejus vita, devotiſſimus fuit Theclæ noſtræ.

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè: Euphroſimia.

Græce: Τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Εὐφροσύνης. *Sanctæ matris noſtræ Euphoſynes*. In Rubrica Synaxarii additur: θυγατρὸς παφνουτίου τοῦ Αἰγυπτίου. *Filiæ Paphnutii Ægyptii*. Canon S. Joſephi hymnographi.

COMMENTARIUS.

Synaxarium per jambos dodecaſyllabos. Relicto mundo, & nomine Euphroſynæ, clam patre, Smaragdum ſecedit in monaſterio virorum, in quod, ut vir ingreditur, & Eunuchum ſe ſimulat, ut magis lateat, *labore, oratione & jejuniis carnem domans* (hæc ſilet M.B.) Fruſtra a ſuis quæritur & a patre, per totos annos 38. (M.Baſ. annos 18.) Inventamque non novit: quærit adhuc; Smaragdus dicit *Filiam in cælos translatam. Pater in terram venit, in ſe reverſus, relinquit & ipſe patriam, & vitam; translatuſque eſt ad cæleſtes Sedes*. Hæc ſignata ſilet omnia M.B. Sequitur diſtichon in Paphnutium patrem ejus; & eodem modo: *memoria ſancti Martyris Paphnutii*.

Per otium, multæ ejuſmodi transformatarum efficta fabulæ. Quænam enim hæc delirii eſt inſania, ut virgines virorum cœnobia, ſemper ingrediantur ut larvatæ? Sed ex vicinia alius Paphnutii martyris, & oppoſitione, claret fabula: præſertim cum Menol.Baſilii addat, Patrem monaſterium illud freqnenter adire conſueviſſe, cum Abbate monaſterii, de fuga filiæ ſæpe collocutum: audiente utrumque & ſpectante filia. Sed filia non patrem, pater eam non cognoſcit. Poſt 18. annos incidit in morbum, accerſit patrem, & ſe illi manifeſtat, & obit. Et nihil aliud de patre habet. Etiam Baronius novit, die 1. Januarii, opus eſſe totum Metaphraſtis, vel ab eo deformatum magis.

DIE VIGESIMASEXTA.

Ruthenè: Joanna Bogoslòb.

Græce: Ἡ μετάστασις τοῦ ἁγίου ἐνδόξου, πανευφήμου Ἀποστόλου ϗ Εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. *Tranſlatio Sancti glorioſi, & celeberrimi Apoſtoli & Evangeliſtæ Johannis Theologi*.

COMMENTARIUS.

Filius Zebedæi & Salomis, quæ erat filia Joſephi Sponſi. Joſeph enim quatuor habuit filios, Jacobum, Simeonem, Judam, & Joſephum, & filias tres, Eſtheram, Martam, & Salomen, hanc uxorem Zebedæi. Hoc pacto Chriſtus avunculus erat Johannis, tamquam frater Salomes. Requievit hic in ultima Cæna ſuper pectus Jeſu. Interfuit, dum Judas eum prodidit; dum pendebat e Cruce: ubi in ſua ſuſcipit Virginem. Menol. Baſilii non habet ſignata omnia. Poſt Virginis autem *Dormitionem, Apoſtolis, miſſa ſorte Provinciarum, Johanni obtigit Aſia. Moleſte id fert Apoſtolus: prænovit & in aurem Prochoro dicit, ſe in mari periclitaturum: & reapſe quadraginta dies, & quadraginta noctes, in eo fuit. Appellit tandem in locum Aſiæ, Marmardontem nuncupatum; ubi incidit in Prochorum, qui & ipſe erat periclitatus, & vix ſervatus Seleuciam venerat &c.* Et hæc ſignata abſunt a Baſilii Menologio, ut & reliqua fabularum. Quæ ſunt Acta damnata in Romana

mana Synoda a Gelaſio I. PP. etſi ſub Prochori nomine, diu circumferrentur. Duodecim ferme columnarum, hæc faciunt Synaxarium. Canon cum acroſtichide, nullum authorem profert.

Menol. Baſilii ait, poſt obitum Beatæ Virginis, Johannem veniſſe Epheſum, indeque a Domitiano, relegatum fuiſſe Patmum. Poſt Domitianum rediiſſe Epheſum: translationem ſuam prænoſſe: foſſam ſibi fieri juſſiſſe; in eam ſeſe compoſuiſſe; & ſic a ſuis terra fuiſſe coopertum. Sed paulo poſt, regreſſos ut eum viderent; eum nequaquam inveniſſe. Valvæ æneæ ad Baſilicam S. Pauli extra Romam, anno factæ 1070. forſan Conſtantinopoli, jubente Ildebrando, loci monacho & Abbate, qui hinc Gregorius VII. PP. fuit; Johannem, in ſuo lecto defunctum repræſentant, cum epigraphe iſta græca: Ἡ μετάστασις τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. *Tranſlatio Sancti Johannis Theologi*. Ex quo liquet, parum, aut nihil e Menologio Baſilii, Gregorium deſumpſiſſe, præter titulum. Non hoc autem die, velim notes, ſed ſequenti die 27. Menol. Baſilii, de his agere.

Sane vero Bailletium pudet referre, aut refutare, quæ ſub perſona Prochori & nomine, circumferuntur: & in poſtilla dicit: *Fit terræmotus maximus ſub Theodoſio minore Imperatore. Conſtantinopolitani ſupplicant ab Hebdomo ad campum, & illis*, Sanctus Deus, Sanctus fortis, & Immortalis, *additur ex hæreſi Theopaſchitarum*, qui crucifixus es pro nobis: *quo facto, puer quidam in aerem rapitur; audiſſe ſe, poſtea dicit, ſine appendice illa canticum; & ſtatim obiit: & hic finis illius hæreſis, & terræmotus*. Et hæc ſub Theodoſio minore? Efficta puto omnia in Theopaſchitas; quorum additamentum hoc, ad tempora pertingit Anaſtaſii, & ad annos 511., vel 512. Eam tamen fabulam habet utrumque Menologium Græcorum & Baſilii, die 25. Septembris. A Petro Fullone hoc factum Triſagio additamentum; at Petrus Fullo fuit Pſeudopatriarcha Antiochenus, per vices varias, ab anno 472. ad 486. Duravit hæc hæreſis ſub Anaſtaſio Imperatore uſque ad annum 518. quo mortuus eſt. Ergo ſequenti tempore, confictum oportuit, ut factum Conſtantinopoli hoc portentum. Obiter autem id notavi.

DIE VIGESIMASEPTIMA:

Ruthenè: Calliſtratu.

Græce: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Καλλιστράτου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ. *Sancti martyris Calliſtrati, & ſociorum ejus*. Canon eſt Sancti Joſephi hymnographi. In rubrica Synaxarii dicitur, ſocios fuiſſe 49. μθʹ.

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano hi martyrium faciunt Romæ: Calliſtratus comprehenſus, Tribuno militum ſiſtitur Præſentino. Poſt verbera, & teſtas per quas raptatur, in ſaccum injectus, projicitur in mare. Sed eo incolumi & fracto ſacco; quadraginta milites, qui hæc vident, in Chriſtum credunt, & poſt verbera, in carcerem cum Calliſtrato truduntur: a quo ibi de judicio, & reſurrectione audiunt. Calliſtratus cum illis 45. ejectus e carcere, idola omnia evertit; quo viſo, etiam alii 184. milites credunt. Omnes tandem capite obtruncantur. Quot immiſſæ fabulæ in veritatem. Præter ſaccum & mare, alia ſint vera, ita tamen ſi enarrentur. Captus Calliſtratus, & caſtigatus, in carcere ad ejus ſermones & conſtantiam, alii convertuntur, & caſtigati, in carcerem item compinguntur. Tum turpi miſſione a Tribuno militum ejecti, dum vagantur, idola multa confringunt, & evertunt. Ad hæc viſi incolumes, & a diis illis non fulminati, alii multi (an 184. mihi dubium) etiam in Chriſtum credunt; & cum illis iterum comprehenſis, capite obtruncantur. Baronius eorum martyrium figit ad annum 303. & Lipomanus tomo 6. habet Acta cum iiſdem cicatricibus, habet enim & mare & culeum; nec egreditur cum Romano Martyrologio, numerum illum ſociorum 45. de quo male memor eſt rubrica Synaxarii in ſuo illo 49. multo minus memorant hos alios 184.

Eadem die in Menol. Græcorum agitur de Sancto Ignatio Abbate Monaſterii Salvatoris Chriſti, quod dicebatur *profundi rivi*, τοῦ βαθέος ῥύακος, ſub Nicephoro & Johanne Imperatoribus; oriundi ex Provincia ſecundæ Cappadociæ. Hinc arguas, monaſterium illud celebre, in 2. hac Cappadocia fuiſſe: inter annos 963. & 975. Imperatores namque Nicephorus Barda Phoca, & Johannes Zimiſſa, ab anno 963. ad 985. imperarunt. Tu vide ad diem ſeptimum hujus menſis, S. Lucam, hujus monaſterii Abbatem tertium.

DIE VIGESIMAOCTAVA.

Ruthenè: Chariton.

Græce: Τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν, καὶ Ὁμολογητοῦ Χαρίτωνος. *Sancti Patris noſtri, & Confeſſoris Charitonis*. De eo Bailletius 13. Aprilis.

COMMENTARIUS.

Sub Aureliano Imperatore ex Iconio urbe Lycaoniæ, Hypatio ſiſtitur ut Chriſtianus, & a quatuor Satellitibus verberatur, & igne uſtulatur. Poſt mortem Aureliani dimiſſus, in ſolitudine incidit in latrones, a quibus vinctus, ſed liberatur. In vas *cretaceum* (ὡς τὸ κεράμιον) in quo latrones vinum habebant, ἔχις, *vipera* ingreſſa, venenum lingit: illi bibunt, & obeunt. Ipſe ſpeluncam illam, Eccleſiam facit, monachos colligit, & monaſterium ibi conſtruit, & aquam e ſumma petræ illius educit. Miraculis illuſtris, in ſanctitate multa obit in pace. Unum his Actis abeſt, tempus: nam ante Pachomium, nullum do monaſterium. Vel illud obeſt, ejus ſub Aureliano martyrium. Canonem ejus alii Theophanis, alii Johannis monachi dicunt: hinc & acroſtichidem.

Die vigesimanona.

Ruthenè: Cyriacu.

Græce. Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Κυριακοῦ τοῦ ἀναχωρητοῦ. *Sancti Patris noſtri Cyriaci Anachoretæ*. Canon ejus cum acroſtichide, eſt Stephani Sabaitæ.

COMMENTARIUS.

Corinthius ſub Theodoſio Magno Imperatore, ex *patre Johanne presbytero Eccleſiæ Corinthiæ, & matre Eudocia*; ἀνεψιὸς Petri Epiſcopi, adhuc inter lectores militans, annorum 18. proficiſcitur Hieroſolymam, & a Sancto Euthymio fit monachus. Ad magnam exercitationem, jungit pugnas contra Origeniſtas. Poſt ſanctiſſimam vitam obiit in profundiſſima ſenectute. Multa miracula eſt operatus; & Deo revelante multa futura prophetavit. Annos aliquot inhabitavit Lauram Charitonis. Naſcitur anno 441. Acta, quæ falſo tribuuntur Metaphraſti, ſunt authoris Synchroni, etiam judice Bailletio. Latina dedit Surius; græcolatina vero Patres Benedictini S.Germani, exverſione Patris D.Johannis Pouget in ſuis Analectis Græcis editis anno 1658. Bulteanus in ſuo Monaſtico Orientis, ea Cyrillo tribuit Scythopolitano, qui ea ſcripſit ſanctorum Euthymii, Sabbæ, & Johannis Silentiarii. Etſi in ipſis mentio fiat cum elegio Cyrilli: cui addita conſtat a Metaphraſte.

Die trigesima.

Ruthenè: Grigorii.

Græce: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Γρηγορίου τῆς μεγάλης Ἀρμενίας. *Sacroſancti martyris Gregorii Magnæ Armeniæ*. Canon ejus cum Acroſtichide, authorem non prodit ſuum: In quo tamen nil portentoſum; etſi *Teridatem dicat, alioſque plurimos convertiſſe*.

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano Parthus genere, filius Anaci, conſanguineus *Cuſaro* (Κουσαρῷ *Choſroe*) Regi Armeniæ; a Teridate comprehenſus, ut Chriſtianus, multa patitur. Ubi vero innoteſcit Regi, eum eſſe filium Anaci, qui dolo occiderat patrem ſuum; ligatis & manibus & pedibus ipſum mittit ad urbem Ararat; ibi in profundam (λάκκον) *foveam* projicit, plenam feris beſtiis, & reptilibus (ἑρπετῶν). Quindecim ibi annos vivus manet, a quadam vidua clam nutritus. Teridates evadit fatuus (παραφρονήσαντος) ſuas ipſius carnes mordet, montes petit, ibique paſcitur inter ſues. Soror autem ejus *Cuſaroducta* (Κουσαροδούκτα id eſt, Choſrois filia) in ſomnium videt, auditque hanc vocem: niſi Gregorius ex lacu (ex *fovea & carcere*) exeat, non ſanabitur Teridates. Exit ergo ſic Gregorius, baptizat omnes, etiam Teridatem, qui mox ſanatur; fit ipſe Epiſcopus, Eccleſias conſtituit in Armenia magna; & tandem in pace, ad Dominum properavit. Totidem ferme ad verbum, ejus recitat Synaxarium.

Choſroes ille fuerit, quem vicit Cæſar Galerius; ſed Acta primogenia, fabuloſa. Bollandus die 18. Aprilis pag.532. & die 16. Maii pag.506. opinatur ſcripta, & prolixius a quodam *Agathangelo*, quem faciunt æqualem ſancto. Quod improbat Bailletius, ea eſſe contendens omnia Metaphraſtis; inquiens, *que la verité de l' hiſtoire, y eſt tellement obſcurcie, que l' on n' y peut preſque rien decouvrir de probable, qu' avec le ſecours d' Euſebe, & de Sozomene pour deux endroits ſeulement*. Videndus & Tillemontius Art.9. Perſecutionis Diocletiani. Pater Antonius Bonuccius, nuperus author Romanus, in iis labyrinthis miſere circuit & intricatur. Ea Surii ſervantur græca in Vaticana Bibliotheca: ea ego conſului; & ſunt eadem prorſus omnia.

Acta dicunt, ipſum *nutritum in Cappadocia*, hinc rediiſſe in Patriam, in Armeniam majorem. Sozomenus lib.2. cap.8. ait, Teridatem Regem, miraculoſe converſum ad Fidem, edictum propoſuiſſe ſuis, ut libere ferent Chriſtiani. Et Bailletius recte notat, ante prædicationes Gregorii in Armenia magna, *Maruzanem Epiſcopum* prædicaſſe ſub *Decio*, ex Euſebio lib.6. cap.46. Vixiſſe ſub *Maximiano Daza*, qui quod Armenia fere tota erat Chriſtiana, & Deos colere renuebat, in eos movit bellum, *mortuo jam Teridate*; ſed infelici eventu ex Euſebio libro 9. cap.8. Tum Gregorium a Leontio Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ, ordinatum Epiſcopum, rexiſſe Armeniæ Eccleſias, prædicaſſe vicinis populis, uſque ad mare Caſpium, & Caucaſum; in pace tandem obiiſſe. Unum diſplicet; Bailletium tenere, ante Conſtantini Imperium eum vixiſſe, & obiiſſe. Qui anno 317. rerum Orientis potitus, & Occidentis anno 313. ſcribit, nominatque in Codice Theodoſi Regem Armeniæ.

Eodem die in Menol. Græcorum, de ſanctis martyribus agitur, Ripſimia, Gajana, & aliis 32. virginibus, *quæ erant moniales in monaſterio*. Gajana erat vetula; ſed Ripſimia juvencula, pulchra, & nobilis. Eam deperit Teridates, & abducit. Ad turpia ſollicitata, virtute Dei evadit. Teridates reſtat ut mortuus (inſanit, fit *fatuus*) ſed ejus milites eam fugientem comprehendunt, vinciunt, & linguam ei præcidunt; corpus urunt, oculos eruunt, & obtruncant. Cum ea paſſi ſunt viri 70. & virgines 32. Cajanæ διεσπάρη τὴν αὐχένα (*cervix diſtracta eſt*) & facta eſt tamquam uter (detractam enim pellem uſque ad mammas habuit) lapidibus contrita; tandem capite obtruncatur. Fabulæ undique & affluenter ſcatent.

Mihi Gregorius eſt alius quidem, ab illo Gregorio Thaumaturgo, Epiſcopo Neoceſareæ, tertio ſeculo, diſcipulo Origenis, & rei teſtis eſt Socrates, quem excripſimus ex libro 4. cap.16. Qui Gregorius ante Epiſcopatum, multa vere ob Chriſtum paſſus eſt. Teridates ille, Rex eſt Armeniæ incerti nominis; a quo eſt detentus in *carcere* (qui fit ille *lacus*, & *fovea*) ad multos annos, Chriſti cauſa, etiam ita, quod erat perſona

ſona illuſtris, & iſto etiam, ex genere Parthorum exciſi Imperii. Vide ſub Origene Teridatem fuiſſe Armeniæ Regem: quod habet Theodoretus. Sed multos novimus Armeniæ Reges, Teridatis nomine nuncupatos. *Carcerem* Gregorii oſtendit vetula, quæ neceſſaria ad vitam Gregorio miniſtrat. Teridates in montibus inter ſues paſcitur, etiam ſuino capite (ut pictores etiam voluerunt), ex cataſtaſi poetica, petita facile ab illa Nabuchodonoſor; quam tantum credimus ex ſcriptura. Ripſimia, & Cajana ſint virgines, *non autem moniales in monaſterio*) tentatæ in fide ſolum, lingua illi præciditur; corpus facibus, aut aliter igni comburitur, eruuntur oculi, obtruncatur. Cajanæ ſua tormenta: item & reliquis viris ſeptuaginta, & fæminis 32. per diverſa martyria, ſub eodem Rege. Qui demum a Gregorio converſus fit: & ipſe idcirco a Leontio Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ Metropolita, Neocæſareæ Epiſcopus ſit ordinatus. Quæ extra has notas ſunt, prorſus indignæ fabulæ: non ergo ex uno Gregorio facti duo; ſed *vere duo*, in *tertio*, *quarto* que ſeculo; & uterque Thaumaturgus. Non erant enim ſine neceſſitate duoentia unienda.

Sed de his diatribam longiorem, ſuo loco in hoc opere, alibi faciemus; ubi luculenter de Regibus majoris, minoriſque Armeniæ; quotquot ad noſtrorum temporum notitiam pervenerunt, diſſeremus.

MENSE OCTOBRI.

DIE PRIMA.

RUthene. Boſru Bogondici. *Patrocinium Beatæ Virginis*.

Græce: Τοῦ ἁγίου ἀποςόλου Ανανίε ἐκ τῶν ό. *Sancti ex numero 70. Diſcipulorum, Apoſtoli Ananiæ*.

COMMENTARIUS.

Utrumque Menologium hac die, non de Patrocinio agit B. Virginis, ſed de S. Anania uno ex ſeptuaginta diſcipulis, qui Paulum apoſtolum baptizavit (ex Actis Apoſtolorum) quem Menolog. Baſilii, a Petro & Andrea Apoſtolis, ordinatum, ait, Epiſcopum Damaſci.

Agunt etiam de Michaele Abbate monaſterii, *Sobe* nuncupati, ut conſtat ex Menol. Græcorum, & de triginta ſex pene monachis Sebaſtenis, qui ſub Conſtantino & Irene Imperatoribus, ab Alim Amira Saracenorum, martyrium paſſi ſunt. Agunt præterea de ſancto Romano Melodo confeſſore; qui ſub Anaſtaſio Imperatore, *Contacia* mille ſcripſit. Denique agunt de S. Domnino martyre, qui ſub Maximiano Imperatore, Theſſalonicenſis, Theſſalonicæ martyrium fecit.

Noſtræ vero Ruthenæ Tabulæ, *Patrocinium* tantum B. Virginis celebrant: de qno, ut viſum, altum ſilentium in utroque Menologio. Mirandum equidem in re, quæ (ut ex ſequentibus patebit) ſpecialiter Conſtantinopolim ſpectabat: idque pariter in Ephemeridibus Papebrochii. Sed ejus interpres Belga, legit: *Protectio Virginis Mariæ a ſaxea pluvia*: interpres vero Poſſevini, vel Poſſevinus ipſe: *Coronatio Beatæ Virginis*, dictitavit. Uſtavum Ruthenum, quod opus eſt nuperum, adſtruit: *Patrocinium Deiparæ Conſtantinopolis a Saracenis*. Cuinam horum credimus? Cogitabam dudum, quandonam acciderit hæc *Protectio*: obverſabaturque animo annus 672. quo Conſtantino Pogonato Imperatore, Saraceni terra marique, Conſtantinopolim ad ſeptennium obſederunt. Sed horum claſſis virtute militum, arte Callinici, celeberrimi mathematici, conſumpta fuiſſe dicitur *igne Græco*. Hoſtes vero, ut ad ſua incolumes redirent, annuo tributo, aliiſque iniquis conditionibus, pacem aſſecuti eſſe dicuntur: ut S. Theophanes habet in ſuo Chronico. Hæc prima obſidio a Saracenis.

Secunda ab iiſdem anno 717. & 718. Leonis Iſauri anno primo. Et ibi Patrocinium Virginis; ibi in barbarorum claſſem grando ignita, dum ad ſua redibant. Vix annum imperat Theodoſius III. Imperator Adramyttenus, cum Saraceni parata claſſe navium 1800. Omari Caliphæ juſſu, ductore Solimano, adnavigant Syria, obſidentque Conſtantinopolim. Exercitus Orientis, Theodoſio tanto oneri impare, hortatu Artabaſdi Ducis Armeniæ, Leonem Iſaurum acclamat Imperatorem: & Theodoſius, pacato animo, ſceptra, quæ invitus ſuſceperat, deponit. Interim Saraceni terra marique circumſedent Conſtantinopolim: ſed diuturnæ obſidionis pertæſi, & igne Græco, firigore, fame, & peſte acerrime preſſi; ſummo Omari dedecore, ſolvere coacti obſidionem, repetunt domum ſuam. Rem celebrat Menol. Baſilii die 15. Auguſti. Noſque in piorum gratiam, verba ſaltem latine, remur eſſe exprimenda.

COM-

COMMEMORATIO EJUS,

Quæ, Dei miſericordia evenit, ſubverſionis Agarenorum.

SUB Leone Iſauro, multitudo magna Saracenorum venit, & terra marique circumdedit obſidione Conſtantinopolim. Cum viderent autem, Imperatorem neceſſitate coactum, cum eis ad pacta deſcendere; dixerunt, ſe præſidium etiam imponere velle urbi. Sed Dominus, qui ſuperbis reſiſtit, eorum conſilium fecit irritum. Videns enim eorum Dux, quod nihil proficiebat; poſtulavit, ut ſibi ſaltem liceret per Boſphori Portam, equo inſidenti ingredi. Verum ſuis aliis citra noxam intrantibus; ejus ſolummodo equus ſeſe erigens; intra minime pervadebat. Tunc ille ſublatis oculis, & ſupra Portam Deiparæ viſa Imagine; id ſibi accidere intellexit, quòd in ipſam blaſphema dixerat. Re itaque infecta reverſi ſunt; cumque ad Ægeum mare cum claſſe perveniſſent; ignita grandine perierunt: ὑπὸ χαλάζης πυράδους ἀπώλοντο.

Hæc Menolog. Baſilii: quod obſtipa brevitate ſua veritatem rei geſtæ ita obtruncat, & pervertit; ut veriſimilitudinem etiam omnem perdat. Malos ſemper Epitomatores, Græcos expertus ſum, & pauciſſimos fingendi non amatores, & fabulandi etiam puerilia & ineptiſſima. Enucleatius ergo, & ut reapſe omnia acciderunt, Menol. Græcorum narrat, ſed die 16. Auguſti: quo die & ipſum celebrat. Do itaque, & Græca item afferre hic non gravabor, futura uſui eruditis: nempe, ut ex eodem fonte petita, invicem ſuppleantur.

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἀνάμνησιν ποιοῦμεν τῆς περὶ ἡμᾶς μεγίστης ἀνυπερβλήτου φιλανθρωπίας, ἣν ἐδείξατο τότε, ὁ Θεὸς ἀποστρέψας μετὰ αἰσχύνης τοὺς ἀθέους Αγαρηνούς, μεσιτείᾳ τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας.

Ἐν ἀρχῇ γὰρ τῆς βασιλείας Λέοντος τοῦ Ισαύρου, τοῦ καὶ Κώνωνος, ἀπλῆθεις πλῆθος Σαρακηνῶν διὰ πλοίων, τὸν ἀριθμὸν χιλίων ἐννακοσίων, κατὰ τῆς μεγίστης ταύτης Κπόλεως, πολιορκήσας αὐτὴν. Καὶ δὲ τοῦ βασιλέως προθεμένου δοῦναι αὐτοῖς πάντα, αὐτοὶ ϗ φύλακας τῇ πόλει ἐγκαταστῆσαι ἀπῄτουν. ὄντων εἰς ἀπορίαν τῶν πραγμάτων ὄντων, τῇ Θεοτόκῳ προσέπιπτον, ἱκετεύοντες ἐπαμῦναι ϗ βοηθῆσαι τῇ πόλει αὐτῆς, ϗ διασῶσαι αὐτὴν κινδυνεύουσαν. Ακούει τούτων ἡ Θεομήτωρ, ϗ πρῶτον μὲν τὸν ψιλῷ ὀνόματι, Σοφίαν, τὴν τοῦ Θεοῦ μεγάλην ἐκκλησίαν καλέσαντα, ϗ τὴν πόλιν Κωνσταντίαν, Αγαρηνὸν, εἰς βέθρον σὺν τῷ ἵππῳ κατακρημνίσασα, τῷ θανάτῳ παρέπεμψεν. ἔπειτα δὲ τὸν ἐφ᾽ ὑψηλοῦ ἀνελθόντα κηρύξαι τὴν μιαρὰν αὐτῶν προσευχὴν, τῷ ὀλέθρῳ παρέδωκε κατακρημνισθέντα ἐκεῖθεν, ϗ τοῖς Βουλγάροις δὲ συμβαλέσθαι ἐφκονόμησε. ϗ δισμυρίους Σαρακηνοὺς κατασφαγῆναι, ϗ τὰ πλοῖα αὐτῶν, ἄλλα ἀλλαχοῦ διασκεδάσασα, ἀφανισμῷ τελείῳ παρέδωκε. ϗ εἰς τοσαύτην ἀνάγκην λιμοῦ περιέστησεν, ὡς σαρκῶν ἀνθρωπίνων ϗ ἑρπετῶν ϗ μυῶν, ϗ τῆς ἰδίας κόπρου μεταλαβεῖν. Σουλιμᾶν δὲ τὸν πρῶτον αὐτῶν, ϗ αἰδεσθῆναι τὴν ἄχραντον εἰκόνα αὐτῆς πεποίηκε, ϗ πεζὸν ἐν τῇ πόλει εἰσελθεῖν παρεσκεύασε, καὶ τῆς προπετείας, ϗ αὐθαδείας ἑαυτοῦ καταγνῶναι. Διὰ λιμοῦ γὰρ ϗ λοιμοῦ, ϗ ναυαγίου πλῆθη πολλὰ τῶν μιαρῶν Αγαρηνῶν καταπεσεῖν ποιήσασα, τὴν ἑαυτῆς πόλιν, κραταιᾷ παλάμῃ διεσώσατο.

Eadem die commemorationem facimus maximæ Dei miſericordiæ, quam nobis oſtendit, quum in turpem fugam vertit impios Hagarenos: intercedente Sanctiſſima Regina noſtra, Dei genitrice, ſemperque Virgine Maria.

In principio enim Imperii Leonis Iſauri, qui & Conon eſt appellatus; multitudo Saracenorum, cum navibus mille numero & nongentis, contra maximam hanc urbem Conſtantinopolim advenit; eamque obſedit. Cumque Imperator cuncta eis dare quæ vellent, ut abirent, propoſuiſſet; ipſi præſidium etiam urbi imponere poſtularunt. Dum ergo noſtri, conſilii inopia laborarent; Deiparæ ſupplices prociderunt, ut ſuæ ſuccurreret civitati; eamque defenderet, & a periculo liberaret. Audit hæc Dei mater; & primum quidem Hagarenorum, qui magnam Dei Eccleſiam, Sophiam, ſolitario nomine appellaverat; urbemque dixerat Conſtantiam, in foveam cum equo præcipitem egit, & morti tradidit: hinc & alium, qui fœdam eorum orationem, locum excelſum aſcenderat proclamatum, interitui dedit exin dejectum: Tertiò, in Bulgaros incidere illos permiſit, qui eorum innumeros trucidarunt. Tandem eorum naves, aliæ alio diſperſæ, omnes prorſus diſparuerunt; eos vero ad tantam famis neceſſitatem redegit, ut humanis carnibus, & ſerpentibus, & muribus, & proprio ſtercore veſcerentur. Solimanum autem eorum Ducem, & immaculatam ſuam Imaginem venerari fecit, & pedeſtrem, in urbem ingredi, voluit, & ſuam infamiam, fatuitatemque cognoſcere. Fame ita, peſte, & naufragio, ut nefandorum multitudo magna Saracenorum caderet, operata, ſuam civitatem Beata Virgo potenti ſervavit manu.

Hactenus Synaxarium; ſine *Stichera*, ſine *Tropario*, ſine *Canone*; ſine aliis, unde illuceſcerent plura hiſce. Cogitabam itaque, An & hæc *Protectio* eſſet illa, de qua hac die, noſtræ Ruthenæ Tabulæ loquerentur. Quadrarent equidem omnia, etſi dura videretur translatio hujus *commemorationis* apud Ruthenos, a die 15. (vel 16. Auguſti, in qua agunt de dormitione beatæ Virginis, ad diem iſtam Octobris primam. Verum, nec eam eſſe deprehendo, ex Trypholigio Rutheno, & Guſtavo; apud quos die iſta ſub hac epigraphe, tempus, & rei ſeries innoteſcit:

Protectio Sanctiſſimæ noſtræ Dominæ, Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ. Quod feſtum inſtitu-tum

tum eſt, diebus Leonis ſapientis Imperatoris, anno DCCCCXI.

In Tryphologio, ita ſequitur Synaxarium.

Hac die colimus feſtum Sanctiſſimæ Dominæ noſtræ, Dciparæ & ſemper Virginis Mariæ: confitentes, quoniam Sanctiſſima Virgo orat aſſidue, & orare non ceſſat pro humano genere; potiſſimum vero pro orthodoxis Chriſtianis. Hoc enim in imperante urbe revelatum eſt, etiam beatis, ſanctiſque Andreæ & Epiphanio; qui Sanctam Deiparam in Eccleſia, quæ eſt in Blachernis, viderunt in aere cum Angelis, & cum præcurſore, & cum Theologo Johanne, aliiſque ſanctis multis; orantem ſuum enixe filium pro univerſo orbe. Dixitque Sanctus Andreas Sancto Epiphanio: Vides ne Reginam & Dominam omnium orantem? Ille vero reſpondit: video, ſancte Pater, & obſtupeſco. Puriſſima autem Virgo, venerabili ſuo pallio coruſcante pluſquam ebur, populum in Eccleſiam præſentem contegit; & teuerrimæ matris more, Creatorem & filium ſuum deprecans, miſericors & clementiſſima hæc verba pronunciabat: ſuſcipe, Rex cæleſtis, omnem hominem, qui te glorificat, & tuum Sanctum invocat nomen. Sanctifica omnem locum; ubicumque ſit memoria mei nominis: & clarifica, qui clarificant te: & qui peramanter colunt me matrem tuam: ſuſcipiens omnes eorum preces & vota: & a cunctis malis & periculis eos ſolvens. Igitur, & nos quoque, Fideles, Advocatæ noſtræ clementiſſimæ, ſupplices ſic dicamus: Prout tu vis, puriſſima Domina, venerabile Protectionis tuæ Feſtum exorna; ut in te, qui glorificant te, exſultent, tuas cernentes celebrari ſolemnitates. Et ſicut olim benigne gentes præſentes in Eccleſia contegiſti; ita & nunc, nos peccatores famulos tuos, Præſidio miſericordiæ tuæ protege, conſilia deſtruens cogitantium nobis mala, & Filium tuum, Deum verò noſtrum, Jeſum Chriſtum exora; ut omnes, qui cum timore & fide, ad ipſum confugiunt & ad te, ſervet: quandoquidem in te deſenſio eſt, & Protectio Chriſtiani populi; quod ſperamus.

Olim ergo (putem aliquot ante annos) facta hæc viſio beatis illis Andreæ & Epiphanio monachis mihi incognitis: ſed indubie Beatæ Virgini addictiſſimis: & ſub extremis Leonis Sapientis, VI. hoc nomine Imperatoris; ſi verè anno 911. id acciderit, *Commemorationis* hoc feſtum eſt inſtitutum. A Sancto Nicolao Myſtico Patriarcha, an ab Euthymio Syncello, intruſo? Indubie a Nicolao Myſtico, tunc reſtituto: etſi non exiſtimem, Protectionem indere ob Saracenos, qui cladem magnam circa Conſtantinopolim, Duce apoſtata Leone Tripolita, fecerunt anno 904. quod hujus Author Synaxarii obliviſci non potuiſſet, & meminiſſe oportebat. Interim unum adhuc admiror maxime; Feſtum a Græcis Conſtantinopoli inſtitutum, in eorum Menologiis, & Menæis non inveniri; agi tantum apud Ruthenos. Fortaſſe tamen, quod Græci, alias per annum, Protectionis feſta B. Virginis celebrabant.

DIE SECUNDA.

Ruthenè: Cvprianu. Iuſtina.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Κυπριανοῦ καὶ Ἰουστίνης: *Sanctorum martyrum Cypriani & Juſtinæ.*

COMMENTARIUS.

Sub Decio Imperatore, Syrus Antiochenus cum Juſtinam virginem, ab Optato Epiſcopo baptizatam pro Ida juvene, magicis artibus, ad Venerem ſolicitat; in Chriſtum credit, & tandem una cum ipſa Damaſci obtruncatur. Acta ejus Heroico carmine, libris tribus, medio quinto ſeculo, Eudocia Imperatrix uxor Theodoſii junioris, expreſſit. In quibus Idas ille dicitur Aglaides, & martyrium feciſſe, *ut traditur*, ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus; Juſtina Damaſci, Cyprianus verò Nicomediæ. Photius eorum Epitomen, in ſuo Myriobiblo dedit; quæ forſan Eudocia, ex bono fonte derivavit. Sed quis ille Optatus Epiſcopus Antiochenus, quum conſtet S. Babylam ſub Decio, tunc ſediſſe. An Fabius ejus ſucceſſor, *Optatus* etiam nuncupatus eſt cognomento? Acta per Eudociam, *Archiepiſcopum*, eum faciunt Antiochiæ, & Anthimi ſucceſſorem: ex quo lapſus Authoris, qui ſcripſit Acta, aut Photii excerptoris deprehenditur (vel ejus exſcriptoris) pro *Nicomedia*, ſcribentium Antiochiam; ubi ſane ſub Diocletiano Anthimus loci Epiſcopus paſſus eſt. Nec immerito ſudores Tillemontii, Bailletius miſeratur; quod *Antiochiam*, aliam quàm iſtam Syriæ, reponenda hic Antiochia, ſeſe quaquaverſum torſerit. Primus ego excogito *Nicomediam*. Cujus etiam civitatis, breviſſimum poſt Anthimum, Archiepiſcopatum geſſerit Cyprianus: quandoquidem eandem Diocletiani perſecutionem, ambos ex his apparet, eos occupaſſe.

Sed hæc & alia, & hujus confuſio Cypriani, cum celeberrimo Africano, (unde allucinatio nata ſub *Decio* eos paſſos) jam tum a Nazianzeno & Prudentio, videnda ſunt apud Tillemontium, & Bailletium; qui Poema & fictionem, in his omnibus ſuſpicatur, quàm vocum confuſionem. Nec omittendi, Ruinartius in ſinceris, & Sollerius ad Uſuardum: in primis vero Acta Cypriani Chartaginenſis, poſt nuperam editionem ejus operum, Oxonienſem, aliosque recentiores. Fictionem & ego judico, & Poema forſan Apollinaris, tum ob tot ſphalmata, & errores hiſtoricos, tum quod in ſuis nominibus aperta appareat fictio manifeſta, & pro perſonis, ficta omnia aſſumenta: & multa abſint, ut nomen Præſidis, & aliæ circumſtantiæ: quæ in veris, præſertim apud Poetam, deeſſe nunquam oportuiſſet. Ita dico: etſi martyrii admitto ſolam *Paſſionem*, quamvis ignotam.

DIE TERTIA.

Ruthenè : Dionyſii.

Græce : Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Διονυσίου Ἀρεοπαγίτου Ἐπισκόπου Ἀθηνῶν : *Sacroſancti Martyris Dionyſii Areopagitæ Epiſcopi Athenarum.*

COMMENTARIUS.

Miſcella Actorum : & idem Dionyſius Athenarum Epiſcopus, & Lutetiæ Pariſiorum : & hæc eſt origo confuſionis. Michael Balbus Imperator, anno 827. dono miſit Ludovico Pio Romanorum Imperatori, opera, quæ ſub nomine Dionyſii Areopagitæ circumferuntur : & hinc occaſio, ut Ludovicus anno 834. Hilduino Abbati S. Dionyſii Pariſiorum (qua in Eccleſia, tunc poſt depoſitionem, Imperii inſignia reſumpſerat) præceperit, ut ex Græcis Latiniſque Authoribus, vitam S. Dionyſii concinnaret. Iſque Hilduinus, Author fuit confuſionis : dum quæcumque erant Athenienſis, ad unum traxit Pariſienſem. Wandelbertus Diaconus, monachus Prumienſis, & magiſter Uſuardi, primus poſt Æneam Epiſcopum Pariſienſem (ut conſtat ex Epigraphe, cujuſdam epiſtolæ) errorem ſecutus eſt : quem tamen nec Ado, nec Uſuardus in ſuis Martyrologiis ſunt amplexi ; forte quod Hilduini rationes ſibi non probarentur ; Athenienſem hac die ; Pariſienſem vero die 9. hujus apponentes. Græci vero Gallos, poſt decimum ſeculum, etiam ſunt ſecuti ; & hinc hæc eſt Miſcella & confuſio ; non in Menologio Baſilii, ſed in illo Græcorum, & in libris etiam Ruthenorum. Quæ deinde poſt Gallos, & Græcos, & Ruthenos, in univerſam Occidentis Eccleſiam eſt diffuſa.

Porrò vero, ſi a Gallis initium, & ab iis iſta confuſio cœpit ; abiiſdem præterito ſeculo, poſt multa diſſertationum certamina, inter eruditos illarum partium, diſcriminatio duorum Dionyſiorum pariter eſt exorta : quam nemo nunc non eruditior non amplectitur. Eruditiſſimus Sirmondus, magnum, ne dum Societatis Jeſu, ſed & Eccleſiæ ornamentum, ſcripſit *de duobus Dionyſiis* ; Launojus eadem agitavit, in vita *S. Dionyſii Pariſienſis*. Hos ſequuti ſunt, Morinus, Dallæus, Pearſonius, Tillemontius, Dubois in *Hiſtoria Eccleſiæ Pariſienſis*, Pagius, Dupinius, Bailletius, Cl. Sollerius *in Uſuardum*, Caveus, Labbæus, alii.

Scottus (in *Photii Bibliotheca*) Bellarminus, Baronius, fuerunt ante hæc lumina rationum. Demirandus vero eſt Holſtenius, qui pro Hilduino, poſt tot contraria lumina ſe obſtinavit. Quæſtio autem renata eſt ſub Leone PP. IX. ſed ſtatim friguit : & hinc ſub Innocentio III. cum hic ad Abbatiam S. Dionyſii Pariſienſis, Corpus S. Dionyſii Areopagitæ, tunc Conſtantinopoli Romam advectum, tranſmiſit : tacite monachos ſic erudiens, diverſum ab Areopagita, ſuum eſſe Dionyſium Pariſienſem ; qui duo utique corpora non habebat. Sed mortuo Innocentio ; monachi corpus alius ſancti martyris ſibi miſſum dictitantes, in pacifica poſſeſſione erroris, cum reliquiis illis continuarunt.

Quod ad Paſſionem ſpectat Athenienſis, Euſebius, qui primum eum Athenarum Epiſcopum ſiſtit, ex epiſtola Corinthiorum, ſecundo ſeculo Epiſcopi Dionyſii ; eam non narrat. Sed ex Apologia Ariſtidis, *ſub Hadriano Auguſto*, Ado, & Uſuardus deducunt ipſum poſt multa tormenta, martyrio coronatum : quod Græci ante nonum ſeculum ; *igne & Athenis*, fuiſſe conſummatum tenebant. Menologium Baſilii, Primum Athenarum Epiſcoum eum quoque facit ; & magiſtrum ejus S. Hierotheum ; de quo ſequenti die, & num noſter fuerit, hoc pacto, ſecundus Epiſcopus Athenarum. Noſter Athenis cum duobus diſcipulis comprehenſus, poſt multa tormenta, penes allatos Authores, capite eſt obtruncatus. Suis eum manibus, ad paſſuum duo millia, ſuum caput detuliſſe ; depoſuiſſeque in manus obviæ Chriſtianæ ; non primus, ſed antiquior author eſt Hilduinus, qui pridem exeodem corrupto fonte traxit ad Pariſienſem Epiſcopum, dum Pariſiis Acta ſcripſit. Sed de his ſatis. *Sub Hadriano*, ſcripſit Ado, ſub *Domitiano* potius, Bailletius *paſſum* vellet.

Unum addo, in quinta & ſexta Synodo Æcumenica, multa Dionyſii afferri, tanquam Epiſcopi Athenarum. Quod autem ad ejus opera : ſole clarius modo eſt, nulla prorſus ejus eſſe, quæ modo ſub ipſius nomine circumferuntur. Sunt Græci monachi quinti ſeculi, præter propter Epheſinum, Chalcedonenſemque Synodos, Ecumenicas, tertiam & quartam, ſub nomine Athenienſis Epiſcopi Dionyſii ; ad aucupandum fucum antiquitatis. Epiſtolæ, pura puta impoſtura ſunt : neque Dionyſio Areopagitæ, neque huic *monacho Dionyſio* tribuenda : qui ſtylo tumido, & fere ampulloſo, magiſtrum ſuperat Gregorium Nazianzenum : quocum, vel ejus tempore, vixit (opinor) in ſolitudine ; poſtquam hic Conſtantinopolitana Sede ſe abdicavit. *Fratri*, ea inſcripſit *Timotheo* ; quo nomine non unus erat tum monachus (ni *in honorem Dei* ſe ſcribere intellexit) ut ad *Timotheum* primum Epheſiorum Epiſcopum & martyrem, ut non oporteat nos confugere. Sed hæc ſatis ſuperque ſunt hujus loci.

DIE QUARTA.

Ruthenè : Hierothei.

Græce : Τοῦ ἁγίου Πατρὸς ἡμῶν Ἱεροθέου Ἐπισκόπου Ἀθηνῶν. *Sancti Patris noſtri Hierothei, Epiſcopi Athenarum.*

COMMENTARIUS.

Acta nullius pretii ; & ex ſuppoſititiis epiſtolis Dionyſii Areopagitæ. Unus ex Novemviris Athenienſibus Senatoribus converſus ab Apoſtolis, & magiſter Dionyſii Areopagitæ, dormitioni intereſt Deiparæ. Hymnos multos exhodios in ejus laudem ſcripſit, cecinitque. Fit primus Epiſcopus Athenarum ; docet Areopagitam ea, quæ in Arepagiticis literis nunc leguntur. Sua & ipſe

ipſe multa ſcribit, & multis libris, *de ſacris Myſteriis*. Nempe de hiſce tunc ſcribebatur. Tandem in pace Dei quievit. Adeout, ne verum quidem ſit, primum fuiſſe Epiſcopum Athenarum; nec fuiſſe magiſtrum Dionyſii, qui ab ipſo Paulo doctus erat, & primus fuit Epiſcopus Athenarum; ut ſupra viſum. Ita ex epiſtolis illis natus ſit, & invectus hic ſanctus; vera & antiqua hiſtoria refragante. Proinde putem, *Hierotheum*, non alium eſſe, ac *epitheton* ejuſdem S. Dionyſii Arepagitæ; ut qui fuerit *Deo ſacer*: multo minus *primus*, aut *ſecundus* Epiſcopus Athenarum.

DIE QUINTA

Ruthenè: Charitina.
Græce: Τῆς ἁγίας μάρτυρος Χαριτίνης. *Sanctæ martyris Charitinæ*.

COMMENTARIUS.

Serva cujuſdam Claudii, ſub Diocletiano, per Domitium quendam Comitem, martyrium paſſa dicitur. Locus ſiletur. Menologium Baſilii de ea iterum agit, die 15. Januarii; ubi *Claudium* dicit *Claudianum & Chriſtianum*; *& Domitium* Comitem facit *Domitianum*. Cæterum narrat eadem, & cum aliqua varietate. Ibi capiti raſo ferventes guttæ, acerrimumque acetum perfunditur: mox ejus latera facibus aduruntur. Hic demerſa in mare, ingenti alligata lapidi, evadit; mariſque aquam habuit pro baptiſmo. Quod indicat potius, eam adhuc fuiſſe catechumenam (inveriſimile ſub domino Chriſtiano) & in mari defunctam eſſe. Evaſa ſiſtitur rurſus Comiti, qui ei jubet evelli dentes; pedumque, & manuum digitos præcidi: eoque in tormento obit. Ibi ſilentium de baptiſmo: evaſam Comes rotæ alligari jubet, ſubjectiſque carbonibus ardentibus, comburi præcipit. Quo facto, illi dentes evulſi ſunt; in eoque graviſſimo dolore, ſpiritum Deo tradit. Hæc pſeudigrapha, antiquiora ſunt Metaphraſte, qui ea volens, ſed fruſtra, reddere meliora. *Chriſtianam* ipſam facit, *nec ſervilis conditionis*, *a Comite* anonymo compræhenſa, & *tradita conſulari*, poſt tormenta, quæ narrat, defunctam, & a Chriſtiano quodam *Claudio*, loco tacito, ſepultam. Habet ea Surius die ipſa, nomine *Charetinæ*: & qui vult ea percurrere, facile advertet eadem. Surius hac die dat Acta ſincera Procos. SS. Saturnini, Dativi &c. inter quos etiam eſt *Maria*, virgo & *martyr* Africæ, quæ habet etiam Ruinartius. Num apud Græcos, ex Μαρίας τινὸς, corrupte factum χαριτίνη: Pro *Maria* obtruſum ſit χαριτίνη? Propono, ſed non decerno.

DIE SEXTA.

Ruthenè: Thoma.
Græce: Τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου, Θωμᾶ. *Sancti Apoſtoli Thomæ*.

COMMENTARIUS.

Ex actis apocryphis Synaxarium, in Menologio Græcorum: in quo illorum magnum inſeritur Apoſpaſmation ἐκ τῶν αὐτοῦ περιόδων: *ex ejus itineribus*; quæ quinto ſeculo exeunte, S. Gelaſius PP. I. in Romana Synodo damnavit, ut ab hæreticis conſcripta. Ita fabula fabulis oneratur. Menol. Baſilii narrat, Thomam, ſortitum Indiam, ibi Reginam, filiumque ad Chriſtum convertiſſe: & a Rege patre, tum aliis in vincula detruſum. Regina & filius, auro corrumpunt cuſtodes; carcerem ingrediuntur, & cum aliis baptizantur. Ex quorum numero nonnullos Thomas ordinat Diaconos & Presbyteros. Ubi hæc innoteſcunt Regi; Thomas a militibus carcere eductus, lancea transverberatur. Valvæ æneæ Baſilicæ S. Pauli extra Romam, fuſæ Conſtantinopoli, anno Chriſti 1070. ære Hildobrandi (qui poſtea fuit Gregorius PP. VII.) eandem referunt in anaglyphicis Paſſionem. Unum eſt tutum, ibi Thomam fuiſſe paſſum.

DIE SEPTIMA.

Ruthenè: Sergii, Bachonu.
Græce: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Σεργίου, καὶ Βάκχου: *Sanctorum martyrum Sergii & Bacchi*.

COMMENTARIUS.

Sub Maximiano Imperatore, cujus erant Primicerius, & Secundicerius (Menol. Græcorum addit: τῆς σχολῆς κανθηλίων: *Scholæ Cantheliorum*. Quænam eſt hæc & quam nobilis, *Schola aſinorum*? Nam *grandis aſinus* κανθήλιος, græce dicicitur. Num corruptum ex κουβλικίων *cubiculariis*?) pro Chriſti Fide martyrium faciunt. Acta bona. Menologium Baſilii, ait, eos miſſos πρὸς τὸν τῆς Αὐγουστοπόλεως ἄρχοντα: *Ad Auguſtopoleos Præſidem*. Menol. vero Græcorum, πρὸς τὸν ἡγεμόνα Ἀντίοχον εἰς πόλιν Εὐφρατησίας: *Ad Antiochum Præſidem, in urbem Euphrateſiæ*: Quia *Antiochus erat nomen illius Præſidis, & urbs illa erat Auguſtoplis in Euphrateſia*. Menologium Baſilii addit portentum: Κατὰ τὴν ὁδὸν περιεπάτει ἔμπροσθεν αὐτῶν ἄγγελος τοῦ Θεοῦ: *In itinere angelus Dei præibat illis*. Menol. Græcorum, veroſimilius: Ἤδη δὲ πλησιάζοντες, ἐξ ἐπιφανείας ἀγγέλων, θείας ἰσχύος καὶ θάρσους ἐπλήσθησαν: *Et cum jam* (Auguſtopoli) *appropinquarent: ex apparitione angelorum, virtute, & fiducia ſunt repleti*.

Acta, quæ habet Surius die iſta, ſat eſt dicere, corrupta eſſe per Metaphraſten. Pro *Canteliorum*, ipſe habet *Gentiliorum*: quam Palatinam militiam, nemo noverit. Eſto Antiochus ſit *Orientis dux*. Quænam ſit illa *Civitas Roſaphorum*, quæ illa *Petrapyrgia*, ad quam Sergius clavatus ducitur; adhuc quærito, nec in Geographicis Lexicis hæc ludibria nominum invenio. Non ſum autem ego Hercules, qui pugnem cum his monſtris Metaphraſteis, nec cum ejus imaginariis Epiſodiis. Solum fido Evagrio, quem

citant, Hiſt. Eccleſiaſticæ lib.4. cap.29. & lib.6. cap.30. non vero Nicephoro Calliſto, quem citant, lib.15. cap.28. Hiſt. Eccleſiaſticæ, ut qui eſt author fabuloſus 14. ſeculi. Credo autem Juſtinianum Imp. his martyribus, Conſtantinopoli & Ptolemaidi, duas eiſdem Baſilicas erexiſſe. Quia hæc narrat Procopius, in opere de ædificiis Juſtiniani.

DIE OCTAVA.

Ruthenè: Pelagia.
Græce: Τῆς ἁγίας μάρτυρος Πελαγίας. *Sanctæ martyris Pelagiæ*.

COMMENTARIUS.

Tres Pelagiæ afferuntur. Virgo, martyr, & pænitens. Virgo, quæ dicitur Antiochena, ſub Numeriano Imp. antequam comprehenderetur, ab Chriſto Domino mori impetrat. Vereor autem ego, ne hæc ſit, & illa *virgo & martyr* Antiochena, quæ metuens ſuæ virginitati, ubi honeſte ſe compoſuit; domo ſe præcipitem egit. Menologium enim Baſilii dicit: *Cum ſeipſam honeſte compoſuiſſet, Spiritum Deo tradidit*. De qua utrumque Menologium Baſilii & Græcorum, die nona Junii, & hinc Surius; Late hanc Chriſoſtomus Encomio eſt proſequutus, ob virginitatem, & eximiam virtutem. De Pelagia pœnitente hic equidem non agitur. Ergo de Pelagia Tarſenſi martyre, hic peragitur, quæ hic in Menologio Græcorum, iſtiuſmodi paſſa dicitur, ex fabula Metaphraſtis, quæ die 4. Maii, a Surio recitatur. Sub Diocletiano, a ſuo Tarſi Ciliciæ Epiſcopo Clinone (Linum appellat Menol. Græcorum) Pelagia baptizatur. Mater Ethnica id ubi norit, Diocletiani *filio* (an παιδὶ *ſervo*), cui pulcherrimam deſponderat, iſta indicat: qui ardentiſſime eam amans, violentas ſibi affert manus: & hinc Diocletianus furens, comprehenſam Pelagiam occidit gladio. Ita Græcorum Menologium. Sed Menologium Baſilii ait: Ignito facto æneo bovi, clauſam, occidiſſe. Quam impune in hiſce fabula debacchatur! Sed quanto impunius apud Surium Metaphraſtes! Fabulariter tractat omnia, & pluſquam Æſopus. *Diocletiani filius, ob eximiam formam, Pelagiam in conjugem expetit, illa nondum Chriſtiana, ob Chriſtum recuſat nuptias. Filia deſponſa fingit, ſe nutricem ſuam velle inviſere; & mater quamvis ægre annuat; indutam eam regali, variiſque gemmis diſtinctam; cum famulorum & militum multorum comitatu dimittit*. Nondum decem milliaribus proceſſerant, *cum ecce unus e militibus, cui nomen Longinus erat, ad commilitonem ſuum converſus (uterque enim eorum jam ante Chriſto nomen dederat) Juliane, inquit, frater (vides Sanctiſſimum Epiſcopum Clinonem ſub montis arboribus ambulantem) en Dei hominem Thaumaturgum. Hæc forte Eunuchus quidam cum audiret, nunciavit confeſtim Dominæ ſuæ. Quæ ex jumento cui inſedebat deſcendens, viro Dei obviam proceſſit; ac mox ſe ad ejus pedes demittens*, ab eo petit, *ut ſe dignetur, quamvis indignam Chriſto Dei filio deſponſare*. Ad hæc *Epiſcopus ſummas Dei Patri gratias egit, ac deinde baptismate eam lavare inſtituit*. Interea *virgo Pelagia vidit duos eximio ſplendore milites; ſupra fontem ſtantes, ac linteum nivei candoris, in manibus geſtantes*. Virgo rogitat pro baptiſmo: *& vis hæc effata eſt*, cum Clino *eoſdem milites, Dei utique angelos, contemplatus eſt. Tum omni cunctatione poſthabita, non ſine tremore virginem illam, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti illuminavit; & ſacroſanctæ communionis participem factam, a ſe dimiſit*. Miracula omnia. Fons ille in monte, *& ſine catechiſmo baptiſmus, & communio Euchariſtica. Duo milites, duo angeli, cum linteo nivei candoris*: coram omnibus fit *baptiſmus, & panis Euchariſticus* inter arbores erat promptus. *Nomina prompta militum Longini, & Juliani*, & Eunuchus qui ſenſit, *& dominæ revelavit*. Quanta novit, & narravit, minutiſſima Metaphraſtes. Hæc ſolertia & diligentia ſumma Æſopi. Nomen *filii* Diocletiani, non meruit memorari, quem filium, aut filios habuit Diocletianus? Quem παῖδα vertere poterant *ſervum vernam* Diocletiani: Mox videmus idem in *Regia Purpura*, qua Pelagia induta fingitur; quaſi fuiſſet virgo, *Regina*, ſaltem *virgo ordinis Senatorii*.

Pelagia vero exſultans, depoſita regali purpura ad Epiſcopum acceſſit, & oravit, (nota conſilium) *ut illam veſtem, & reliqua mundi ludibria, accipere ac divendere velit; eorumque pretia indigentibus diſtribuere*. Res magni exempli; ſed in ore, & mente Poetæ. Ex his exterioribus, *nutrix eam novit facile Chriſtianam, nec domum ſuam admittere ipſam auſa fuit*. Ad matrem redit, *quæ filiam mutata veſte venientem videns, ſtatim animi deliquium paſſa, concidit*. Quot malorum cauſa Metaphraſtes? *Interea Pelagia cum virginibus quibuſdam, quæ ſe ad Chriſtum etiam aggregaverant* (Logotheta cogitat *moniales & monaſterium*) *tranſmiſſo flumine* (quale flumen?) *precibus & jejuniis, ad futura ſe certamina preparabat. Mater reſumptis viribus, filia non inventa, confeſtim milites in omnes vias, & ſemitas miſit, ut virginem adducerent. Sed illi loca omnia, ad quadraginta uſque milliaria fruſtra perſcrutantes, re infecta, tandem redierunt*. Unum cogito, an Simeon ſui erat compos, dum hæc ſcribebat; an ſuos etiam lectores, bardos, & aſinos cogitabat? Certe puerulis loqui credidit.

Poſthæc, Pelagia, ultro ſe in matris conſpectum dedit, eamque modeſtis verbis (ſic decet Sanctum poetam) *redarguit, quod tanta inſania ac rabie bellum cum ipſo Deo, ſuſcipere præſumeret*. Quid audierat fieri a Matre, quæ nondum verbulum protuliſſe fingitur? *Mater autem eum ex filiæ verbis, luce meridiana clarius perſpiceret*, quid erat; *confeſtim filio Diocletiani ſignificavit; ſponſam ejus, Chriſtianorum Deo, filiam conjugatam eſſe. Quo audito ille, paulatim mærore contabuit, ac tandem inviſam lucem*

tem proprio mucrone, in ſe ipſum crudelis, miſerrime abrupit. Quot malorum cauſa Metaphraſtes, qui de religione, & Chriſtiana fide, non ut ego equidem, cogitabat. *Pelagiæ vero mater, apprehenſam filiam ad Diocletianum perduxit, ut quaslibet de ea pœnas appeteret. Diocletianus tamen viſa Pelagia, non jam de filii nece ulciſcenda* (mutatur ſcena Tragœdiæ) *ſed potius de amore virginis cogitavit. Statim igitur, allata ingenti auri vi, blanditiis eam aggreſſus eſt: matremque centum auri talentis donatam, domum remiſit*. Quanta prodigalitas, quin profuſio talentorum auri; ſed verboſo & inſano, cui ejuſmodi nil conſtabant. *Pelagiam vero, honorifica militum manu deductam, ſtabili ſibi matrimonio jungere cogitabat. Itaque coram univerſo exercitu, ſic illam affatus eſt. Unum eſt quod a te peto, ut abnegato Chriſto, mecum matrimonio copuleris. Ad quæ Pelagia: Inſaniens tu quidem temere iſta locutus es. Ego enim nulla tibi ratione copulabor: ſed Chriſto ſponſo meo ad extremum vitæ ſpiritum, fidelis adhæribo*. Ad arma illicò itum eſt.

His auditis Diocletianus, bovem æneum, ligna, bitumen, picem, & adipem afferri præcepit: ſubjectoque igne, bovem illum, tam vehementer incendi juſſit; ut totus igneus, longiſſime reluceret. Tum vero adducta in medium adoleſcentula. Exui, inquit, veſtes, quibus induta es. Pelagia, cum vidiſſet paratos eſſe, qui illam exuerent, magna voce atque clamore Imperatorem appellans: Recordare, inquit, uxores, pelliceſque tuas eadem, qua ego carne indutas eſſe. Cumque Imperator, præ amorum inſania (vah eximium amoris ſignum?) *multomagis eam veſtibus ſpoliari juberet, illa prompta & alacri manu, eas in conſpectu Imperatoris abjecit; & nuda ad ardentem machinam properavit; ſeque in os bovis, virili conſtantia, injecit*. Nunc amoris vehementia Diocletiani, vere conſummata eſt erga Pelagiam. Sed hæc ſomnia ſunt ejus, qui inſaniens comminiſcitur. Verum ex bove & tauro ardenti, cognitio illico fit commenti non in hac ſolum fabula, ſed in omnibus illis, etiam S.Euſtachii, in quas bos æneus ardens immiſſus eſt. Experientia didici, nunquam in veris Actis, tormentum hoc, & incendium eſſe inductum. Fornaces, ignes habebant perſecutores; nec hac machina, ordo tyrannicus unquam eguit.

Sequitur fabulator: *Corpus illius, fuit brevi tempore, ardoris vehementia abſumptum: ex quo tanta odoris ſuavitas, per totam urbem emanavit*. (Non miſſura autem, niſi plena cruoris hirudo) *ut duo milites quorum uni Theonius, alteri Julianus nomen erat* (quanta ſedulitas eſt Hiſtorici fabuloſi! ubi non oportebat; negligentia ubi opus erat) *qui jam ante pietatem taciti in corde fovebant, ſe diutius continere non poſſent, quin in apertam confeſſionis laudem; ac Imperatori tyrannidem exprobarent. Et illis quidem fuere continua vincula injecta: virginis vero reliquiæ, ne a Chriſtianis, honore ſepulchri exciperentur: in montem Linetum* (nomen fictum nec unquam cognitum; ut magis lectores ſuos falleret.) *nomine, projectæ. At Clino Epiſcopus, cæleſti monitus oraculo, eo protinus ſe contulit, & in montis vertice, extructo quodam ſacello* (ea tempeſtate ſacellum publicum!) *honorifice collocavit. Ac monti deinceps, hunc titulum indidit, Mons Congregationis, in quo Virgo Pelagia, quæ ſeipſam Deo obtulit, & pro unitate certavit, requieſcit*. Etiam pro ſacello, & ejus inſcriptione, ſedulitas fatua cogitavit. In ea jam dici poteſt. A planta pedis uſque ad verticem non eſt in ea ſanitas. Multo minus eſt ulla veritas.

Ut dicam quid ſentio. Pelagia hæc Tarſenſis martyr, ſomnium eſt Tarſenſium, utique antiquius Baſilii Menologio: quod corruptius eſt exornatum a Metaphraſte. Nec alia eſt hæc Pelagia ac illa Antiochena, adeo encomiis a Chryſoſtomo ſuo cive decorata, & a S.Ambroſio Epiſcopo, in oratione 3. de Virginibus. Ibi nomen frequens, & hinc Pelagia illa pœnitens, etiam Syriæ Antiochena meretrix cognita ex vitis Patrum, quæ a Nonno Palæpolitano Epiſcopo converſa; & baptizata. Hieroſolymis ſolitariam vitam clauſit: coliturque in Martyrologio Rom. Octobris hac die octava. Placuit tot deſudaſſe ad illuſtrandam veritatem in his Pelagiis.

DIE NONA.

Ruthenè: *Jacobu Andronico*.
Græcè: Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἰακώβου τοῦ Ἀλφαίου. *Sancti Apoſtoli Jacobi, Alphæi Filii*.

COMMENTARIUS.

Jacobus apoſtolus, Alphæi filius, frater Matthæi dicitur. Chriſtum prædicans, interficitur a Judæis. Hæc tantum vera e ſcriptura. Quæ autem alia multa, Menolog. Gr. & Baſilii narrant, ex actis ſunt non probatis, & apocryphis fabularum.

Eadem die, Menol. Græcorum agit: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀνδρονίκου, καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ. *Sancti Patris noſtri Andronici, & Sociorum ejus*.

COMMENTARIUS.

Andronicus ex Antiochia magna, nummularius, Athanaſiam ducit uxorem, ex qua duos filios, *marem & fœminam* habet: *qui duodecimo ætatis anno* tenelli ambo una die moriuntur. Pater *facile cum juſto Job*, voluntati Dei ſe ſubmittit: *ſecus* mater, quæ in Eccleſia S.Juliani, ubi erant mortui tumulati, pervigilat: noctuque Sanctus Julianus, in monachi ſchemate ei apparens, ipſam ſolatur. Sequenti mane redit domum, & cum marito cogitat ſecedere a ſeculo, & ingredi monaſterium. Reliqua ad fidem habes in Surio, ad diem 27. Februarii. In his Actis nihil eſt penitus, quod non ædificat, & compungat: & nihil quod falſum ſit, & inveriſimile. De ætate conſtat ſub Theodoſio majori, quarto & quinto ſeculo floruiſſe: & ſcripturam eſſe Monachi Anonymi, ſed ſynchroni,

& diſcipuli etiam Abbatis Danielis. Bailletius autem nuſquam de ipſis agit.

Die decima.

Ruthenè: *Eulampii, Eulampia*.
Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Εὐλαμπίου ϗ Εὐλαμπίας. *Sanctorum martyrum Eulampii, & Eulampiæ*.

COMMENTARIUS.

Nicomedienſes frater & ſoror, ſub Maximiano cum ducentis militibus, Chriſto converſis (quod in ferventem cacabum ambo conjecti, incolumes egreſſi erant) capite plexi ſunt. Perſecutionem autem fugerant, cum multis aliis, in montem abditi: ſed apparuit annona, & ob ipſam Eulampius deſcendit: qui propoſita edicta legit, & cognitus comprehenditur. Ubi hæc novit ſoror, deſcendit & ipſa, & fratrem complexa, qui ad martyrium ducebatur, comprehenditur. Unum tantum in his Actis ſubditium videtur (quæ alioqui vera ſunt, & bona undique) quod Eulampio in Idolorum Templum pertracto; idola omnia collapſa dicuntur & contrita. Menol. Græcorum dicit Idolum *Martis*. Saltem novit, in Templis ſingulis, idola ſingula fuiſſe: & perſecutorem fuiſſe Ἡγεμόνα Μάξιμον, Præſidem Maximum. *Proconſulem Bithyniæ* nempe, in qua erat *Nicomedia*.

Eadem hac die Menol. Græcorum colit, illos 200. Milites, cum Eulampio ob Chriſtum trucidatos.

Die undecima.

Ruthenè: *Philippu*.
Græcè: Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Φιλίππου. *Sancti Philippi apoſtoli*.

COMMENTARIUS.

Ex ſeptem Diaconis (de quibus in Actis Apoſtolorum Lucas) unus Menol. Græcorum addit, *Thrallis in Aſia, factum Epiſcopum; ibique vivere deſiiſſe*: Ἐν Θράλλῃ τῆς Ἀσίας ἐπίσκοπος γενόμενος, ἐτελειώθη. Idem habet Baſilii Menologium, in quo *Cæſarienſem Palæſtinæ civem* legimus, & patrem quatuor filiarum cum dicit de eo, ſine qualitate Epiſcopi, die ſexta Junii Bailletius agit.

Eadem die, Menol. Græcorum principaliter agit de S. Theophane fratre S. Theodori in *vultu ſtigmatizato* γραπτοῦ, ſub Iconomachis, & ſub S. Methodio Patriarcha, anno 842. Theophanes Nicææ Metropolita in Bithynia factus eſt. Menol. Baſilii ſilet de Theodoro. Eadem die in Menologio Græcorum agitur de ſanctis Patriarchis Conſtantinopoleos, *Nectario*, *Arſacio*, & *Siſinnio*.

Die duodecima.

Ruthenè: Probu, Tarachu, Andronicu, Coſma.
Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Πρόβου, Τεράχου, Ανδρονίκου. *Sanctorum martyrum Probi, Tarachi, & Andronici*.

COMMENTARIUS.

Acta Præſidialia, & genuina (quæ ſummatim hic recitat Menologium Græcorum) ſunt apud Theodoricum Ruinartium, edita in ſinceris. Primus latina dedit Baronius. Anno 1617. Roſveidus; poſtea alii anno 1664. ex antiqua verſione. Bigotius anno 1683. Greco Latine primus dedit, cum Palladii Lauſiaca. Ea illuſtrat Tillemontius tomo 5. & Fleuryeus in hiſtoria Eccleſiaſtica. Bailletius, (qui cum Latinis dic undecima hujus menſis, non autem duodecima, de ipſis agit) probat maxime ipſorum Acta. Acta vero, quæ deturpavit & corrupit Metaphraſtes, ſunt apud Surium die XI. hujus menſis.

Hac eadem die in Menol. Græcorum fit Commemoratio ſecundæ Nicenæ Synodi, Patrum 367. De Coſmate vero hic nihil agitur (utique confeſſore) ſed infra, die 14.

Die decimatertia.

Ruthenè: Carpu, Papylu.
Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Κάρπου, Παπύλου, Αγαθοδώρου, ϗ Αγαθονίκης. *Sanctorum martyrum Carpi, Papyli, Agathodori, & Agathonicæ*.

COMMENTARIUS.

Carpus Epiſcopus Thyatirorum, Papylus ejus Diaconus, arte medici, ſub Decio Imperatore, & Valeriano *Proconſule Aſiæ* (Ἀνθυπάτου Ἀσίας: in Menol. Baſilii; Ἄρχοντος τῆς Ἀσίας, verterunt *Præfectum Aſiæ*) comprehenſi, & ad equos a Procoſ. alligati, *coactique præcurrere ante currum: uſque ad Sardos raptati ſunt*: περιπατῶν ἔμπροσθεν τοῦ ἅρματος, συρόμενοι πρὸς τὰς Σάρδεις. Ibi in equuleum aguntur. Agathodorus eorum ſervus, inter verbera ſpirat. Ipſi depoſiti, in ignem conjiciuntur; ſed pluvia extinguit ignem, & hinc omnes obtruncantur. Plurium Metaphraſtes ſilet; obtruncat tantum. Acta nil vetat, quin vera ſint. Sed ubi eſt, promiſſa *Agathonice*? Eam debemus Baſilii Menologio, & Papyli dicitur: quæ cum adeſſet, in ardentem caminum deſiliit, & cum Carpo, & fratre Papylo, ibi martyrium fecit. De noſtris agit Bailletius die decimatertia Aprilis: hodie verò agit de S. Carpo, diſcipulo S. Pauli apoſtoli. De quo Græci agunt 26. Maji die.

Menologium Baſilii hac die & agit, de Sancta Domina martyre Anazarbi, ſub Diocletiano, & Lyſia *Præſide*, qui aliis *Dux* appellatur.

Die

DIE DECIMAQUARTA.

Ruthenè : Nazarii, Gervaſii, Protaſii, Celeſi.
Græcè : Τῶν ἁγίων μαρτύρων Ναζαρίου, Γερβασίου, Προτασίου, καὶ Κελσίου: *Sanctorum martyrum Nazarii, Gervaſii, Protaſii, & Celſi.*

COMMENTARIUS.

Apud utrumque Menologium Acta apocrypha; ſed in illo Græcorum magis. Quod veri habemus eorum martyrii & Actorum, e Sancto Ambroſio eſt, Archiepiſcopo Mediolani, apud Ruinartium in ſinceris. Bailletius cum ſua cenſura, de ipſis agit die 28. Julii.

Eadem die apud ſolum Menol. Græcorum agitur: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Κοσμᾶ τοῦ ποιητοῦ, ἐπισκόπου Μαϊουμᾶ, τοῦ ἁγιοπολίτου. *Sancti Patris noſtri Coſmæ poetæ, Epiſcopi Majumæ, qui & Hagiopolita dicitur.* De Actis, & tempore nullum dubium. Fuit monachus Lauræ Sancti Sabæ, cum S. Johanne Damaſceno: & ex eo habemus tanta, quæ vel hodie canit Eccleſia Græca. Rutheni, ut viſum ſupra, de Coſma agunt, duodecima hujus die.

DIE DECIMAQUINTA.

Ruthenè : Lucianu, Euthymii.
Græcè : Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λουκιανοῦ πρεσβυτέρου. *Sancti martyris Luciani presbyteri.*

COMMENTARIUS.

De eo, utrumque Menologium hac die agit, Antiochenus Syriæ ſub Diocletiano (illud Baſilii habet Μαξιμιανὸν, *Maximianum*) venit Nicomediam: ibique fame martyrium perficit. Solum incommodum ex fabula: qua fingitur, quod cum Lucianus ſe conſpiciendum dediſſet, ejus conſpectum veritus Diocletianus (*Maximianus* Menol. Baſilii) *ſumpto velo* eum convenit & alloquitur, & a Sancto martyre objurgatur. Cum ergo Imperator ipſum non poſſet e ſententia dimovere, condemnat. Vereor autem ne allucinatio & fabula *ex velo ſecretarii* orta ſit Metaphraſti (e quo in Græcorum Menol. hæc derivata) inſcio, *deducto ſecretarii velo*, antiquitus Judices, *mortis ſententiam protuliſſe*; ne ex viſu rei, pietas, amor, & favor, judici quid obeſſet. Bailletius die 26. hujus menſis; dicit, cum Marciano, Nicomediæ paſſum ignem, ſub *Sabino Proconſule Bithyniæ*, & *Decio* Imperatore; quæ Acta probantur, ut originalia, Ruinartio, ne dum ipſi. An alius fuerit Lucianus?

DIE DECIMASEXTA.

Ruthenè : Longinu.
Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λογγίνου τοῦ ἑκατοντάρχου. *Sancti martyris Longini Centurionis.*

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

COMMENTARIUS.

Acta penitus conficta; præſertim apud Menologium Græcorum, ex Metaphraſte. ἀπὸ τῆς λόγχης *a lancea*, qua Chriſti latus aperuit, ut habemus ex Evangelio. Bailletius de eo agit die 21. Julii.

DIE DECIMASEPTIMA.

Ruthenè : Prepodomne Andreu.
Græcè : Τοῦ ἁγίου ὁσιομάρτυρος Ἀνδρέου τοῦ ἐν Κρίσει. *Sancti, & venerabilis martyris Andreæ, qui in Criſi ſepultus eſt.*

COMMENTARIUS.

Bailletio, hac die, acta, quæ ſunt apud Surium, probantur, etſi dicat eſſe Metaphraſtea; & ipſum obiiſſe anno 761. Solum de eo agit Menol. Græcorum, quem ait martyrem ob imagines, per Copronymum Conſtantinum. Reapſe Acta ejus apud Surium die iſta, recitantur, nec quidquam in ipſis, mihi reprobandum videtur: notandum potius ex eorum fine, cur dictus *in Criſi* ſito nempe, quod quidam viri, repertis ejus reliquiis, eas *in loco, cui nomen eſt Criſis, honorifice condiderunt, corpus enim ejus a carnificibus, in locum*, quo damnatorum & *maleficorum corpora exponi* ſolebant, juxta *forum* Conſtantinopolis. Ergo a *Criſi, judicio, ſententia*, locus ille ſic dicebatur, & pacis tempore dictus eſt, quod Sancti corpus *ibi* conditum, *multis miraculis egregie coruſcavit*. Aliquis effutiet *Chryſopolitam*: quum non *Chryſis*, ſed *Criſis* ſit appellatus ille locus. Interim lector leget in actorum fronte, iſtam præclaram notam Surii, aut Lippomani (ad titulum, *Martyrium Sancti Andreæ Cretenſis*,) *Alius hic eſt Andreas Cretenſis, ab eo, qui celebris eſt inter Græcos Scriptores Eccleſiaſticos: cujus celebritas in Martyrologio, quarto nonas Julias*. Sed caveat a tribus his ultimis verbis; nam de Scriptore Cretenſi, nec Menſe Junio, nec Julio aliqua eſt mentio in Martyrologio Romano, vel Baronii, vel Aſtenſi, vel in ultimo S.P.N. BENEDICTI Papæ XIV.

In Menologio Græcorum, hac die, primo loco agitur: Τοῦ ἁγίου προφήτου Ὠσηέ. *Sancti Prophetæ Oſeæ*: & geſta ejus ſunt e ſcriptura. Sed de eo nihil eſt in Ruthenis.

DIE DECIMAOCTAVA.

Ruthenè : *Lyca*.
Græcè: Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ Εὐαγγελιστοῦ Λουκᾶ. *Sancti apoſtoli & Evangeliſtæ Lucæ.*

COMMENTARIUS.

Præter ea, quæ ex ejus Actis Apoſtolorum habemus; reliqua parum certa, & quædam etiam aperte ficta. Pro eo ergo legendi ſunt, Hieronymus, Epiphanius, Chryſoſtomus; Baronius, Til-

Tillemontius in primis duobus tomis, & Bailletius, qui reprobat cum Pi..... portenta, Theodori Lectoris authoritatem perdere e ſexto ſeculo: quum hujus verba, ſint aperte (ἐπιφανῶς) Nicephori Calliſti, qui 14. ſeculo, ea potuit addidiſſe; ni alter quiſpiam tenebrionum.

Die decimanona.

Ruthenè: Ioelu. Varu.
Græce: Τοῦ ἁγίου προφήτου Ἰωὴλ, καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Οὐάρου: *Sancti Prophetæ Joelis: & Sancti martyris Vari.*

COMMENTARIUS.

Prophetæ Joelis, omnia ex ſcriptura. Varus militans in Ægypto, ſub Maximiano, ſeptem martyrum in carcere habet curam. Pro eorum uno ibi defuncto, ſe ſubſtituit, & cum ſex illis, martyrium ipſe ſeptimus patitur. Hæc Menologium Græcorum habet: illud vero Baſilii, de ipſo agit die 25. hujus, & habet eadem. Nil inveriſimile, aut falſum. De eo tamen Bailletius, toto opere nihil agit.

Die vigesima.

Ruthenè: Artemii.
Græce: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀρτεμίου, τοῦ θαυματουργοῦ. *Sancti martyris Artemii Thaumaturgi.*

COMMENTARIUS.

Sub Conſtantino Dux Auguſtalis Ægypti (ideſt *ſub Præfecto Auguſtali, Tribunus militum per Ægyptum*). Sub Juliano Apoſtata, Antiochiæ pro Chriſto martyrium patitur. Unum quibuſdam hic facit ſcrupulum, martyrium, & in eo illa carnificina ejus, quam habent Acta, ſubacta per Metaphraſtem. Mihi vero eſt credibilis: quia Artemius (vel *Artemas*) liberrime, Juliani impietatem arguit. In Menologio Græcorum, ſex ejus poſt mortem diverſis collata miraculoſa beneficia, ſeparatim, poſt Synaxarium, deſcribuntur. Bailletius, qui Metaphraſteaquæ ſunt apud Surium, ejus Acta reprobat; concinnat ipſe alia ſaniora. Sed ego, a mea ſententia non recedo.

Die vigesimaprima.

Ruthenè: Hilarion.
Græce: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰλαρίωνος, πρεσβυτέρου γενομένου, καὶ ἀναχωρητοῦ. *Sancti patris noſtri, Hilarionis presbyteri, & anachoretæ.*

COMMENTARIUS.

Ejus geſta, ex Beato Hieronymo deſcribuntur. Cæterum Menologium Græcorum, eum cum Hieronymo *presbyterum* non dicit, ſed tantum *magnum*, μέγαν: & Bailletius, aliique omnes hodie, idem faciunt. De *presbytero* namque, altum ſilent.

Die vigesimasecunda.

Ruthenè: Abercii. Sedm otròc uo Epheſi.
Grecæ: Τοῦ ἁγίου, καὶ ἰσαποστόλου πατρὸς ἡμῶν Ἀβερκίου Ἐπισκόπου Ἱεραπόλεως, καὶ τῶν ἁγίων ἑπτὰ παίδων τῶν ἐν Ἐφέσῳ. *Sancti, & Apoſtolorum æqualis, Patris noſtri Abercii, Epiſcopi Hierapoleos. Et ſanctorum ſeptem puerorum, qui ſunt Epheſi.*

COMMENTARIUS.

Abercius, ſub M. Aurelio Antonino, Epiſcopus Hierapoleos, in Phrygia Salutari, poſt vitam apoſtolice ductam, ibidem in pace moritur. Reliqua, ne dum Bailletio & Tillemontio, ſed etiam Baronio, fabuloſiſſima cenſentur. Veluti, filia M. Aurelii, a dæmone obſeſſa & liberata; ſanctum idcirco vocatum Romam: utre aceto, garo, oleo pleno pro itinere, quæ ſeparatim ei fluunt; ejus vero ſervo promiſcue, dum clam & præter juſſa ipſa fundit: liberatio filiæ Imperatoris: juſſum dæmoni, ut Roma in Phrygiam tolleret *ſaxum ingens* (Menol. Græcorum ait, λίθον μέγιστον; Menolog. Baſilii, βωμὸν λίθινον μέγαν, *lapideam magnam Aram*) ſuo ſepulchro deſerviturum. Menologium Græcorum habet: οἴνου, καὶ ἐλαίου, καὶ ἑτέρου εἴδους ἐν ἀγγείῳ. Menologium vero Baſilii habet ὡς ἀσκὸν ὄξος καὶ γάρον καὶ ἔλαιον. Ita nec inter ſe perfecte conſonant hæ turpes fabulæ fordidæque; & dignæ vere illo tenebrione, qui ſimilia potuit, in re ſacra, comminiſci. Menologium Græcorum die 5. Decembris, de S. Abercio dicit, *illa die*, ξίφει τελειοῦται, *gladio conſummatur*.

Acta illa, quæ ex Lipomano, ſunt apud Surium, notum eſt eſſe Metaphraſtis. Et Halloixius, qui ejus vitam ſcribit, quod mirum, ſequitur Metaphraſten. Tu vide Tillemontium in Papia, qui abſurditatum multas in ea notat. Apud Euſebium Cæſarienſem lib.5. cap.16. hujus ſancti nomina habentur. *Avircius Marcellus*: quæ neſcio cur ſubdubius notat etiam Bailletius: qui ſub *M. Aurelio Alexandro Severo Imperatore*, cum Euſebio eum ſiſtit; non inter *Papiam*, & *Claudium Apollinarem* Epiſcopos Hierapoleos ſub M. Aurelio Antonino: tempus enim inter utrumque, nimis breve fuit, ut noſtrum *Marcellum* etiam ſuſcipere potuerit. Sed eum ſiſtit anno circiter 232. Chriſti, ut dixi, ſub Alexandro.

Septem Dormientes, quorum nomina *Maximilianus*, *Jamblicus*, *Martinianus*, *Dionyſius*, *Antoninus*, *Exacuſtodianus* (quem Menol. Baſilii *Joannem* dicit) & *Conſtantinus*, ſub Decio in ſpelunca ex perſecutionis cauſa, deliteſcunt: in qua per hoſtes Fidei obducto oſtio, dormierunt. Menologium Græcorum ait: ἐκ τότε, *ex eo tempore, uſque ad annum trigeſimum octavum* (τριακοστῷ ὀγδόῳ) *Theodoſii minoris, decurriſſe annos tercentum ſeptuaginta duos* (τριακόσιοι ἑβδομήκοντα δύο) Malus arithmeticus eſt hic Græcus. Nondum ab anno 251. quo Decius deſit imperare, uſque ad annum 444. (in quo currit minoris Theodoſii, annus Imperii 38.) anni decucurrerant 200. Sed *anni*

anni tantum 193. Quid ergo illi 372.? Ferme duplo major exceſſus eſt. Et *ſomnus pacis & requiei*, ſumptus pro ſomno vero, & occaſio fabulandi; *ortus tunc hæreſeos, quæ corporum reſurrectionem abnegabat* (narrat ita utrumque Menologium) *Eo tempore hi ſeptem inventi ſunt, & egreſſi e ſpelunca ſua: & tunc Marinus ſedebat Epiſcopus Epheſinus*. Scilicet eorum corpora inventa, & reliquiæ eorum ex ea ſpelunca, (vel cæmeterio) ſolemniter ſunt tranſlatæ. Luſus fabulæ ex verbo græco κοιμάω, quod *dormio* ſignificat: unde κοιμητήριον, locus eſt, *in Domino Dormientium ſomnum pacis*, per obitum naturalem: quod intelligit & tenet etiam Latina Eccleſia. Cæterum tunc non *Marinus*, ſed *Memnon*, & *poſt ipſum Stephanus* fuerunt Epiſcopi Epheſini, ab anno 431. ad annum 451. in Epheſino Concilio, & Chalcedonenſi, tertio & quarto Generalibus.

Quæ autem tunc inſurrexit hæreſis, negantium reſurrectionem? An hoc etiam ſomnium ſuum, vult hic ſibi fabula credi? Inveniat alios, non eruditos. Menologium Baſilii de his agit ſequenti 23. die. Sed notandum, cum eo Græcorum dicere, *eos iterum mortuos*: Καὶ πάλιν θανέντες, (Menologium Græcorum addit αὖθις) πρὸς Κύριον ἐξεδήμησαν: & *iterum morientes; rurſus ad Dominum emigrarunt*. Non ergo e ſopore profundiſſimo tot annorum miraculoſo, ſed a vera morte reſuſcitaſſent; & poſt prædicatam in hæreſim, mortuorum reſurrectionem; ipſos eſſe defunctos iterum. Si demus fabulæ hanc ſui effati deſtructionem; quis rogo eorum temporum, tantum miraculum literis tradidit? Num veriſimile hoc ſilentium! quo firmaretur reſurrectio mortuorum, perderetur funditus opinio illa hæretica. Chriſti reſurrectionem tradiderunt Evangeliſtæ. Et ſi vere iterum dormierunt; quænam in his ſanctis fuerit reſurrectio? Mortuos, *vere & ſemel mortuos* ipſos dixit, ſuo nono ſæculo Anaſtaſius Bibliothecarius, in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica, numquam autem *Dormientes*.

Die 27. Julii Bailletius de his agit: & de ſeptem aliis Turonis, & ſeptem aliis Alemanniæ, die 4. Novembris: pura puta, inquit, figmenta omnia. Alemannos eoſdem, (teſte Baronio) ac Turonenſes. Vide Gregorium Turonenſem Epiſt. ad Sulpitium Bituricenſem.

Cuncti ſeptem ſibi contendunt. Sat fuerat, aliquas eorum reliquias, apud ſe, aſſervari.

DIE VIGESIMATERTIA.

Ruthenè: Jacobu.

Græce: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος καὶ ἀποστόλου Ἰακώβου, ἀδελφοῦ τοῦ Κυρίου. *Sacroſancti martyris & apoſtoli Jacobi, fratris Domini*. Menol. Græcorum: ἀδελφοθέου: *fratris Dei*.

COMMENTARIUS.

Primus Epiſcopus Hieroſolymæ, ordinatus ab ipſo Chriſto (χειροτονηθεὶς) a Judæis ob fidem templi faſtigio deturbatur. Liturgiam vivens adeo prolixam (ajunt Menologia) conſcripſit, ut eam Baſilius, & Chryſoſtomus, infirmitati hominum conſulturi, reddiderint breviorem. Fabulæ: in quo Chriſtiano tunc templo, Hieroſolymis agebatur illa prolixior liturgia? Sub ejus nomine venditatam norunt omnes nunc ſcriptores Eccleſiaſtici in ſuis Bibliothecis. Et fabula item curdictus fuerit *frater Domini*, & *frater Dei*. Scilicet ſanctus Joſeph moriturus, filiis prioris uxoris dividit ſua bona: vult & partem dare Jeſu, filio Mariæ ſecundæ uxoris: repugnant illi: ſolus Jacobus in partem ſuam recipit Jeſum. Et hæc nominis cauſa, & cur etiam *juſtus* eſt nuncupatus. Totidem verbotenus, & Menologium Græcorum habet: digna, quæ in expurgatione librorum Orientalium funditus perderentur.

DIE VIGESIMAQUARTA.

Ruthenè: Aretha.

Græce: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀρέθα, καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ: *Sancti martyris Arethæ, & Sociorum eius*. Menologium Græcorum dicit: μεγαλομάρτυρος: *magni martyris*.

COMMENTARIUS.

Arethas, Negræ urbis in Æthiopia, e primoribus ejus civis, Juſtini tempore Imperatoris, & Elesbaan Regis Æthiopium, pro Chriſto ſenex, ab Judæo Danaan Homeritarum Rege (qui & Sabæi, & Arabes Felices) capiente civitatem Negran, dum occidit omnes, pro Chriſto trucidatur. Si Acta haberentur, iſta videntur optima. Hæc verbis iiſdem habet utrumque Menologium. Bailletio urbs eſt *Nagran*, & *Danaan*; *Dunaan* appellatur: & tempus cædis figitur ad annum Chriſti 522. ad quem annum lege Chronotaxim Imperatorum, apud amicum Matthæum Ægyptium, Bibliothecarium Neapolitani Caroli III. noſtri Regis. De hoc Eleesbaan, ut Sancto Æthiopiæ Rege, agit ex iiſdem fontibus, Bailletius die 22. Octobris, qua die, anno 567. mortuus eſt.

Bailletius dicit Arethæ & Sociorum, quæ habentur apud Lipomanum Suriumque, eſſe Metaphraſtis, & ſaltem in aliquibus corrupta; ſed vera aliunde in iis tantum, quæ ſunt apud Theophanis Chronicon, apud Zonaram, & Cedrenum, ad annum quintum Juſtini Imperatori ſenioris. Legi & ego Acta iſta, quæ Metaphraſtes exacte deſcripſit: & ſubſcribo Baronii teſtimonio, qui fideliſſime a Metaphraſte conſcripta cenſuit, & lectu non indigna. Sane ex ipſis conſtat Aretham, fuiſſe *Rectorem* urbis *Negran*; & duobus annis ante *Paulum loci Epiſcopum* eſſe functum: urbemque ſuo Antiſtite tunc care-

carcere. Sepulchrum mortui effoſſum, & corpus combuſtum tyranni juſſu; cineresque in aerem, vento traditos.

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè: Marcianu. Martvrii.
Græce: Τῶν ἁγίων μαρτύρων, καὶ Νοταρίων Μαρκιανοῦ καὶ Μαρτυρίου: *Sanctorum martyrum & Notatiorum, Marciani & Martyrii.*

COMMENTARIUS.

Notarii ſancti Pauli Patriarchæ Conſtantinopolitani, ſub Ariano Conſtantino Imperatore; pro fide Catholica, a Philippo Præfecto urbi Conſtantinopolitanæ, trucidantur. Menologium Græcorum addit, Chryſoſtomum eis Eccleſiam erexiſſe. Id factum ſub Arcadio Imperatore, ſed Siſinnius Chryſoſtomi ſucceſſor, eam perfecit, & dedicavit, anno circiter 427. Scripſit hæc Sozomenus lib.4. c.2. 3. 20. quæ Metaphraſtes corrupit, prout habentur in Surio. Martyrius Bailletio eſt *Diaconus* (aliis *Subdiaconus*) Marcianus eſt *Pſaltes*, & *Anagnoſtes*; & anno 355. De dignitate Notariorum, & de Philippo Præfecto Urbi Conſtantinopoli, Bailletius habet nihil, qui de eorum martyrio, quatuor dat lineolas Pariter ſunt hæc Menæorum, & ex primævo fonte actorum horum; aliorum certe *ab illis*, quæ ſunt Sozomeni.

DIE VIGESIMASEXTA.

Authenè: Dimitrii.
Græce: Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Δημητρίου: *Sancti, magnique martyris Demetrii.* Menol. Græc. addit; τοῦ μυροβλύτου, καὶ θαυματουργοῦ. *Myrobleſti, & Thaumaturgi.*

COMMENTARIUS.

Demetrius ſub Maximiano Imperatore Theſſalonicæ in patria ſua, martyrium facit, Reliqua fabulæ, ex Actis apud Lipomanum & Surium, quippe, quæ ſunt e manibus Metaphraſtis. Antiquiora iis nec ſunt tuta: eorum Epitomen refert Photius, Codice 255. Mabillonius dat alia Anaſtaſii Bibliothecarii, tomo 1. Analectorum cap.1. Videndus Tillemontius tomo 5. & non hic Bailletius (qui ea purgat, & probe illuſtrat) ſed de eo agit, octava die Octobris. Hinc fabula, de Neſtore Chriſtiano, cum Lyeo gladiatore Maximiani congrediente, eumque precibus Demetrii ſuperante. Quod huic in carcere, eſt mortis acceleratio: & martyrium conſtat Neſtori. Noſtræ Ephemerides, uti & Menol. Græc. ſequenti die 27. de Neſtore agunt. Menol. Baſilii, & Menol. Græcorum, de aliis agunt die iſta 26. Maximianus Bailletio eſt *Galerius*, ex Photii excerptis; & annus 307.

DIE VIGESIMASEPTIMA.

Ruthenè: Neſtoru.
Græce: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Νέστορος. *Sancti martyris Neſtoris.*

COMMENTARIUS.

De *Neſtore*, actum modo ex corruptis Demetrii: proinde non repetenda.

DIE VIGESIMAOCTAVA.

Ruthenè: Terentii: Neonila: Stephanu.
Græce: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Τερεντίου, καὶ Νεονίλλης, καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Στεφάνου τοῦ Σαβαΐτου: *Sanctorum martyrum Terentii, & Neonillæ: & ſancti Patris noſtri Stephani Sabaitæ.* De his nihil habet Bailletius toto opere.

COMMENTARIUS.

In rubrica Synaxarii, ad hos martvres additur: Καὶ τῶν τέκνων αὐτῶν, Νιτοῦ, Σαρβίλου, Ἱέρακος, Θεοδούλου, Φωκᾶ, Βήλης, καὶ Εὐνίκης: *& filiorum eorum, Nitæ, Sarbili, Hieracis, Theoduli, Phocæ, Beles, & Eunices.* Hi poſt multa tormenta, in quibus fingendo, fabula debacchatur, pro Chriſti fide, omnes gladio obtruncantur. Nec de loco, aut tempore, aut ſub quonam Præſide, perſecutoreque, ullum verbum: & quod majus, nemo habet eorum Acta.

Stephanus autem *Sabaita* non habet proprium Synaxarium, & ſolum in ejus rubrica dicitur: μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Σάββα: *diſcipuli ſancti Sabbæ.* Sanctus Sabbas natus anno 439. nonagenarius obiit anno 531. Diſcipulus, & fortaſſis etiam ipſe Cappadox, ſuper vixerit magiſtro, & objerit, anno circiter 550.

In Menol. Græcorum hac die agitur, & de SS. Coſma & Damiano, & eorum fratribus tribus aliis. Qui Arabes, & medici, *amiſthi* (quod gratis omnibus mederentur) & ſua arte Chriſtum inſtillantes; ſub Diocletiano, in Cilicia, a Lyſia Præſide (ſive Duce) in Urbe Ægis, demerſi in mare propter fidem, & inde ſalvi educti in terram; poſt Crucem, gladio obtruncantur. Αὐγαῖς ſphalma, pro Αἰγαῖς factum. De Coſma & Damiano, die 27. Septembris agit Bailletius cum Latinis.

DIE VIGESIMANONA.

Ruthenè: Anaſtaſia. Abramii.
Græce: Τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Ἀβραμίου, καὶ τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος Ἀναστασίας τῆς Ῥωμαίας: *Sancti Patris noſtri Abrahamii: & ſanctæ magnæque martyris, Romanæ Anaſtaſiæ.*

COMMENTARIUS.

Græci præponunt ſanctum Abrahamum Anaſtaſiæ. Abrahami acta bona, & ædificantia & compun-

pungentia habemus, ex illis ſanctorum Patrum. De duobus ſanctis hujus nominis agit Bailletius; de Abbate, die Junii 15. de ſolitario & eremita, die 16. Novembris; de hoc autem, die iſta.

Anaſtaſia ſub *Decio* & *Valeriano* paſſa dicitur, cum Cyrillo, a *Probo* ἡγεμὼν, Præſide. Alibi paſſa dicitur ſub *Diocletiano*, & *Floro Præfecto Illyrici*. Acta equidem ſunt confuſa, & corrupta per multos, & præſertim per Metaphraſtem. Nos ea expurgavimus, & edidimus ſeparatim ab hoc opere; cauſa impellente, quia de re noſtra agebatur. Sancta namque modo Anaſtaſia, eſt titularis Metropoliticæ Eccleſiæ ſanctæ Severinæ: cujus, licet indigni, ſumus Archiepiſcopus. In Diſſertatione igitur illa, qui cuncta noſſe cupit, & ſenſuum noſtrorum vim, eam adeat. De Anaſtaſia Menologium Baſilii agit duodecima die Octobris.

DIE TRIGESIMA.

Ruthenè: Zinobia, Zinobiu.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ζηνοβίου, καὶ Ζηνοβίας τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ: *Sacroſancti martyris Zenobii, & Zenobiæ ſororis ejus.*

COMMENTARIUS.

Nati Zenedoto, & Thecla, parentibus Chriſtianis. Zenobius ſuo tempore fit Epiſcopus Ægæ, quæ ſua patria. Comprehenſus ſub Diocletiano, Lyſiæ ſiſtitur Præſidi Ciliciæ. A quo, dum interrogatur & torquetur, Zenobia ſoror, ſe ipſa accurrens, prodit, ut Chriſtianam. Ambo itaque excruciantur, & ambo poſt multa alia, obtruncantur. Acta erant bona, antequam manum Metaphraſtis paſſa eſſent. Ibi prodigia, & vix ferenda hebetudo: Diocletianus interrogat, qui amplius non intervenit: ſed Lyſia torquet, & agit reliqua. Vide hæc omnia apud Surium die iſta. De his nihil Bailletius toto opere.

DIE TRIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Epimachu. Stachii, Lampii,

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἐπιμάχου, καὶ Στάχυος, καὶ Λαμπίου. *Sanctorum martyrum Epimachi, Stachyos, & Lampii.*

Vide Menol. Græc. die iſta.

MENSE NOVEMBRI.

DIE PRIMA.

Ruthenè: Coſma; Damianu.

Græcè: Τῶν ἁγίων ἀναργύρων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ, τῶν υἱῶν τῆς ἁγίας Θεοδότης. *Dormitio Sanctorum anargyrorum Coſmæ & Damiani, filiorum Sanctæ Theodotæ.*

COMMENTARIUS.

Ita Baſilii Menologium: at Menologium Græcorum, ait: Μνήμη τῶν ἁγίων καὶ θαυματουργῶν ἀναργύρων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ, υἱῶν Θεοδότης τῆς ἐξ Ἀσίας: *Memoria Sanctorum, & miraculoſorum anargyrorum Coſmæ & Damiani, filiorum Theodotæ ejus, quæ fuit ex Aſia.*

Οὗτοι οἱ ἅγιοι εἷλκον τὸ γένος ἐκ τῆς Ἀσιάτιδος γῆς, πατρὸς μὲν ὑπάρχοντος Ἕλληνος, μητρὸς δὲ χριστιανῆς, τοὔνομα Θεοδότης· ἥτις χηρείας ἐκ τοῦ ἀνδρὸς ὑποστᾶσα, καὶ ἀσκήσεως εὐκαίρου λαβομένη, πᾶσαν ἰδέαν ἀρετῆς τελείας αὐτοὺς ἐξεπαίδευσε. πάσης δὲ ἐπιστήμης ἐν πείρᾳ γενόμενοι, ταῖς λοιπαῖς χαίρειν εἰπόντες, τὴν ἰατρείαν τῶν ψυχῶν, καὶ τῶν σωμάτων ἠσκήσαντο, θεραπεύοντες πᾶσαν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν, καὶ οὐκ ἀνθρώποις μόνον ἐπικουροῦντες, ἀλλὰ καὶ κτήνεσι. διὸ οὐδὲν παρά τινος τὶ λαβεῖν ἠνέσχοντο πώποτε, ἀλλὰ δωρεὰν καὶ ἀμισθὶ ἰατρεύοντες, οὕτω καλῶς τὸν ἑαυτῶν βίον διαπεράσαντες, καὶ εὐσεβῶς ἐν εἰρήνῃ τελειωθέντες, κατετέθησαν τὰ τίμια αὐτῶν λείψανα ἐν τόπῳ καλουμένῳ Φερεμάν: *Hi Sancti traxerunt genus, ex terra Aſiatica, patre quidem Ethnico, matre vero Chriſtiana, nomine Theodota. Quæ viri vidua, & ſanctitate opportuna capta; omnem perfectæ virtutis ſpeciem ipſos inſtruxit. Omni autem ſcientia periti, reliquis valedicto, medicam artem, animarum & corporum, exercuerunt: curantes omnem infirmitatem, & morbum omnem, non ſolum hominibus opem ferentes, verum etiam jumentis. Nec ab aliquo quidquam unquam ſuſtinuerunt accipere, ſed gratis & ſine pretio medicantes, ita bene ſuam vitam tranſigentes, pieque in pace conſummati, ſua pretioſa corpora, in loco Phereman appellato, depoſuerunt.* Hæc Menologium Græcorum.

Idem dicit Menologium Baſilii: ſed mittit patriam regionem, & patrem ethnicum; additque rem, quæ in dubium adducere poteſt Acta. *Palladia quædam, Damiano, a quo curata fuerat, tria ova obtulit: ille accipit. Reſcit id Coſmas, & præcepit, ne fratris oſſa, poſt mortem penes ſe collocent. Moritur prius Coſmas, hinc Damianus. Dum deliberat populus, ubi Damianus ſepeliatur; Camelus, qui a Sanctis ſanatus fuerat, voce humana, cum fratre dicit, Damianum humandum fore*, ὅτι οὐκ ὡς μισθὸν ἔλαβεν τὰ ὠά, ἀλλὰ διὰ τὸν ὅρκον: *quia non mercedis loco, ſed juramento adactus accepiſſet.* Si næc talia qualia Acta haberemus, eſſet inſpiciendum, num pro *ovis*, & *jurejurando*, erat ὀβολὸς & ὁλκὸς, *tres obulos, & propter tractum, vecturam rei*, neſcio cujus, cum Actis caream. *Camelus* non ſit locutus, ſed ſi vere *camelus* (& non χαμηλὸς, ideſt *humilis* quiſpiam, *abjectus*, *pauper*) corpus Damiani deduxerit ad ſepulchrum, dum incerti illi impoſuerunt, firmus reſtitit: quod in aliis factum legimus. Sed hi conatus inanes ſint & fruſtranei; quod etiam puduerit Metaphraſten, & Nicephorum, ea exſcribere, ut men-

dicabula otioſorum. Pro eruditione nummaria, eſto hic notem. *Obolus argenteus, ſexta pars erat drachmæ: Drachma, octava pars unciæ. Obolus æreus,* valebat *Aſſarium*: *æreolus* nummulus ultimus æreorum, erat *quadrans*: hodie *quadrino*.

Cæterum hi Sancti fratres diverſi ab iis fuerint, de quibus ut Arabibus, & martyribus, Menologium Baſilii die 27. menſis Octobris, & Menologium Græcorum die 28. ut vidimus, peregerunt. Arabes namque ſub Diocletiano, & Lyſia Præſide Ciliciæ, una cum ſuis fratribus Anthimo, Leontio, & Eupropio. Ibi dicit tria paria, eadem nômine. Filii Theodotæ, in pace obeunt. Alii Romani, a magiſtro in monte, lapidibus obruti. Ultimi hi ex Arabia, medendo, in Cilicia obtruncantur. Haud autem omnes fuerint alii ab Arabibus. Solos Romanos, Coſmam & Damianum, ne Roma ipſa martyres ſuos novit, aut colit, ſed ſolos Arabes. De filiis Theodotæ confeſſoribus agunt Græci: ſed celeberrime omnium, hac prima Novembris die. De his omnibus, cum Cenſura debita die 27. Septembris agit Bailletius.

Pro his illuſtrandis, multi inſudarunt, ſed potius tenebras alias effuderunt. Rainoldus Dehnius ſua evulgavit de tribus paribus anargyrorum, anno 1660. ediditque Vindobonæ. Opus Bavari Simonis Wangnerick, pariter Societatis Jeſu, collectio eſt rerum Metaphraſtis, per Nicetam quendam (forſan Paphlagonem Georgium Epiſcopum Nicomedienſem) & alios incognitos. Omnia vere nihili. Georgius Nicomedienſis, nono ſeculo, & Photii tempore; Niceta etiam dictus & Paphlago. Vid. Bailletium in feſto Præſentationis B. Virginis, die 21. Novembris col. 350. ex Cembeſiſii Bibliotheca Patrum, tomo I. Anecdotorum. Verum ſui fratris Wangnerick conatum improbavit, vel ipſe Vir Clariſſimus Sollerius, in ſuis Notis ad Uſuardum. Sola namque inordinata devotio, ex *uno* fecit *tria paria Anargyrorum ejuſdem nominis*. Nos contenti ſumus Arabibus ſolis medicis: etſi Baſilii Menologium dicat etiam, tres *martyrum* συζυγίας: quamquam filii Theodotæ non ſint habiti, velut martyres ab aliquibus.

DIE SECUNDA.

Ruthenè: Acindinu, Pigaſii, Elpidii, Anempodiu.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἀκινδύνου, Πηγασίου, Ἀνεμποδίστου, Ἐλπιδιφόρου, καὶ τῆς συνοδίας αὐτῶν: *Sanctorum martyrum Acindyni, Pegaſii, Aphthonii, Anemvodiſti, Elpidephori, & Sociorum eorum*. Ita Baſilii Menologium.

COMMENTARIUS.

Sub Conſtantino Imperatore, & Sapore Perſarum Rege, hi Perſæ *comprehenſi e Cellulis ſuis* (ἐν ἰδιάζοντι κελλίῳ καθεζόμενοι) dum cruciantur, *mutum reddunt, & ſuis precibus ſanant Regem*, διὰ προσευχῆς ἄλαλον ποιοῦσι τὸν βασιλέα, καὶ πάλιν θεραπεύουσι. Iterum nihilominus in tormentis: & quod in lebetibus plumbo liquefacto plenis, incolumes cernuntur; Aphtonius miles ad Chriſtum convertitur; ſtatimque extra mænia obtruncatur. Illi ſacco immiſſi, in mare projiciuntur: Aphthonius vero eis cum Angelis apparet, & ad littus ſalvos educit. Idcirco manus militibus, qui eos projecerunt, præciduntur. Elpidephorus vir Senatorius, miraculis hiſce motus, objurgat Regem. Et dum *ſeptem millia* in Chriſtum credunt, omnes capite obtruncantur. Præter hos autem, *alii viginti & octo viri*, qui cum Saporis matre Chriſtiani facti ſunt, abſumpti fuerunt igne.

Menologium Græcorum ſilet *cellulas*; ait *Regem factum mutum, quod in Chriſtum blaſphemias jacebat* βλασφημίας εἰς Χριστὸν ἤρχετο. Addit, *antequam in lebetibus probarentur, craticulis impoſitos; pluvia extinctum ignem; hinc Jovis ſimulacrum dejectum. Tandemque martyres noſtros, convertiſſe Saporis matrem, igneoque conſumptos eſſe*. Mihi nonnihil fabulæ in Actis olet, legendis apud Surium ex Lipomano die iſta, a Metaphraſtis manibus, in conſcribendo, deturpatis. Ubi enim in Perſide *Idola* ulla, & inter hæc illud *Jovis*? Sileo de illis *cellulis*; illi *ſeptem millia* converſi, apud Metaphraſtem ſunt 300. tantum. Si ignis autem illos conſummavit; quid in craticulis nil læſi ſunt *ab eodem igne*? Ex eodem equidem fonte, ſua Menologii Baſilii, & Græcorum, ſua iſta ex parte derivarunt: & cum his, quæ Metaphraſtis Acta non habent, habent autem hic Menologia, eorum collatio fieri poteſt, ut inde veritas eluceſcat. *Elpidius*, apud Græcos eſt *Elpidephorus*. De his nihil toto opere Bailletius.

DIE TERTIA.

Ruthenè: Accepſimu, Joſephi, Jamphaphi.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἀκεψιμᾶ, Ἰωσὴφ, καὶ Ἀειθαλᾶ: *Sanctorum Martyrum Acepſimæ, Joſeph, & Aithalæ*. Menologium Baſilii addit Acepſimæ, ἐπισκόπου; Joſepho, πρεσβυτέρου; & Aithalæ, διακόνου. *Epiſcopi, presbyteri, & diaconi*.

COMMENTARIUS.

Sub eodem Sapore Rege, hi Perſæ: Accepſimus anonymi loci Epiſcopus, inter verbera, pro Chriſto expirat; Joſeph, & Aithalas, inverſo capite ſuſpenſi, item obeunt. Archimago, cui ſiſtitur, Menolog. Græcorum dat nomen Ἀνδραχωσχαρτῷ, *Andrachoſcharto*, pro *Adracho*, nomine, ſed per errorem: addit Ἀρχιμαγύρῳ, *Archimagyro*, pro Ἀρχιμάγῳ, *Archimago, Magorum Principe*. Quid enim eſt, *Principi coquorum*, cum judiciis capitalibus? A *Sanctis magis*, intelliges, quid Perſæ fuerint iſti *magi*. Dignitates ſilet etiam in Synaxario, additque *Acepſimam*, ὑπὸ τριάκοντα στρατιωτῶν, *a triginta militibus* verberatum: *Aithalam* ὑπὸ τεσσαράκοντα, *a quadraginta*. Menologium Baſilii, ætatem Acepſimæ, 81. *annorum* aſſignat: Joſephum ait, γηραιὸν, *ſenem* etiam.

Meno-

Menologium Græcorum hac eadem die agit de Acepſima alio, confeſſore ſub Theodoſio magno: τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀκεψιμᾶ: *S. Patris noſtri Acepſimæ*. Qui presbyter in domuncula (ἐν οἰκίσκῳ) ſe ipſum ad annos 60. includens, ſancte tandem, & cum miraculis obiit. Agit & de Theodoro Epiſcopo Ancyrano, confeſſore: qui tamen non habet proprium Synaxarium. Μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοδώρου ἐπισκόπου Ἀγκύρας:

In actis veris, & bonis (quæ ſunt apud Surium Aprilis 22. die) tanta deformitas ante, & poſt Metaphraſten, cujus ſunt illa opus, inducta eſt, ut etiam facillimo cuique, eorum corruptio, (ex repetitis, & interim variis tormentorum generibus & machinis, ad ſeptem, & octo annos; ſæpe ad oſſifragium redacti, non uno, ſed toto corpore, & interim carceri reſtitutos) evidentiſſime appareat: ac proinde Actorum & portentorum hujuſmodi reprobatio. Acepſima quidem in ipſis eſt *Epiſcopus*, Joſeph *presbyter*, Aithalas (vel *Acithalas*, ut vult interpres) eſt *diaconus*: ſed hic *Aithalas* eſt ille Culcinii *Jamphaphus* diaconus Ephemeridum, ſupraſcriptus: ex compendiaria inſcriptione, a Culcinio male lecta. Non ſunt equidem in his idolorum monſtra & Jovis, ut in relatis SS. Acindyni & Sociorum, ſed bene, tantum eſt ſol, & ignis: quæ ſunt veſtigia veritatis: ſed in aliis diffido diſcernere vera a falſis; & idcirco de ipſis placet, amplius non mutire.

DIE QUARTA.

Ruthenè: Joannicii, Nicandru.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωαννικίου τοῦ μεγάλου καὶ τῶν ἁγίων ἱερομαρτύρων Νικάνδρου ἐπισκόπου Μύρων, καὶ Ἑρμαίου πρεσβυτέρου: *Sancti Patris noſtri Joannicii Magni: & ſacroſanctorum martyrum, Nicandri Epiſcopi Myrorum; & Hermæi presbyteri*. De his nihil habet Menologium Baſilii, die iſta.

COMMENTARIUS.

Joannicii Acta ſunt apud Surium. Natus ipſe, anno 24. Copronymi Imp. (quem falsò pro *Conſtantino* dicit Λέοντα) in Bithynia, patre *Myritrice*, matre *Anaſtaſia* (Metaphraſti apud Surium hi dicuntur, *Miritzicius*, & *Anaſtaſo*); ex miliite, poſt quadrageſimum ætatis annum, petit Olympum montem & ſolitudinem; & poſt ſanctam vitam, obiit annorum 94. Alii dicunt annorum 116. Qui verò ſub 14. Copronymi natum ajunt, annorum dicunt 90. Mortuus eſt enim anno Chriſti 735. Alii dicunt annorum 80. vel 81. qui Leonem Chazaram dicunt illum Imperatorem: ejuſque forte opinionis fuit ille, qui *Leonem* ſcripſit in Synaxario. Hæc Bailletius, qui non novit Leonem hunc aſſignatum a Metaphraſte, ea a 14. anno Copronymi, recte prodidit. Si vere tamen ſint Metaphraſtis: nam contra Baronium; alteri quam ei, cl. Pagius aſſignat. Bailletius, quamquam putaverit Metaphraſtis, ei credit, quod ille minus fingat, in temporibus ſibi viciinioribus: præſertim, ubi portentuta non narrat. Papebrochius in Ephemeridibus ſuis, Acta promittit alia; ex authoribus *Petro* monacho, & *Saba*, item monacho ejuſdem loci. Omnia, e Sociis Papeprochii expectamus græcolatina: & utinam ſine his tricis. Metaphraſtis Acta (cum vulgo loquor) habent: quartodecimo anno tyrannidis Leonis filii Iſauri Conſtantini: Bailletius autem ait, anno 14. Leonis *Iſauri*, Chriſti anno 730. vel anno 735. ſub Copronymi anno 14.

Nicander, & Hermæus (qui ab *apoſtolo Tito*, in Synaxarii Rubrica, *ordinati* dicuntur: χειροτονηθέντες παρὰ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Τίτου) dum intendunt Ethnicorum converſioni, *Libanio Comiti Civitatis* ſiſtuntur (τῷ τῆς πόλεως Κόμητι Λιβανίῳ) qui equis indomitis eos alligat & raptat: projicit hinc in caminum ardentem, & incolumes eos exire cernens, clavis eorum capita, & viſcera, & corda configi jubet; & ſic in tumbam injici, in qua martyrium tandem perficiunt. Mihi ſcrupulus ex titulo *Comitis* tempore apoſtolico. Si feratur, *Lyciæ Præſidi*, fortaſſis ferenda Acta. Sed de his in Epiſcopis Myrenſibus, latius diſſeruimus, in Prolegomenis ad Acta S. Nicolai, cap. 3. in Lyciæ deſcriptione.

Menologium Baſilii (quod de *Joannicio*, & *Nicandro & Hermæo* hic nihil habet) hac die quarta agit, de Sanctis Apoſtolis e ſeptuaginta, tanquam a Beato Andrea apoſtolo ordinatis Epiſcopis, *Patroba* Puteolorum, *Herma* Philipopoleos, *Lino* Romæ poſt Petrum (Papa) *Cajo* Epheſiorum poſt Timotheum, & *Philologo* Sinopis: quos in ſuis ſedibus dicit, *in pace defunctos*.

DIE QUINTA.

Ruthenè: Galactionu, Epiſtimia.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Γαλακτίωνος καὶ Ἐπιστήμης: *Sanctorum martyrum Galactionis, & Epiſtemes*.

COMMENTARIUS.

Sub Decio Imperatore, & ſecundo Præſide, ex urbe Emeſa Galaction, *filius Clitophontis & Leucippes*, ab Honuphrio quodam monacho baptizatur, (qui naſciturum eum prædixerat, & parentes etiam baptizaverat). Poſt matris mortem, Epiſtemen (adhuc Ethnicam, & ex parentibus item Ethnicis) ei deſpondet pater. Quam, domum ductam ipſe baptizat, quod ob perſecutionem, presbyteri copiam non haberet. Tunc ſua omnia dant pauperibus, fugiunt in montes, *atque in monaſteria ſeparatim, uterque ſe recipit*. καὶ ἐνδύναι ἰδίως εἰς μοναστήρια. Acriori mota interea perſecutione, Galaction comprehenditur, & dum ad *Urſum* fertur Præſidem Provinciæ, Epiſteme eum aſſequitur: & cum eo pariter præciſis manibus & pedibus, obtruncatur. Græcorum Menologium addit, *poſt prima verbera, eis evulſas ungues, & defixos ligno*, demum præciſas manus & pedes, ac obtruncatos. Cenſura Actorum (quæ ſunt apud Surium, die hac quinta Novembris, qua paſſi ſunt) hæc, mea eſt: ea ante, & poſt Metaphra-

h 2

taphaſten cui tribuuntur, corrupta eſſe. *Honuphrium*, reputo fictum nomen. Non ſimulaſſe mendicitatem, ſed vere fuiſſe pauperem Chriſtianam, non vero monachum. Monaſteria virorum & mulierum ſub Decio, eſſe ſomnia: ἀσκητήρια, ἀσκητήρια in ſolitudine, aliquorum fugientium a Civitatibus, ad perſecutiones declinandas, admitto. Acta reliquum bona: nam tormenta barbarica forte vera: quia in Phœnicia, in Perſide, in Syria, barbaris, & regionibus conſueta.

Menologium Græcorum hac die quinta agit de ſanctis illis e ſeptuaginta apoſtolis, cum Synaxario, de quibus pridie egit Baſilii Menologium. Bailletius, de Galactione & Epiſteme, toto opere nihil habet.

Die sexta.

Ruthenè: Pauli. Trideſiatri. Mucenic. Militini. Lazaru.

Græce: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Παύλου Ἀρχιεπισκόπου Κπόλεως, τοῦ ὁμολογητοῦ.

Die ſequenti. Τῶν ἁγίων τριάκοντα τριῶν μαρτύρων, τῶν ἐν Μελιτινῇ μαρτυρησάντων. Ita Menol. Græc. Illud vero Baſilii, ita dicit: Τοῦ ἁγίου Ἱέρωνος, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ τριάκοντα δύο μαρτύρων.

Μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν, καὶ θαυματουργοῦ Λαζάρου, τοῦ ἐν τῷ Γαλησίῳ ὄρει.

Sancti Patris noſtri Pauli, Archiepiſcopi Conſtantinopoleos, Confeſſoris.

Sanctorum triginta trium martyrum, qui in Melitene paſſionem ſubierunt, vel: *ſancti Hieronis, & aliorum triginta duorum, qui cum eo martyrium paſſi ſunt.*

Commemoratio S. Patris noſtri, & Thaumaturgi Lazari, qui in Monte Galeſio ſe exercuit.

COMMENTARIUS.

Alexandro Epiſcopo Conſtantinopolis vita functo, Paulus ex Theſſalonica ortus, ejus Notarius antea & Diaconus, Patriarcha ordinatur. Imperator Conſtantius eum dejicit, Ariano ei ſuffecto, Euſebio Nicomedienſi; (*qui anno 337. ipſum baptizaverat, & in Arianum dogma declinaverat*: mea ſunt iſta). Paulus Romam navigat, & ibi invenit Athanaſium. Ex literis autem Conſtantis Imperatoris, uterque reſtituitur: & iterum Arianorum opera, ejicitur. Conſtans ſcribit fratri, ut reſtituat, alias indicit bellum. Reſtituitur Paulus; Conſtans moritur. Conſtantiuſque eum in Cucuſum Armeniæ urbem relegat: ubi ἐν οἰκίσκῳ, *in domuncula*, in qua degebat, ſuo *Homophorio*, ab Arianis ſuffocatur. Eadem habet utrumque Menologium: & Homophorion in Imagine Menologii Baſilii, eſt *Græcum pallium Epiſcopale*. Bailletius (qui de noſtro Paulo, cum Latinis agit, ſeptima die Junii) ubi de ὠμοφορίῳ loquitur, & Zona Beatæ Virginis, dicit eſſe *Humerale*, & Gallice *Echarpe*. Sed hæc eſt *humeralis fœminarum*, non hominum, nec Sacerdotum: & *Humerale* Sacerdotum, eſt quid diverſum a Græcis, apud Latinos eſt *pallium Epiſcopale*. Vide hæc autem enucleatius apud Tillemontium in Paulo, & Arianiſmo; & dilucidius apud Bailletium dicta die. Metaphraſtes nihil hic temeravit.

Hieron, Nicander, Heſychius, & alii triginta, ſub Diocletiano & Maximiano in urbe Armeniæ Mélitina, a Præſide, poſt multa, martyrio conſumantur. Hæc habet Baſilii Menologium. Illud vero Græcorum in Rubrica Synaxarii dicit: Τῶν ἐν Μελιτινῇ Ἱέρακος, (ita) καὶ τῶν λοιπῶν, *Hieracis*, pro *Hieronis*, & *reliquorum, qui in Melitina paſſi ſunt*. In Synaxario verò, Ἱέρων, dicitur γεωργὸς τὸ ἐπιτήδευμα, *agricola exercitio*. Miniſtri idolorum, *latronum more* (λῃστρικῶς) volunt eum comprehendere: ipſe arrepto ligone ferreo, manubrio illius pro armis uſus, ſanguine & ſudore manantes, eos in fugam verſos, eſt perſecutus. Ultroneo (ἑκὼν) verò ad Præſidem profectus, & ab eo interrogatus, dextera uſque ad cubitum amputatur. Reliqui in terram projecti, baculis flagellantur. Sequentique die, ab aurora, ad multas horas, virgis percuſſi, extra urbem Melitinam, cum Hierone, capite obtruncantur. Ab iis Menologii Baſilii, multa varia hic narrantur: & ſi interroger; veriſimiliora ſunt ea Baſilii, quæ nondum paſſa erant manum Metaphraſtis: quæ habet hac die Surius. Interim verò auſus diſplicet Hieronis, quod manſuetudinem martyris non ſapit; purgatus forte, dum patitur, in ipſa dextera criminoſa. Diplicet, & *Victoris* defectio, quæ in Actis habetur.

Cæterum horum 33. martyrum nomina, aliunde haud ſperanda: ex ſecunda & tertia ſtrophe Canonis, iſta ſunt. Nicander, Heſychius, Athanaſius, Mamas, Barachius, Callinicus, Theagenes, Nicon, Longinus, Theodorus, Valerius, Xanthias, Theodulus, Callimachus, Eugenius, Theodotus, Oſtruchius, Hieron, Epiphanius, Maximianus, Ducitius, Claudianus, Theophanes, Gigantius (an *Peganius*?) Dorotheus, Theodotus, Caſtricius, Anicetus, Themelius, Eutychius. Hi autem ſunt *triginta*, non *triginta tres*. Nec aliunde in toto Canone, aliud eorum apparet nomen.

De Lazaro, præter dictam Rubricam, nihil habet, nec Menologium Baſilii, nec Græcorum ad diem iſtam. Bailletius autem, poſt Bollandianos, de hoc Lazaro, monacho, & pictore, tempore Iconoclaſtarum, agit die tertia Februarii: ubi ejus geſta petenda ſunt.

Die septima.

Ruthenè: Sobor Archiſtratiga Michaila: Feſtum Archiſtrategi Michaelis.

Græcè: Ἡ Σύναξις τοῦ Ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ, καὶ τῶν λοιπῶν ἀσωμάτων δυνάμεων: *Synaxis Archiſtrategi Michaelis, & reliquarum Spiritalium Poteſtatum*. Strictior eſt inſcriptio in Baſilii Menologio: Σύναξις τῶν Ἀρχαγγέλων. *Synaxis Archangelorum*.

COMMENTARIUS.

Antequam Deus conderet Orbem, paulo ante creavit Angelos. E duobus eorum Ducibus; *Sabael* (qui poſtea fuit Diabolus & Satanas, ſe Deum exiſtimans) cum ſuis aſſeclis eſt dejectus: alter Michael, ſe cum ſuis creaturn agnoſceus; ſuos colligit, & hortatur, ut maneant in ſui, & Dei cognitione. *Hujuſmodi* igitur bonorum Angelorum *conſpiratio*, *Synaxis eſt appellata: hoc eſt ... Concordia, & Unio*: Ἡ τοιαύτη οὖν σύγκροτις, ὠνομάσθη σύναξις, τουτέστι .. ὁμόνοια, καὶ ἕνωσις. Menolog. Græcorum ſilet d *Sabae e*; ait in Rubrica Synaxarii, agi, τῶν ἐννέα ταγμάτων, Σεραφὶμ, Χερουβὶμ, Θρόνων, Κυριοτήτων, Ἐξουσιῶν, Ἀρχῶν, Δυνάμεων, Ἀρχαγγέλων, καὶ Ἀγγέλων: *Novem Ordinum, Seraphim, Cherubim, Thronorum, Dominationum, Virtutum; Principatuum, Poteſtatum* (qui ſint illi *Septem Spiritus* Dei, qui adſint Throno Altiſſimi): *Archangelorum*, & *Angelorum*. Refert verba Satanæ: *Thronum meum ponam in nubibus* &c. & caſum ejus cum ſuis. Dicit, idcirco dici *Synaxis*, ut Menol. Baſilii: hinc procedit ad loca ſcripturæ, in quibus *Michael* mittitur *Abrahæ*, *Lot*, *Jacob*, (dum fugiebat fratrem) *Judæis* (dum fugiunt in Ægypto) *Balaam*, *Jeſu* Nave. Addit vertiſſe flumina in impios, Coloſſis (quæ pura & antiqua fabula) ac denique ex collatis beneficiis, eſſe Patronum noſtrum. Nos de prioribus narrationibus, nec mutimus, nec judicamus.

DIE OCTAVA.

Ruthenè: Oniſiphoru, Stephanida, Porphyriu, Oneſiphori, Stephanidæ, Porphyrii.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων, Ὀνησιφόρου, καὶ Πορφυρίου: *Sanctorum martyrum, Oneſiphori, & Porphyrii*, Hæc tantum habet, ſine *Stephanida*, Menologium Græcorum: ſed die *nona*; de more novo.

COMMENTARIUS.

Sub neſcio qua perſecutione, comprehenſi diu verberantur pro fide, ac tandem equis indomitis alligati, per tribulos & aſpera tracti, moriuntur. Eorum reliquias colligunt Chriſtiani, & *in pago*, *Panceanorum*, nuncupato depoſuerunt: ἐν κώμῃ Παγκεανῶν κατέθεντο. De eorum conditione, & perſecutore nihil. Nec *Panceanorum* pagus, cuiquam eſt notus Geographorum. *Diurnum* Ruthenicum, *Oneſiphorum* dicit, *primum Epiſcopum* Cæſareæ Paleſtinæ (cujus, Menæa dicunt, primum fuiſſe Epiſcopum, Cornelium Centurionem) & *Porphyrium*, ejus *Diaconum*. De Porphyrio martyre, Menologium Græcorum agit, die quarta hujus, poſt Joannicium, & Nicandrum; num noſtro, ignoro. Ille ſub Anulino, Epheſius, & Scenicus a pueritia, dum ludit fabulam, ab imitante Epiſcopum Scenico, per jocum baptizatur: ipſe re vera credit: orare Orientem verſus, angeli eum docent, & frontem, & totum corpus cruce ſignare. Hinc, & alii, ejus exemplo (διὰ νεφέλης ἐβαπτίσθησαν) *per nubem* ſunt baptizati. Comes Alexand..., vocat Sacerdotes idolorum, ad Taurum mortuum ſuſcitandum: promittunt illi, nec faciunt. Id Porphyrius agit oratione, qua & idola in terram labuntur: & Comes rabie, Sanctum gladio feriri jubet. Fabula in vera pauca, intimius ſe inſinuavit. *Angeli* ſint *clerici*, *nebula* ſit *aqua*; *Taurus & alia*, mera fabula.

Menologium Baſilii, eadem die, multa eorundem narrat. Addit Comitem Alexaudrum, ſub Aureliano Imperatore, fuiſſe Cæſarienſium. Cæſarium ab eo inductum, qui in ſcena perſonam Epiſcopi indueret; &, licet falſo & per jocum, vera baptiſmi forma ſit uſus. Dum Porphyrius baptizatur, viſibiliter adſunt angeli cum lampadibus (hæc habet etiam Græcorum Menologium) & pſallunt: *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, alleluja*: eoque miraculo commoti plurimi, in Dominum credidere. Comes rubore ſuffuſus, ſequenti die Sanctum, tamquam magum, jubet obtruncari. De Tauro & Sacerdotibus, nullum verbum. Sed ita etiam, incommodum, ab ea, tot Chriſtianis, apparitione viſibili, cantuque angelorum. De quibus, modo ſupra, judicium tuli. Eadem in Sanctis martyribus *Geneſio*, & *Gelaſino*, fabulæ placuit ludere. Multiplicavit *entia* ſine neceſſitate. De his Bailletius nihil habet.

Idem vero author die 4. Septembris agit, de S. Oneſiphoro, Pauli Apoſtoli Diſcipulo. Ait ſequiores Græcos, unum e 73. Diſcipulis eum dicere, & modo Epiſcopum Colophonis, modo cujuſdam Cæſareæ, modo Coroneæ in Beotia. Dicit, ſe neſcire, num Martyrologium Romanum, a Græcis ſumpſerit, ipſum fuiſſe Apoſtolorum Diſcipulum, & in Helleſponto, una cum ſancto Porphyrio, ſub Hadriano Proconſule, poſt multa, fuiſſe equis indomitis alligatum, raptatumque. Tandem dicit, ſine authore alio, iſta non poſſe recipi. Græci de ipſis agunt, etiam 14. Aprilis, & 8. Decembris, Latini de iiſdem, ſexta Septembris die; nec de hac *octava*, vel *nona* Novembris die meminerunt.

De Stephanida, quam *monialem Ruthenam*, dicit Culcinius, nihil habet hic utrumque Menologium: eam tamen noſtræ Ephemerides, ut viſum, habent. Sed eam mox die decima, videbimus martyrem cum Victore, ſub M. Aurelio Antonino, & Sebaſtiano Duce Italiæ. Vide infra.

Menologium Græcorum agit hac *nona* die, memoriam SS. martyrum Chriſtophori & Mauræ; ſine Synaxario. Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος Χριστοφόρος καὶ Μαῦρα ξίφει τελειοῦνται. *Hac eadem die, Chriſtophorus & Maura, gladio conſummantur*. Uxor ejus fortaſſe, aut ſoror.

Die nona.

Ruthenè : Eraſtu. Olympu. Rhodionu. Eraſti. Olympi. Rhodionis.

Græce : Τῶν Ἀποςόλων Ὀλύμπα, Ῥοδίωνος, Σωσιπάτρυ, Τερτίυ, Ἐράςυ, καὶ Κυάρτυ : *Sanctorum Apoſtolorum, Olympi, Rhodionis, Soſipatri, Tertii, Eraſti, & Quarti*. Menologium Græcorum in Rubrica Synaxarii addit : ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα : *e ſeptuaginta* diſcipulis.

COMMENTARIUS.

Olympus & Rhodion, Romam ſecuti Petrum, ſub Nerone damnantur capite. Soſipater Epiſcopus Iconii, in pace obit. Tertius Soſipatri in Epiſcopatu ſucceſſor, in pace quoque defungitur. De ipſo, Menologium Græcorum nihil habet in Synaxario. Eraſtus ex Œconomo Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, inde Epiſcopus fit Paneadis; itemque in pace. Quartus Epiſcopus Beryti, etſi multa pro Chriſto paſſus, & ipſe tandem in pace obit. Bailletius de omnibus ſeptuaginta duobus diſcipulis, cum criterio bono, die 15. Julii, agit. Nos hic plura non aggeramus.

Die decima.

Ruthenè : Mena. Victoru. Vincentiu. Theodoru. Menæ. Victoris. Vincentii. Theodori.

Græce : Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Μηνᾶ, τοῦ ἐν Σκοτυαίῳ : *ſancti magnique martyris Menæ, qui in Scotyæo colitur*. Corrige Κοτυαίῳ : *Cotyæo*.

COMMENTARIUS.

Ægyptius, ſub Maximiano militans *in numeris, qui Rhutalici dicebantur* (ςρατευόμενος ἐν τοῖς Νουμέροις, τοῖς λεγομένοις Ῥουταλικοῖς ἐπὶ Ἀργυρίσκου Ἡγεμόνι, ἐν τῷ Σκοτυαίῳ Φρυγίας Σαλουταρίας) *ſub Argyriſco Præſide, in Scotyæo Phrygiæ Salutaris*, haud ferens errorem idolorum ita graſſari, in montem ſecedit, jejuniis & orationibus ſe purificans. Hinc deſcendit, & in Ethnicorum medio, Chriſtum prædicat. Poſt multa tormenta, capite obtruncatur. Hæc Menologium Græcorum habet. Acta ſunt optima apud Surium, die undecima, ibique legenda cum fructu; nec manum paſſa ſunt Metaphraſtis, etſi ejus hæc dicit Surius. Ibi *Pyrrhus*, eſt vere *Præſes*, & ita etiam dicitur Bailletio; non corruptiſſimus *Argyriſcus*.

Baſilii equidem Menologium, habet aliqua, quæ ſuperant falſitatem, niſi evidenter corrigerentur. Dicit : ςρατευόμενος ὢν τῷ Νουμερίῳ, ἐν Κοτυαίῳ πόλει Φρυγίας : quæ vertuntur : *Cumque in Cotyæo Phrygiæ urbe, ſub Numerio mereret*. Ita *eſſe in Numeris*, evadit : *ſub Numerio Præfecto militum*. Legendum autem erat νουμέρῳ, & vertendum : *In Numero*, vel *Numeris*. Adi Lipſium, & alios, *de Romana militia*. Reliqua habet Menologium Græcorum : ſed Rhutalicos numeros non novi. An *Rhutalicos*, lectos pro *Italicis*? Veriſimile.

Bailletius die iſta de hoc Menna agit, & de alio Menna Lybico. Verum Acta, quæ diximus apud Surium, & de Lybico, die Decembris decima, opus habet Metaphraſtis videri, & ſcripta ad Prototypon illorum S. Gordii martyris Cappadocis, per S. Baſilium magnum exarata. Ego a meo judicio non diſcedo: etſi miraculorum Ægyptii; falſo, apud Surium, tribuo partem, Timotheo Alexandrino Patriarchæ. Vide Tillemontium tomo 5. De Gordio, die tertia Januarii; ubi eruditis creditur, idcirco *Gordius Menas* dictus.

Eadem hac die, in utroque Menologio agitur : Τῶν ἁγίων μαρτύρων Βίκτωρος καὶ Στεφανίδος : *ſanctorum martyrum Victoris, & Stephanidæ*. Quorum commentarius iſte eſt : ſub Antonino Imperatore, & Sebaſtiano Duce Italiæ, Victor comprehenditur Chriſtianus, luxatiſque ipſi digitorum articulis, ardentem proicitur in fornacem. Menologium Græcorum addit : tres ibi dies, incolumem ſtetiſſe. Tum dat ei venenum magus; & quod innocuus illud bibit, magus convertitur Chriſto Domino. Sed Menologium Baſilii non dicit *magum*. Martyr, erutis oculis, capite demum plectitur. Menologium Græcorum addit : poſt venenum, ei cæſos nervos; oleo ferventi immiſſum; hinc lampadibus eſſe uſtum; acetum, cineremque coactum bibere; inde oculis captum, tres dies, inverſo capite ſuſpenditur (κρεμᾶται); ac detracta poſtmodum ei pelle, defunctus eſt. Quæ additiones, fabuloſiores ſunt ipſis fabulis. Præter martyrium, acta Victoris ſunt perditiſſima. De eo nec Surius, nec Bailletius quidquam habent; nec de ſequenti.

Stephanida uxor quondam cujuſdam militis, & a patribus Chriſtiana, dum hæc videt vidua, defunctum martyrem, beatum prædicat, & adducitur Præfecto : qui duabus palmis alligatam, repenteque dimiſſis, ipſam in partes duas diſcidit. Veriſimile, Victorem militem, & Stephanidam ejus fuiſſe uxorem. Sane vero, de ipſa egerant noſtræ Ruthenæ Tabulæ die octava.

Eadem die Menol. Græcorum agit : Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Βικεντίου : *ſancti martyris Vincentii*. Cujus hic Commentarius.

Celeberrimus Vincentius, Martyr Cæſarauguſtanus, dum Diaconatus officio fungitur, & pro *Hilario* Epiſcopo loci (ſic *Valerius* deformatur) Chriſtum prædicat, ad Dacianum Præſidem Hiſpaniæ, catenis vinctus ducitur Valentiam. Poſt dies aliquot, Vincentium is educit, ſuſpendit Cruci, & per membra tormentis cruciat. Recluſus martyr in carcere, angelico, & divino auxilio confortatus; denique ibi obiit. Ex Actis Latinis, & non ſinceris, & mutilatis, hæc habent Græci. Vide eadem apud Surium, in primis apud Bailletium, die 22. Januarii; qua die Latini de ipſo agunt.

Eadem die Menologia agunt etiam : Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοδώρου Ἡγουμένου τῶν Στουδίου : *Sancti Patris noſtri Theodori Præfecti monachorum Studitarum*. Cujus e Synaxario eſt Commentarius : Filius Photini, & Theocriſtes, ſub Copronymo, a Taraſio Patriarcha presbyter ordinatur. Acta ejus nota,

ta, & quæ paſſus eſt pro Imaginibus. Bailletius die iſta, natum, ait, eſſe anno 759. mortuum die 11. Novembris, anni 824. Ejus vitam ſcripſit Michael, ejus diſcipulus, mortem vero B. Xaueratius, etiam diſcipulus. Illa eſt .... Sirmondi, hæc habetur 2. tomo Auctarii Bibliothecæ Patrum Combefiſii. Præfigitur etiam vita operibus ipſius S. Theodori. Bailletius nihil eam cenſura configit ſua. In Theodoro complevimus totam inſcriptionem hujus diei.

DIE UNDECIMA.

Ruthene: Joanna, Nilu: Joannis Nili.

Græcè: Τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννε τῦ Ἐλεήμονος, καὶ τῦ ὁσίε πατρὸς ἡμῶν Νείλε. *Sancti Patris noſtri Joannis Eleemoſynarii, & Sancti Patris noſtri Nili.*

COMMENTARIUS.

Celeberrimus hic eſt S. Johannes Patriarcha Alexandrinus. Acta nota. Sub Heraclio Imperatore. Bailletius ex ejus vita, ait, mortuum ſub Marciano, annorum nonaginta; natum verò anno 451.

Nilus (de quo nihil habet Menologium Baſilii) ὁ ἀσκητὴς, ſub Mauricio Imperatore, Præfectus Urbi Conſtantinopoli; (ſub Theodoſio Magno, & Arcadio) ex compacto cum uxore, Monaſteria Ægypti petit: ipſe cum filio Theodulo, cum tenella filia ejus uxor. Barbari invadunt locum, & filium captivum ducunt: ipſe fit presbyter. Tandem ſub Juſtino Seniore ſancte obit. Et neſcio quomodo, in Templo Sanctorum Apoſtolorum, in Orphanotrophio, ſub altare non eſt depoſitus, cum filio Theodulo. Silet, quomodo a barbaris, ad patrem evaſit liber. Vide Bollandianos die 24. Junii, Caveum, Dupinium, &c. Verum Nilus hic, ſub larva aliena videtur idem eſſe, ac celeberrimus ille Euſtachius: de qua latiſſime alibi diſſeruimus.

DIE DUODECIMA.

Ruthenè: Joanna Zlatouſtoho: Joannis Chryſoſtomi.

Græcè: Ἡ ἀνάμνησις τῆς ἐξορίας τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννε τῦ Χρυσοστόμε: *Commemoratio exilii, Sancti Patris noſtri Joannis Chryſoſtomi*. Ita ex Menologio Baſilii.

COMMENTARIUS.

Ultimum hoc exilium accidiſſe die exaltationis S. Crucis, Baſilius narrat; ſed hac die non ſua celebrari. Monetque expreſſe, non de die dormitionis ejus nunc celebrari. Menologium Græcorum de Chryſoſtomo agit, ſed de hac re nihil monet. Bailletius de hac ejus vita hic nihil, & Surius ita etiam.

DIE DECIMATERTIA.

Ruthenè, Philippo, Philippi.

Græcè: Τῦ ἁγίε καὶ ἐνδόξε πανευφήμε ἀποστόλε Φιλίππε, ἑνὸς τῆς πρώτης χορείας τῶν δώδεκα: *Sancti & glorioſi, celebrrimi Apoſtoli Philippi, unius ex prima chorea duodecim apoſtolorum.*

COMMENTARIUS.

Trajani tempore Imperatoris Philippus Hierapolim profectus, cum ſuis ſeptem filiabus, & Mariamme ſorore, & Bartholomæo apoſtolo, Chriſtum prædicant. Ibi vipera adorabatur (ἔχιδνα). Niconora erat uxor Proconſulis: hic anonymus. Proconſul cruciat apoſtolos. Sancti Philippi oratione, ex terræ hiatu, omnes ethnici, una cum Proconſule, etiam cum vipera, & Sacerdotes abſorbentur. Ex his, præter Procos, & viperam, omnes alii evadunt. Solvitur Bartholomæus, & Mariamme. Philippus vita defungitur. Hæc habet Baſilii Menologium. Fabulæ. Menologium Græcorum dat meliora. Primo e ſcriptura colligit: hinc Philippum, Ἀσιάτιδα γῆν etiam fortitum dicit, cum Bartholomæo prædicaſſe; dum Mariamme ſoror eis miniſtrat. Poſt urbes Myſiæ & Lydiæ peragratas, continuis afflictionibus tentati; ad ſanctum Johannem Apoſtolum veniunt; qui per Aſiam prædicabat (Ephesi crediderim) a quo uxor Proconſulis, *Niconora* (Νικόνορα) converſa eſt. Tum Proconſul, & populus in domum *Stachys* convenerant. Ibi Philippus cruciatur, & raptatus per plateam & forum, τὰς ἀστραγάλες τρυπηθεὶς, *ei tali terebrantur*, in ligno, *in Cruce*, obit. Tum ex terræmotu, terra ſciſſa *multos infidelium abſorpſit*. πολλοὺς τῶν ἀπίστων κατέπιεν. Reliqui veriti, e vinculis ſolvunt Bartholomæum, & Mariamnen, & credunt. Compoſito demum Philippi corpore: καὶ τὸν Στάχυν ἐπίσκοπον ἐν τῷ Βυζαντίῳ καταστησάμενοι, αὐτοὶ εἰ Λυκαονίας ἐξέδραμον: *Et Stachys in Byzantio Epiſcopo conſtituto, ipſi in Lycaoniam ſunt profecti*. Qui eum conſtituerunt? Non Philippus, qui jam obierat. Num Bartholomæus? Ergo, inquam, *non Andreas* amplius apoſtolus, *Stachym, primum*, ut ipſi dicunt, *Byzantii Epiſcopum ordinavit*. Cæterum de his nequidquam habet, vel Surius, vel Bailletius: etſi nihil hic in Menologio Græcorum, ſit inveriſimile, incredibile, aut portentoſum.

Subdit autem Menologium Græcum longiſſimam narrationem, ſed ſejunctim a Synaxario, ἐκ τῶν θαυμάτων τῦ ἀποστόλου: *ex miraculis Apoſtoli Philippi*: quæ in Actis ejus habetur apocryphis & damnatis.

DIE

Die decimaquarta.

Ruthenè: Gyrii. Samonu. Abibu. Guriæ. Samonæ. Abibi.

Græce: Τῶν ἁγίων μαρτύρων καὶ ὁμολογητῶν, Γουρία, Σαμωνᾶ, καὶ Ἀβίβου: *ſanctorum martyrum & Confeſſorum Guriæ, Samonæ, & Abibi.*

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano, & Antonino Duce (Δουκὸς) Gurias, & Samonas Sacerdotes (ἱερέων) quod refellit Bailletius delati Edeſſæ ut Chriſtiani, poſt tormenta multa, gladio obtruncantur. Abibus vero Diaconus, ſub Licinio *quod vicos peragrans* (κατὰ κώμας περιερχόμενος) converſioni Chriſtianorum incumbebat, comprehenſus, in ardenti camino injectus, martyrium facit; Bailletius dicit, anno 322. Hæc habet Baſilii Menologium. At Menologium Græcorum addit, *Guriam fuiſſe*, ἀπὸ Σαγρωκετίας κώμης, Σαμωνᾶν δὲ ἀπὸ Γάραδος; *e pago Sagrocetiæ, Samonam vero ab illo Garadis*. Anno 306. dicit Bailletius eos paſſos. Menologium Græcorum de eorum Sacerdotio & dignitate, nihil mutit: quum Abibum eſſe ex Vico Thellæ prope Edeſſam, contradicat *Diaconum*: reliquum conſonat cum Baſilio: cujus *tenebricoſus lacus*, recte Menologium Græcorum explicat, *carcerem tenebroſum*, ubi *tribus menſibus* ſunt detenti. Cæterum hæc Acta non leviter tacta a Metaphraſte, apud Lipomanum ſunt tomo 5. & Surium: ubi & panegyris eſt Arethæ, Epiſcopi (crediti) Cæſareæ Cappadociæ, ſub Juſtiniano Imperatore, de quo Tillemontius tomo quinto. Pro luce his tenebris fæneranda, ſequentia habeantur. Tunc *Augarus Zoaræ filius*, Præſes *Edeſſæ* eſt: tunc ibi *Cognatus* (an *Caganus*?) eſt loci Epiſcopus. In Actis Surii habentur, *Heraclianus, Antonius, & Muſonius Præſides Edeſſæ*. Hic *ex Præſide Antiochiæ, ſub Licinio Imperatore*, Edeſſæ factus eſt Præſes. *Lyſanias*, etiam ibi Præſes.

Eadem die, ſed ſine Synaxario ſit *Memoria ſancti Patris noſtri Quintiliani Epiſcopi Seleuciæ & piorum Imperatorum Juſtini & Theodoræ: & ſancti Patriarchæ Conſtantinopolis, Thomæ junioris.*

Die decimaquinta.

Ruthenè: Mattei: Matthæi.

Græce: Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ματθαίου: *Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ Matthæi.*

COMMENTARIUS.

Menologium Baſilii ait, octavo anno poſt Chriſti Aſcenſionem, ab eo Evangelium eſſe ſcriptum, Multis Provinciis peragratis; in Provincia Anthrophagorum (ubi multa perpeſſus eſt) Epiſcopum conſtituit Philonem; ipſe Hierapolim Syriæ contendit, ibique in pace defunctus eſt. Menologium vero Græcorum, ſilet tempus ſcripti Evangelii, ſilet Platonem, & Anthropophagos, ait, eum peragraſſe ad Parthos, & Medos; ac martyrium tandem igne feciſſe. Longe ſunt impares iſtæ tibiæ; imo fabulæ. Sed quod addit immediate, prolixum quidem ex apoſtoli itineribus imaginariis, eſt ex Actis damnatis & apocryphis:

Die decimasexta.

Ruthenè: Grigorii. Gregorii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου τοῦ Θαυματουργοῦ: *Sancti Patris noſtri Gregorii Thaumaturgi.*

COMMENTARIUS.

Acta apud utrumque Menologium ex Nyſſeno, recitantur. At Henricus Dodvellus, qui in ſuis diſſertationibus Cyprianicis ea carpſit, tanquam ſcripta *ex auditu*, & ex rumoribus popularibus, jure corripitur a Bailletio, & dextere admonetur, ut tanti Patris Nyſſeni major reverentia habeatur.

Die decimaseptima.

Ruthenè: Platonu. Platonis.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Πλάτωνος: *Sancti magnique martyris Platonis.*

COMMENTARIUS.

Galata Ancyranus, Antiochi frater martyris, ab Agrippino Præſide, poſt multa tormenta, interficitur. Imperatores ſilentur, etiamque Provincia, ni forte velimus, Galatiam ipſam credere. De alio ne, an iſto Sancto Platone, agit Bailletius, quarto Aprilis?

Die decimaoctava.

Ruthenè: Romanu. Romani.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ῥωμανοῦ, καὶ τοῦ σὺν αὐτῷ νηπίου: *Sancti martyris Romani, & ſocii cum ipſo infantis.*

COMMENTARIUS.

Ex Euſebio Cæſarienſi ſcimus, in Hiſtoria, & martyribus Palæſtinis: ex Homilia Chryſoſtomi tomo primo, & ex aliis, hunc martyrem decertaſſe ſub Diocletiano & Maximiano. Bailletius ait, paſſum anno 303. Acta tamen apud Mombritium ex integro ficta ſunt, & ſuppoſititia. Videndus Tillemontius tomo 5., & Ruinartius *in ſinceris*, & Prudentius in Periſtephanon cap. 10. Audiamus autem, ut noſtra Menologia ea narrent.

Martyr noſter Romanus, impedire conatur Præſidem Aſclepiadem, dum pergit ad templum, ne adoret Deos (Euſebius vero dicit: *dum ſuadere conatur plebi, ne Deos adoret, & ut fortiter reſiſtat, comprehenditur.*) Tum ſe ſiſtit, cæditur, rapitur in equuleum. Ibi unum dicit eſſe Deum, illum Chriſtianorum, quem vel infantes agnoſcunt. Productus infans, interrogatuſ-

gatuſque a Præſide, quem Chriſtiani colunt, dicit; ſeque ita a matre ſua fuiſſe edoctum. Verberatur: ſitit: mater dicit, fili, aquam viventem bibe: & filius decollatur. Lingua exſcinditur, & adhuc loquitur, & reductus, in carcere ſuffocatur. Ita utrumque: aſt illud Græcorum addit alium, & diaconum Romanum, Palæſtinæ: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ῥωμανοῦ διακόνου τῆς Παλαιστίνης. *Sancti Romani martyris, Diadoni Palæſtini.* En *Commentarium*.

Ex Cæſareæ Palæſtinæ Paræcia genus ducens & Exorciſta, ſub Diocletiano, Antiochiæ Romanus martyrium facit. Ipſe ſeipſum ſiſtit. Eum igni Judex damnat. Diocletianus vult ei præcidi linguam: præciſa attamen lingua, loquitur. In carcerem truſus, Romanus ibi ſuffocatur. Unus, idemque Romanus eſt cum præcedenti: & Acta utriuſque una ſed commixta; advocato fruſtra & inepte, ibi Diocletiano. Prioribus veris, addenda dignitas eſt diaconi, & eſſe ex Provincia Palæſtinæ: ſed ſtadium martyrii, in Antiochia Syriæ figendum eſt. Digerit hæc omnia optime Bailletius.

DIE DECIMANONA.

Ruthenè: Audii. Barlaam.

Græcè: Τοῦ ἁγίου προφήτου Ἀβδιοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Βαρλαάμ: *ſancti Prophetæ Abdiæ, & ſacroſancti martyris Barlaam*. Ita in Menol. Græcorum: in epigraphe & Synaxario Menologii Baſilii. Ἀβδίου.

COMMENTARIUS.

De Abdia propheta, utrumque loquitur e Scriptura. De Barlaam equidem Menologium Baſilii nihil habet: ſed Menologium Græcorum dicit, fuiſſe Antiochenum Syriæ ad Orontem, Senem, & martyrem. De perſecutore Anonymo, nihil, quem tamen ἄρχοντα dicit (*Præſidem*) & poſt tormenta, martyrium: deque eis, ſuis encomiis locutos eſſe Chryſoſtomum & Baſilium: ambos celebres: hunc Homilia 18. illum Homilia 73. Tu vide Tillemontium tomo 5. Ruinartium in *Synceris*, vel Surium, qui Baſilium tantum adducit. Sanctus martyr Baſilio dicitur *agreſtis & lingua barbarus*, velut Apoſtolus Paulus, qui ad Corinthios ſcribens, ſe *ſermone rudem* fatetur. De patria Antiochia, dubitat Bailletius, ſed Chryſoſtomo ego aſſentior: Baſilio præſertim ſilente, nec repugnante: qui etſi Panegyrim ei dixerit in Cappadociæ Cæſarea; non idcirco tamen, ait ibi ſepultum.

Hac eadem die, ſed ſine Synaxario, Menologium Græcorum habet: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἀνθίμου, Θαλελαίου, Χριστοφόρου, καὶ Εὐφημίας, καὶ τῶν τέκνων αὐτῶν καὶ τοῦ ἁγίου Παγχαρίου. *Sanctorum martyrum, Anthimi, Thalelæi, Chriſtophori, & Euphemiæ, eorumque filiorum: & ſancti Pancharii*. De ſancto Thalelæo agit Bailletius die 20. Februarii.

DIE VIGESIMA.

Ruthenè: Proclu. Grigorii. Procli. Gregorii.

Græce: Τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου τοῦ Δεκαπολίτου, καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Πρόκλου, Ἀρχιεπισκόπου Κ. Π.: *ſancti Patris noſtri Gregorii Decapolitæ, & ſancti Patris noſtri Procli, Archiepiſcopi Conſtantinopoleos*.

COMMENTARIUS.

Natus Decapoli Urbe Iſauriæ ſub Iconomachis, fit monachus: peregre proficiſcitur: venit Syracuſas, mox Theſſalonicen, hinc Byzantium: ibi obit. Menologium Græcorum addit: filius Sergii & M....... Ex cauſa perſecutionis Iconomachorum, fugit de loco in locum. Silet *Siracuſas* & *Theſſalonicem*. Ait eum, poſt Aſiam, & Byzantium; Romam veniſſe veterem, & peragraſſe per Occidentem. Exin Byzantium denuo, tum petiiſſe Olympum: Theſſalonicem veniſſe poſtea, & tertio hinc Byzantium; ubi Symeonem Confeſſorem, pro imaginibus in carcere poſitum, convenerit, & curaverit. Tandem in pace obiiſſe. Acta iſta ſunt vera, ſed conferenda cum iis Baſilii Menologii.

De ſancto Proclo Patriarcha, ſolum, ſed ſine Synaxario agit Menologium in hac rubrica: Proclus ἐχρημάτισε μαθητὴς τοῦ μακαρίου Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου, καὶ τοῦ θρόνου διάδοχος: *diſcipulus beati Johannis Chryſoſtomi, & Throni ſucceſſor*.

DIE VIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Vovedenic Bogorodici: Ingreſſus Deiparæ in Templum.

Græce: Ἡ ἐν τῷ ναῷ εἴσοδος τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου: *ſanctiſſimæ Deiparæ ingreſſus in Templum*. Sic Menologium Græcorum: Menologium vero Baſilii, ait: Τὰ εἰσόδια τῆς Θεοτόκου, ὅτε προσηνέχθη ἐν τῷ Ναῷ, καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. *Ingreſſus Deiparæ, cum ad Templum fuit adducta, & in ſancta ſanctorum eſt introducta*.

COMMENTARIUS.

Utrobique fabulæ notæ. In Menologio Baſilii: *poſt biennium a ſancta nativitate*, πληρωθέντος διετοῦς χρόνου ἀπὸ τῆς σεπτῆς γεννήσεως. Menologium Græcorum: τρίτον ἤδη χρόνον ἄγουσα ἀπὸ τῆς αὐτῆς παραδόξου γεννήσεως; *Poſt triennium, ab ejus admiranda Nativitate*, præſentatur Maria; & *ibi uſque ad duodecimum annum, agit; cibo ab angelo quotidie enutrita*. Fabulæ ignorantium devotorum, qui neſciebant quid erant ſancta ſanctorum, & quis homo in ea ſemel in anno poterat introire: qui cogitabant Templum Dei, tunc fuiſſe virginum educandarum Parthenona. Eorum demum, qui confidentiſſime ad pietatem, ipſi ſibi ſomnia fingunt; jam tum ab octavo ſæculo: quamobrem ipſa habet Menologium Baſilii, quod nono ſæculo eſt compactum. Scimus

mus equidem, ut Georgii Nicomedienſis Epiſcopi opus, Homiliam quandam de his circumferri (is nono ſœculo vixit) quæ & ſub Germani Patriarchæ Conſtantinopolis nomine, habetur apud Lipomanum, Suriumque, & Combefiſium: ſed quæ non eſt anterior decimotertio ſœculo, quo hic Schiſmaticus Germanus, anno 1254. obiit. De hoc autem feſto Manuel Comnenus loquitur ſœculo duodecimo. In Eccleſia Latina, & per Occidentem, anterius non eſt Gregorio Papa XI. & anno 1372. quo ſcitur eſſe receptum.

DIE VIGESIMASECUNDA.

Ruthenè: Philimonu: Philemonis.

Græce: Τῦ ἁγίυ ἀποςόλυ Φιλήμονος, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ: *ſancti Apoſtoli Philemonis, & Sociorum ejus* In Synaxario vero legitur: Τῦ ἁγίυ ἀποςόλυ ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα, Φιλήμονος, Ἀρχίππυ, καὶ Ἀπφίας μαθητῶν γεγονότων Παύλυ τῦ ἀποςόλυ: *ſanctorum Apoſtolorum e ſeptuaginta, Philemonis, Archippi, & Apphiæ, diſcipulorum Pauli Apoſtoli.*

COMMENTARIUS.

Menologium Baſilii, die ſequenti 23. habet: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἀρχίππου μαθητῦ Παύλου τῦ ἀποςόλου, καὶ Φιλήμωνος τῦ ςρατιώτυ: *ſanctorum martyrum Archippi diſcipuli Pauli Apoſtoli & Philemonis militis.*

Diſcipuli Pauli Apoſtoli, Chonis in Phrygia, haud procul a Laodicea, quod cum dies feſtus Dianæ celebraretur; ipſi in Eccleſia cum aliis, Deo decantabant; Ethnici in eos impetum faciunt; & reliquis in fugam verſis, ſoli Archippus, Philemon, & Amphias conſiſtunt: & adducuntur ad Androclem, qui ſub Nerone, Epheſi erat Præfectus rei frumentariæ; & martyrium ſubeunt. Archippus in fovea medius obrutus; a pueris configitur & lapidatur: Philemon inter verbera efflat animam. De Amphia autem amplius nulla mentio. Hæc habet Baſilii Menologium. Narrat eadem Menologium Græcorum, ſed tamen addit: quod feſtum Dianæ celebrabatur *Coloſſis*, Κολοσσαῖς, *urbe Phrygiæ, prope Laodiceam.* *Apphias* (ita) eſt *mulier*: μετὰ τῆς Ἀπφίας, πιςῆς καὶ αὐτῆς οὔσης *cum Apphia, quæ erat & ipſa fidelis.* Androcles eſt, Ἡγεμὼν Ἐφέσυ, *Præfectus Epheſi*; non vero, Σιτοφύλαξ Ἐφέσυ: *Præfectus rei frumentariæ Epheſinæ.* Nolunt ſacrificare τῷ εἰδώλῳ τῷ καλυμένῳ Μηνᾷ, *Idolo, quod Menas nuncupatur.* Omnes medii in fovea obruuntur, ſtiliſque puerorum configuntur, & lapidantur.

Bailletius de his omnibus dubitat; & notat, Apphiam aliis eſſe hominem; aliis *Appiam*, Philemonis dici *uxorem*. Parum veriſimile, ait inſuper eſſe, Perſecutionem Neronis tunc in Aſiam perveniſſe. Emotioni potius Populari, martyrium eorum tribuit; & ſocium illius, alium putat presbyterum Archippum, ab eo, de quo loquitur Paulus, Epiſtola ad Philemonem. Cæterum tu vide Epiſtolam Pauli ad Coloſſenſes, & Epiſtolam ejuſdem ad Philemonem; ex qua appa-ret Græcorum allucinatio, dum ſcribunt Ἀπφίαν, & *virum* tenent, & Philemonem dicunt *militem*. *Philemoni dilecto, & adjutori noſtro, & Appiæ* (ita rectiſſime) *ſorori chariſſimæ, & Archippo commilitoni noſtro, & Eccleſiæ, quæ in domo tua eſt.* Hæc clariſſima verba Pauli. Idem ergo *Philemon* eſt *adjutor* Pauli, ac *commilito*; *Appia* non eſt vir, ſed fœmina, & *Archippus* etiam, *Pauli* eſt *commilito*. Quanta hodie in Schiſmate, Eccleſiæ Græcæ Socordia, in libris ſacris. Ex hoc ungue, leonem vide.

Theodoretus hiſtorice tradit ſuo quinto ſœculo, domum Philemonis adhuc extitiſſe: de qua ipſe Paulus, in præfatione epiſtolæ ad Philemonem, eſt teſtatus. Vide Tillemontium tomo primo, pag. 336. Erat & Conſtantinopoli Eccleſia S. Philemonis martyris; quam Ducangius refert in Conſtantinopoli Chriſtiana, Diatriba 4. pag. 33. & conditam fuiſſe ajebant tempore Conſtantini. Bailletius ait, ſe ignorare, num hujus Philemonis fuerit, an alius? Forſan reſpicit ipſe *militem*: egoque ſupra oſtendi, & putem, *militem*, idem eſſe ac *commilitonem* illum, qui cum Paulo *militavit* in Evangelio ſeminando.

Eadem die, in Menologio Græcorum legimus: Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ οἱ ἅγιοι Χριςόφορος καὶ Εὐφημία ξίφει τελειῦνται. *Hac eadem die ſancti Chriſtophorus & Euphemia gladio obtruncantur.* De quibus, (die 19. ſupra viſum) idem Menol. Græcorum peragiſſe.

DIE VIGESIMATERTIA.

Ruthenè: Grigori. Amphilochiu. Gregorii. Amphilochii.

Græce: Τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀμφιλοχίυ ἐπισκόπυ Ἰκονίυ, καὶ τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίυ τῦ Ἀκραγαντίνυ: *ſancti Patris noſtri Amphilochi Epiſcopi Iconii; & ſancti Patris noſtri, Gregorii Agrigentini.* Ita Menologium Græcorum. De Amphilochio nihil hic habet Baſilii Menologium: ſed tantum die 24. Τῦ ἁγίυ Γρηγορίυ ἐπισκόπυ τῆς Ἀκραγαντίνων πόλεως. *Sancti Gregorii Epiſcopi Agrigentinorum.*

COMMENTARIUS.

Sub Juſtiniano Rhinotmeto, ex Charitone & Theodota, natum ait Agrigenti. Dum loca ſacra, annorum 22. inviſit, a Macario Epiſcopo Hieroſolymitano, Diaconus creatur. Suus antea Agrigentinus Epiſcopus, clericum eum fecerat. Pergit inde Byzantium, & hinc Romam; in qua Agrigentinus, ſede iſta vacante, ordinatur. Sabinus & Creſcentinus ei invident. Sanctus miraculis eos comprimit, & nigros reddit: quod vitium ad hanc diem, dicit, etiam in poſteris apparere. Tandem in extrema ſenecta, ſancte obit. Ita Menologium Baſilii.

Græcorum vero Menologium dicit: Ipſum decem & octo annorum, factum clericum *a S. Potamione* Epiſcopo Agrigenti: παρὰ τῦ ἐν ἁγίοις Ποταμίωνος. Dum dormit ante cubiculum Archidiaconi Damiani, angelus tertium, eum monet, ut vadat. Abiit ipſe Carthaginem (Καρθαγένην) ibique inve-

invenit Marcum monachum, cum quo quatuor annos manet. Cum eo inde pergit Antiochiam: ibique ex revelatione Hieroſolymam, ubi a Macario Hieroſolymitano Epiſcopo, fit Diaconus ὑπὸ τῷ Μακαρίῳ &c. Conſtantinopolim proficiſcitur: viſitat Georgium Patriarcham. Dum habetur Synodus, in Sergium, Pyrrhum & Paulum, contra quos etiam diſputat Gregorius. Hinc Romam pergit, ubi Epiſcopus Patriæ ordinatur. Sabinus & Creſcentinus, eum apud Papam calumniantur: qui duobus annis in carcere eum detinet: ſed juſſu Imperatoris, inde educitur: & fit miraculum carbonum ardentium, & lignorum combuſtorum. Calumniatores Deus, eorumque progeniem vultu denigrat. Puella ὑπ' αὐτῶν φονευθεῖσα, a dæmone occupatur, & a ſancto liberatur coram omni populo. Hæc Romæ: redit in Patriam triumphans; & extrema ſenecta obit. Acta hæc, quæ non ſunt, nec in Metaphraſte, habet Surius: quod in prædictis ſunt multa ἀσύστατα, & contra Chronotaxim.

Reapſe Bailletius, & alii, acta ejus apud Surium & Lipomanum ex Metaphraſte, prorſus corrupta tenent. Papebrochius ad Ephemeridas Græco Moſchas, pag. 51. non adeo corrupta aſſerit, ſed alia haberi Anonymi, quem credit Leontium Abbatem Sabaitarum: ex quibus elucent quæ antiquitus iſte ſcripſit Sabaitarum Magnus; & ſcripſerit lib. 2. cap. 12. Paraphraſtes duos protulit Gregorios Epiſcopos Agrigenti; noſtrum, & alium ſub Agathone, & Macario Patriarcha Hieroſolymæ, ex Concilio VI. Œcumenico anno 680.

Num hæc autem Papebrochii, eadem ſint cum illis, quæ in *ſanctis Siculis*, Pater Octavius Cajetanus, tantum latine edidit, tomo 1. pag. 153. penitus ignoramus. Nos ea acephala & atelevta, habemus Græca ex MS. Codice Bibliothecæ Soranorum Ducis, Boncompagnæ; quæ Romæ eſt; & ſuo loco & tempore, cum Rep. Literaria communicabimus. Unum dumtaxat affero, quod in his *Potamion* Epiſcopus Agrigenti noſtrum Gregorium initiat, ſed is cui ipſe ſuccedit, eſt Theodorus. οὕτω ὡς ἐν μεταξὺ διατρίβοντος Γρηγορίου ἐν Ῥώμῃ, ἐγένετο κοιμηθῆναι ἐπίσκοπον Ἀκραγαντινῶν ἐκκλησίας, Θεόδωρον λεγόμενον, καὶ ἐγένετο στάσις μεγάλη ἐν τῷ λαῷ ἐκείνῳ τῆς πόλεως καὶ οἱ μὲν ἐποιοῦντο ἐκλεκτὸν Σαβῖνον πρεσβύτερον, ἕτεροι δὲ Κρεσκεντῖνον διάκονον· ὁ δὲ Εὔπλος ὁ τότε, ἀρχιδιάκονος, καὶ τὸ πλεῖον τοῦ λαοῦ τῆς πόλεως καὶ τῆς περιοικίδος ἔλεγον. Τοῦ Κυρίου τὸ θέλημα γενέσθω, κ. τ. λ. οὕτω ἐχειροτόνησεν ὁ Πάπας τὸν μακάριον Γρηγόριον ἐπίσκοπον τῇ τῶν Ἀκραγαντινῶν ἐκκλησίᾳ. *interea dum moras Gregorius nectit Romæ, accidit, Epiſcopum mori Eccleſiæ Agrigentinæ, nomine Theodorum; & magna ſeditio facta eſt, in illo populo civitatis: dum hi prælectum presbyterum Sabinum volunt; alii vero diaconum Creſcentinum. Euplus autem, qui tunc erat Archidiaconus, & pars major populi civitatis, & ſuburbii, dicebant: Fiat voluntas Domini &c. Ac poſtea ordinavit Papa Gregorium Epiſcopum Eccleſiæ Agrigentinæ*. Hæc videntur ibi veſtigia veritatis. Sed amor prodigiorum etiam in his actis verboſis ultra modum, corrupta omnia, ſuadent adhuc Gregorii nos habere. Quamobrem e re ducimus, ad Amphilochium remeare.

Amphilochius Valentiniani & Valentis Imperatorum temporibus, Iconii fit Epiſcopus; ſedetque uſque ad Theodoſium Magnum, ejuſque filios, quos in fide erudivit. Adfuit anno 381. ſecundæ Synodo Generali. Contra Eunomium & Macedonium, multa & dixit & ſcripſit. Reliqua nota ſunt ex Tillemontio, & Dupinio. De Amphilochio optime meretur etiam Bailletius, qui ex Patribus, & aliis ſupradictis, vitam ejus concinnat.

Noſtræ Ruthenæ Tabulæ, die ſequenti 24. *Hecaterinam* referunt, & *Mercurium*. Sed quod de ipſis noſtra Menologia agunt die 25. ad iſtam ergo diem & nos differimus, ut cum illis concurramus.

DIE VIGESIMAQUARTA.

Ruthenè: Climentu. Petru.

Græce: Τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν, καὶ ἱερομαρτύρων, Κλήμεντος Ῥώμης, καὶ Πέτρου Ἀλεξανδρείας (de his Menol. Baſilii agit etiam die ſequenti) *ſanctorum Patrum noſtrorum, & ſacroſanctorum martyrum, Clementis Romæ, & Petri Alexandriæ, Epiſcoporum*.

COMMENTARIUS.

Clemens Romanus, ἐκ βασιλικοῦ καταγόμενος γένος, Φαύστου καὶ Ματθιδίας υἱὸς, *ex Imperatoria gente ducens genus, Fauſti & Matthidiæ filius*, ex naufragio aliquando evaſus, a Petro Apoſtolo de Fide edocetur. Conſtitutiones Apoſtolicas ſcribit: Fit Epiſcopus Romanus. A Domitiano Principe in Cherſonam inſulam ad Hermopolim, relegatur: ibi cætera, quæ de eo narrantur facta. Hæc Menologium Græcorum habet: At Baſilii Menologium, hæc valde notanda narrat. Patriam, genus, parentes ſilet. Ait, *a Trajano* comprehenſum fuiſſe, ac tortum. Εἶτα ἐν Ἀγκύρᾳ τῆς Γαλατίας παραπέμπεται. Ἐν ᾗ καὶ ἐν τοίχῳ τινὶ ἀποκλεῖεται, ἀποφραγείσης τῆς αὐτοῦ θύρας, ἐκ λίθων ὅθεν καὶ ὀσπρίοις μόνοις διετρέφετο· οὕτω δὲ στενούμενος, τὸν βίον ἐχρήσατο. Τεθνεῶτα δὲ, ὕστερον, πιστοί τινες ἀναλαβόμενοι τὸ τίμιον αὐτοῦ λείψανον, ἀπεκόμισαν ἐν Χερσῶνι, ὅπερ ἀπερρίφη τῇ θαλάσσῃ ὑπὸ τῶν εἰδωλολατρῶν, μυρία θαύματα ἐνεργοῦν μέχρι καὶ σήμερον, εἰς δόξαν Χριστοῦ. *Sed a Trajano Imperatore comprehenſus, tortuſque; Ancyram Galatiæ relegatur: ubi domuncula recluſus, janua lapidibus obſtructa, ac tantum leguminibus ſuſtentatus; in hoc ſquallore & anguſtiis, e vita exceſſit. Cujus pretioſæ reliquiæ, (ut fertur) a fidelibus quibuſdam ſublatæ, Cherſonam transferuntur. Quæ in profundum maris ab Idolatris projectæ, innumera miracula, in hanc uſque diem, ad Chriſti gloriam operantur.* Acta aperte ab imperitia ſunt mutuata. Clemens Ancyranus prodigia Clementi Romano præſtitit. Hinc veritas eruenda, & fabula exſufflanda.

Actis his derogat omnem fidem Bailletius & alii, cum Tillemontio: etſi Gregorius Turonenſis, ſexto labente ſæculo, miraculum pueri & maris Cherſonæ ſcribat. Id enim ſolum arguit, fabulam eſſe antiquam Eccleſiæ Græcæ. Bailletius confarcinat quæque poteſt, ad ejus vitam & mar-

martyrium conferendum cum veritate. Adi ſupra Menol. Græcorum ad diem decimam Septembris; *Clemens* (de quo in Epiſtola ad Coloſſenſes, & ad Philippenſes cap. 4.) *Epiſcopus* dicitur *Sardicenſis*.

Petrus Alexandrinus, ſub *Maximino* Imperatore, dum ducitur ad martyrium, Ario veniam deprecanti, & populo, qui pro eo ſupplicat, denegat gratiam; quod Chriſtus ei in ſomnis in figura pueri, dixerit: Arium ſuam veſtem diſcidiſſe. Acta nota. De ſancto Petro, primo martyre, ex Patriarcha Alexandrino, agit Bailletius die 26. hujus menſis. Cæterum ejus Acta corrupta ſunt a Metaphraſte; & talia etiam ſunt illa Combefiſii, quæ Tillemontius examinat tomo quinto.

Græcorum Menologium ſequitur: Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ οἱ ἅγιοι Φιλούμενος, καὶ Χριστοφόρος ξίφει τελειοῦνται: *Eadem die, ſancti Philumenos, & Chriſtophorus, gladio conſummantur*. Hæc illud, poſt *ſanctum Hermogenem Agrigentinum Epiſcopum, in pace defunctum*. De quo, & de prædictis ſanctis martyribus, ſine Synaxario, in ſola rubrica agitur.

Idem, eadem die: Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος Προκόπιος, καὶ Χριστοφόρος, ξίφει τελειοῦνται. *Eadem die ſanctus Procopius, & Chriſtophorus, gladio obtruncantur*. Quæ hoc menſe ubertas Chriſtophororum!

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè: Climentu. Petru. De his actum ἱερῶν πρότερον die præcedenti: proinde hic eſt agendum de poſthabitis.

Ruthenè: Ecaterina. Mercurii. Ecaterinæ. Mercurii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Μερκουρίου: *ſancti martyris Mercurii*. Menol. Græcorum, ait: μεγαλομάρτυρος. *Magni martyris*.

COMMENTARIUS.

Alexandrina, cujuſdam Reguli filia, forma & ingenio præſtantiſſima, in quodam feſto idolorum, adit *Maximinum* (ita) *Imperatorem*, & cur fruſtra colunt non verum dominum, interrogat? Is eam excruciat acerbiſſime. Deinde quinquaginta Oratoribus accerſitis, ut eam convincant, jubet: ſecus, ignem ipſos paſſuros fore. Diſputant, & a martyre ſuperantur. Converſi ergo ad Chriſtum, promiſſum ignem experiuntur: & Ecaterina capite obtruncatur. Ita Baſilii Menologium: ac proinde hæc plauſtra mendaciorum, antiquiora ſunt nono ſœculo. Metaphraſtes equidem, paulo poſt, parum ea potuit exornare.

Menologium Græcorum, excribit Acta latina. Pater ſanctæ *Conſtus*: (Κόνϛος) Ipſa annorum decem & octo, & Hormerum docta, Virgilium; Æſculapium, Ippocratem, & Galenum: Ariſtotelem, Platonem, Philiſtionem: Euſebium, Jannem, & Mambrem (μάμβρην) magnos magos: Dionyſium, & ſibyllam: Rhetoricam denique, & omnes linguas: ob Chriſti confeſſionem, (ὑπὸ τοῦ βασιλέως Μαξεντίου) *ab Imperatore Maxentio*, poſt multa tormenta, martyrii coronam ſuſcipit. De diſputatione non agit in Synaxario, ſed in rubrica ſequenti ejuſdem diei; cum hoc notando, quod *Oratores fuiſſe* dicit, *centum quinquaginta*. Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ οἱ ἅγιοι ἑκατὸν πεντήκοντα ῥήτορες, οἱ διὰ τῆς ἁγίας Αἰκατερίνης προσβληθέντες καὶ πιστεύσαντες, πυρὶ τελειοῦνται: *Eadem die ſancti centum quinquaginta Oratores, qui a ſancta Æcaterina convicti, & fidem amplexi, igne conſummantur*. Vel amanuenſi Menologii Baſilii, *centum* alii, lapſu oculi effugerunt; vel Metaphraſtes accuratior, & ditior, *centum* alios eſt commentus: ut non cælum, ſed borboruſam terram, fictitiis ſaltem martyribus oneraret.

Eadem die Menologium Græcorum, de ſancta martyre Baſiliſſa agit, uxore illa per ſomnium, Maxentii Imperatoris: ſed ſine Synaxario. Hanc autem anonymam uxorem Imperatoris Maxentii, cum Porphyrio Duce, martyrem habent Latini, non vero Æcaterinam converſam Chriſto.

Acta apud Surium ex Metaphraſte, qui primum authorem Anonymum octavi, vel noni ſœculi, decurtavit, & auxit fabulas. Authorem horum aliqui faciunt Athanaſium. Egoque quærito, an primus hic Author, Athanaſius ille ſit, qui de Crucifixo Beryti ſcripſit. Si idem, dignum eſſet patella operculum. Quod malum; Bailletius, & reliqui eruditi, omnia hæc rejiciant. Num pro *Æcaterina*, fuerit, vel Ἠχαριτίνη (de qua martyre autem ſupra die quinta Octobris) *Hcharitina*, vel Καρτερία? *Carteriam* inter eximias, & ſacras filias habemus; & *Carterium* cum ſo iis martyrem Sebaſte ſub Licinio Imperatore, die 2. Novembris colimus. Καρτερία, græcè eſt *Patientia, Fortitudo*. Vide intra die 4. Decembris de ſancta *Barbara*. Vereor enim ne ſancta Barbara martyr, ſubjectum præſtiterit fabulæ Æcaterinæ. Si ita factum; fabulæ fabulis conquaſſantur: eademque ſit filia Reguli, *Barbara* quoque dicta, ac Æcatherina. Videndum, & num, vel illa ſit *Baſiliſſa* uxor Maxentii, & martyr Chriſti. Videndum, & num Regulus ille *Conſtus*, ſit idem ac *Conſtantinus*, vel Conſtantinus Imperator? Sed Barbara, Latinis & Græcis Nicomedienſis dicitur, & non Alexandrina; ejuſque pater, *Dioſcorus* appellatur. Undique ſunt anguſtiæ, & ſudores fortaſſe inanes.

Ab angelis autem in Montem Sinai corpus ejus allatum ſit; haud aliud ſibi vult, quam a monachis Sinaitis in ſuum monaſterium corpus illud advectum eſſe, ut ſuum locum, devote ſic ditarent: & fortaſſe ipſi primi, S. Æcatherinæ martyrium ſcripſerunt, ut nos torquerent. Notum eſt autem σχῆμα ἀγγελικόν, pro habitu monachorum ſæpe ſumptum; & *angelos* olim a ſuis, *monachos* eſſe dictos.

Ab anno 1732. novus Siſiphus, hunc rudem verſamus lapidem, adhuc anno iſto 1753. Pro *Æcatherina*, omnia Turrita Acta expendimus, S. Chriſtinæ, Irenis, & Barbaræ; & in diſputatione pro typis prompta, quid de his ſtatuendum ſit, accuratiſſime excutimus. Inclinat animus pro *Æcatherina*, *Chriſtina*, *Barbara*. Suppoſitum

tum & fundamentum quærendum in unica S. *Ire-ne*: pro tribus una. Sed expectandum.

Mercurius ſub Decio & Valeriano Imperatoribus, filius Gordiani (Menol. Græcorum addit) cujuſdam Scythæ (ex terra Orientali) in exercitu Orientali militans contra ſcythas (κατειλεγμένῳ ἐν τῇ στρατείᾳ τῶν Μαρτησίων) *adſcriptus in Legione Marteſiorum militum fit Tribunus*. (στρατηλάτης) Inter hæc ſuſcipit Chriſti fidem. Id innoteſcit Imperatori (quem Menologium Græcorum, dicit Decium) & per multa & varia tormenta, ductus Cæſaream Cappadociæ, ibi pro fide, capite mutilatur.

Illud prodigioſum, & incredibile: Μηχαναῖς τὸ σῶμα κατατέμνεται, καὶ ἐπὶ τεσσάροις πάλοις δεθεὶς, καὶ τοῦ ὑποστρωθέντος ἁπτομένου πυρὸς τοῖς ὀχετοῖς τῶν αἱμάτων σβεννυμένου, αἰκίζεται. *Machinis quibuſdam membratim conciditur, & quatuor palis alligatus, & ſuppoſito igne, rivulis ſanguinis, extincto; flagris cæditur*. Quis tantum ierat hiatum? Sanguine extinctum ignem, & martyrem adhuc vivere? Inverſo capite in equuleum rapi, *detrahi poſtea forcipe cutem*? Quod tamen ultimum, Menologium Græcorum ſilet. Addit vero; dehinc τετρακορυγγίῳ χαλκῷ, *quadriflagello æneo flagellatum*. Illud ſingulariter ex Græcorum Menologio eſt notandum; *martyrem, cum paſſus eſt, fuiſſe annorum viginti quinque: ſtatura grandem, viſu elegantem*, flavum coma, & vultu rubicundum. Ita putem, picturæ ex traditione, martyrem authoris tempore referebant. Ἦν δὲ ὁ μάρτυς, ὅτε τὸν ἀγῶνα ὑπέστη, ἐτῶν εἰκοσιπέντε, εὐμεγέθης τὸ σῶμα, τὴν ὄψιν εὐπρεπὴς, τὴν κόμην ξανθὸς, συνεπιπρέποντος αὐτῷ τῇ ὄψει, τοῦ κατὰ τὰς παρειάς. In actis apud Surium de ætate, ſtatura &c. nihil prorſus. Reor ego, vel hæc fuiſſe in prioribus ejus Actis; vel, ut dixi, in picturis; in quibus erat Imago B. Virginis, & Mercurii, ubi relatum erat, ut jaculo Mercurius, B. Virgine jubente, Julianum apoſtatam confoderit: quod Baronius retulit in Annales ad annum 254. ego vero, qui imagines & pictdras B. Virginis non admitto prius, quam medio 5. ſœculo, poſt Epheſinum; difficile mihi ſuadeo, id non fictum eſſe, niſi ſexto vel ſeptimo ſœculo, dum phalanges in Iconomachos parabantur; Octavo equidem id habet Damaſcenus in Oratione prima pro Imaginibus.

Legionem *Marteſium* (alias *Freteſium*: quam eruditi *de militia Romana* penitus ignorant) hæc acta dicunt, ſtationem in prima Armenia habuiſſe, & tunc ſub Tribuno Saturnino. Ea autem apud Lipomanum & Surium, Metaphraſti tribuuntur: ſed Bailletius putat antiquiora; & foſtum a Metaphraſte ex corruptis facta corruptiora. Papebrochius, in Ephemeridibus Græco moſchis, ad hanc diem, promittit verſionem iſtorum, antiquiorem Metaphraſte: unde conſtabit, quæ placuit huic addere, ut ea fædaret magis. Expenſis Actis, ego putem, quod Mercurius filius Gordiani, fuerit Scythopolita Palæſtinus; qui poſt quæſtionem, & tormenta in Cæſaream Cappadociæ ductus, ſub Decio Imperatore, & Præſide (vel Duce) igne combuſtus fuerit. Reliquum exceptis prodigiis, apparitionibus, & anhiſtoreſis; in reliquis bona eſſe Acta, & ſuſcipienda. Frater Zacharias Lippelous ad Surium; in margine ad *certamen ſancti martyris Mercurii*; hæc adjicit: *de rebus ejus in Julianum apoſtatam præclare geſtis, meminit Sozomenus: licet nomen ejus non exprimat; Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro ſexto, cap. 2. ut notat Baronius*. Recteque facit Baronium allegare. Sed anonymus Sozomeni, non ſanctus Mercurius noſter eſt, qui jam paſſus erat anno 254. ſed martyr & Dux Artemius, cujus martyrium, ſupra adduximus, vigeſima die Octobris.

DIE VIGESIMASEXTA.

Ruthenè: Alimpii. Alypii.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀλυπίου: *ſancti Patris noſtri Alypii*. Menol. Græcorum addit: Κιονίτου; *Cionitæ*.

COMMENTARIUS.

Sub Heraclio Imperatore, ex Hadrianopoli Paphlagoniæ natus, factuſque clericus & Diaconus, columnam aſcendit, ac tandem ibi ſancte obit. Menologium Græcorum ait, ſub columna ſtetiſſe annos quinquaginta tres; & vixiſſe *annos centum*: ἔτη ἑκατόν. Sed Menologium Baſilii dicit, χρόνους ἑκατὸν ὀκτώ: *centum, & octo annos*. Acta ejus, quæ ſunt apud Surium, non Metaphraſtis, ſed diſcipuli noſtri Alypii, Bulteaus putat in *Hiſtoria Monaſtica Orientis*. Reapſe, quæ Metaphraſtis ſunt, aliud initium habent apud Allatium, in ſua opella *de Symeonibus*: & Papebrochius in Ephemeridibus Græco-moſchis, ejus vera & genuina promittit.

DIE VIGESIMASEPTIMA.

Ruthenè: Iacobu. Iacobi.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Ἰακώβου τοῦ Πέρσου: *ſancti magnique martyris Jacobi Perſæ*.

COMMENTARIUS.

Sub *Theodoſio* Imperatore (Menologium Græcorum dicit, Ὀνωρίου, καὶ Ἀρκαδίου: *ſub Honorio, & Arcadio*) Perſa & Chriſtianus; ſui Regis gratia, ejurat Chriſtum. Mater, uxor, ubi hæc cognoſcunt, datis literis, ad Chriſtum, eum reducunt. Rex, particulatim per membra præcidit ſingula, (unde ei nomen *Jacobi interciſi*) ac tandem trunco, caput auferri jubet. Menolog. Græcorum addit; *ejus urbem fuiſſe Bethlaba*: οἰκῶν ἐν Βηθλαβᾷ τῇ πόλει, ἐν χώρᾳ τῶν Ἐλυζηνῶν: *quæ eſt in Regione Elyzeſiorum*. *Regem* vero illum, fuiſſe *Iſdigerdem*.

Acta quæ ſunt apud Surium, non ſunt equidem primigenia: & Nicephorus Calliſtus, ſua ex his derivavit. Expectamus, quæ Papebrochius ad Ephemerides, promittit. Prædicta non ſunt ſane Metaphraſtis: Patriam dicunt *Elapen*, & Bailletius, *Vel Beladen*. Typorum errore, apud Lippeloum legitur, *Pergarum* pro *Perſarum*.

DIE

DIE VIGESIMAOCTAVA.

Ruthenè : Stephanu : Stephani.

Græce : Τῦ ὁσίυ πατρὸς ἡμῶν Στεφάνυ νέυ : *ſancti Patris noſtri Stephani Junioris*. Menologium vero Baſilii ſcribit : Τῦ ὁσιομάρτυρος Στεφάνυ τῦ νέυ, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ μαρτυρησάντων, Πέτρυ, καὶ Ανδρέυ : *ſacroſanctii martyris Stephani junioris, & eorum, qui cum eo martyrium paſſi ſunt, Petri, & Andreæ*.

COMMENTARIUS.

Sub Conſtantino Caballino Imperatore, pro ſacris Imaginibus martyrium paſſi ſunt. Menologium Græcorum, Stephanum ait natum ſub Anaſtaſio, qui & Artemius Imperator, dum erat Patriarcha ſanctus Germanus. Acta ejus apud Surium ſunt Metaphraſtis : ſed quæ nuper edidere Patres Germanenſes S. Mauri, in *Analectis Græcis*, ſunt Stephani Diaconi Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, poſt quadraginta & ſex annos ab ejus obitu : qui auctor Cyrillum in Vita S. Euthymii, ſibi propoſuerit imitandum. Bailletius, anno 766. mortuum eum dicit, natum vero anno 713.

Hac eadem die, utrumque Menologium agit, de S. Irenarcha, martyre *ſub Diocletiano, & Maximiano Præſide Sebaſteno* (ἐπὶ τῆς βασιλείας Διοκλητιανῦ, καὶ παρὰ Μαξίμυ ἄρχοντος Σεβαστείας) ſic prorſus utrumque ex *lictore Ethnico*; quod mulieres quaſdam, martyrium conſtanter feciſſe, vidiſſet; ipſe etiam, ex *lacu* (ideſt *carcere*) ad fornacem ductus, hinc incolumis, gladio percuſſus eſt.

DIE VIGESIMANONA.

Ruthenè : Paramonu. Philemonu. Acaciu. Paramonis, Philumeni, Acacii.

Græce : Τῦ ἁγίυ μάρτυρος Παραμόνυ, καὶ τῦ ἁγίυ μάρτυρος Φιλυμένυ : *ſancti martyris Paramonis, & ſancti martyris Philumeni*. Menol. Baſilii agit ſolum de *Philumeno* : ſed Menologium Græcorum in Rubrica Synaxarii, addit, poſt *Paramonum*, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἁγίων τριακοσίων ἑβδομήκοντα συμμαρτύρων αὐτῦ : *& tercentum ſeptuaginta ſanctorum, qui cum eo martyrium ſubierunt*.

COMMENTARIUS.

Sub Decio Imperatore, & Præſide Aquilino; in loco *Bulſatiæ*, *Gero* nuncupato (ubi aquæ calidæ, & ſalutiferæ) dum Aquilinus curando corpori, ὁ τὴν τῆς ἑῴας ἀρχὴν διέπων Ακυλῖνος, *Præſes Orientis* commoratur. (Num *Præfectus Prætorio Orientis*?) Forſitan vincti ad ipſum, e Nicomedia, hi ſancti martyres adducuntur. Sacrificabat tunc ipſe Iſidi in ejus Templo : jubetque & eos Iſidem adorare : & quod omnes renuunt, omnes idcirco trucidantur. Ad hæc Paramonus, qui aderat; magna voce exclamat : magnam cerno impietatem, dum impium cerno, tot juſtos, more pecorum, jugulare. Ob hæc Aquilinus, eum dire cruciat, ac tandem necat. De his, ut dixi, in Menologio Baſilii nulla mentio. Acta videntur bona : utinam & extarent : forſan in ipſis non legeremus, tantum martyrum numerum : quod oppido valde diſplicet. In Martyrologio Romano die iſta, facile ſic admittitur : *Paſſio ſanctorum Paramonii, & ſociorum, trecentorum ſeptuagintaquinque ſub Decio Imperatore & Aquilino Præſide*. Mirum in Græcorum Menologio, *quinque* minus martyres afferuntur. Sanctus martyr Aſa, miles Iſaurus, ſub *Diocletiano* Imperatore, & *Anulino* ἐπάρχῳ, *Præfecto* (num urbi?) paſſus eſt. Ita Menol. Græcorum habet, die 19. hujus menſis : ſed Menologium Baſilii dicit eadem die, dicit *ſub Licinio* Imperatore. Non eſt idem equidem cum noſtro hic *Anulinus*. Baronius ad annum 254. num. 27. horum martyrium appingit. Mihi dubium num *Paramonus*, miniſter ſit addictus ſervitio Thermarum : balneator Thermarum : non vero martyris nomen proprium. Παράμονος enim apud Xenophontem eſt, *qui conſtanter apud aliquem permanet*, vel *qui conſtanter & fortiter, in re ſuſcepta permanet*. Balnearum *ſervitio publico*, *ſervi* erant addicti. Hujuſdem fuerit noſter hic *Paramonus*, *Curator* primus *Thermarum illarum*. Ita factum, mox oſtendemus in *Irenarcha*, *Longino*, *Syncletico*, & *Syncletica*, aliiſque, quæ eruditi multi adverterunt. Gregorio magno teſtante (Dialog. 4. cap. 22.) ſæpe *Appellativorum nomen, vice Propriorum uſurpatur*.

Philumenus ſub Aureliano Imperatore, ex Lycaoniæ regione, dum frumento advehendo, ex Ancyr in Galatiam, ſe exercet, Felici Præſidi Provinciæ, ut Chriſtianus ſiſtitur in Ancyra : ibi ei pro Chriſto, pedes & manus clavis configuntur; tum rapitur in equuleum, ſcorpionibus laceratur : depoſitus, conjicitur in fornacem, ſed inde incolumis; iterum ei pedes, manus, & tunc etiam caput, clavis trajecti; triginta ſtadia currere compulſus, in hoc agone, palmam tandem accipit martyrii. Hæc ita in Martyrologio Romano, die iſta habentur : *Ancyræ ſancti Philomeni martyris, qui in perſecutione Aureliani Imperatoris, ſub Felice Præſide igne probatus; manibus pedibuſque, ac demum capite clavis confixo, martyrium conſummavit*. Baronius id appingit ad annum 275. num. 10. Ita utrumque Menologium, ſed nomen Præſidis ex ſolo Menologio Græcorum. Mihi Acta non mala, præſertim ſi tot congeſta, & varia tormenta, præcipue repetita, & illud capitis trajecti clavis (in quo illico objiſſet) inde reſeces. De fabula in eis inſinuata, non fuerit locus quiſquiam eruditis dubitandi. Sunt iis equidem exoneranda.

De ſancto Acacio, nihil ex utroque Menologio hic excutimus. Quia ergo illum noſtræ Ruthenæ Tabulæ habent; ejus geſta ex Martyrologio Romano mutuamur: de eo enim agit die 27. hujus, in iſta verba : *Sebaſte in Armenia ſanctorum martyrum Irenarchi, Acacii presbyteri, & ſeptem mulierum; quarum conſtantia Irenarchus commotus; ad Chriſtum converſus, ſub Diocletiano Imperatore, & Maximo Præſide, una cum Acacio, ſecuri percutitur*. Baronius hos affigit ad annum

num 314: nec Aſtenſis diem memorat, in quo de ipſis Græci agant: quod nos, ſupra die 28. vidimus in utroque Menologio, in Irenarcho; in quibus martyr ſiletur hic *Acacius* presbyter Sebaſtenus. Aſtenſis in *Irenarcho* notat: *Id videtur* non eſſe nominis, ſed officii vocabulum. De Hirenarchi profecto munere, cum *notitia utriuſque Imperii*, Britanius, *de verborum ſignificatione late differit. Sic namque ſuſpicatum de Longino* (λόγχη, *lancea*) *de Syncletico* (συγκλητικὸς *Senator*, συγκλητική, *Senatrix*) *aliiſque ſuo loco recenſitis*. De S. Syncletica virg. die 5. Januarii agens idem, notat; *nomen proprium dignitatis, non perſonæ*; quodammodo *ſenatoriæ*, nempe uxor, aut filia ſenatoris. Elicitur ex Caſſiano lib. 3. de Inſtitutione renunc, cap. 2. ubi refert Baſilii magni notabile dictum, inquiens: *Fertur ſententia Baſilii Cæſarienſis Epiſcopi, ad quendam prolatum Syncleticum, tali, quando diximus tepore torpentem; & Senatorem, inquit, Syncleticum perdidiſti, & monachum non feciſti*. Ciacconius libro *obſcur. vocum* admonet; *quod alioquin, nomine adnotante, facile intelligitur. Syncleticum non eſſe Perſonæ, ſed dignitatis nomen*. Videndus Sedulius in Præfatione ad opus Paſchale, & Athanaſius de vita hujus ſanctæ; teſte Nicephoro Calliſto lib. 8. cap. 4. Baronius eam credidit opus S. Athanaſii; Holſtenius dubitavit, & ſub *nomine Athanaſii* circumferri. Eadem tamen vita, nomine Polycarpi habetur. Nec dubium quin iſta ſit Aſcetæ, quam Nicephorus Calliſtus legit: tota enim documentis ſpiritualibus eſt referta. Hæc in Excuriali reperta, & latine reddita a Colvillo, in Actis Bollandianis legitur exarata, ad diem quintam Januarii. Hæc autem omnia in gratiam S. Irenarchi & Acacii, hic retulimus.

Hac eadem die, Baſilii Menologium agit & de S. Johanne Damaſceno; ſed de manu ei obtruncata; multo minus de reſtituta a Beata Virgine, dat ullum verbum. Sæpe exſilio, ſæpe carcere, ſæpe ærumnis multatus aliis, in optima confeſſione, in pace Domini requievit. Noſtræ Ephemerides, & Menologium Græcorum, die 4. Decembris, de eo agunt.

Menologium Græcorum; etiam hac die agit; de S. Urbano Epiſcopo Macedonio, qui in pace obiit, & de ſancto martyre, Corinthi Epiſcopo Dionyſio. Ac præterea: Τῦ ὁσίυ πατρὸς ἡμῶν Νικολάυ Ἀρχιεπισκόπυ Θεσσαλονίκης: *ſancti Patris noſtri Nicolai Archiepiſcopi Theſſalonicenſis*. Sed ſine Synaxario. Forte autem, quod diſplicet, hic *Nicolaus* fuerit *Cabaſila*, qui affinis Nicephori Calliſti, decimoquarto ſœculo vixit. Vide ſcriptores Eccleſiaſticos. Quid mirum Schiſmaticum, in Græcorum Menologio inter ſanctos. Nonne alibi ſæpe dicunt, etiam Marcum Archiepiſcopum Epheſinum, tanquam ἁγιώτατον, *ſanctiſſimum*? Qui tamen in Concilio Florentino, ſœculo habito quintodecimo; poſt unionem Eccleſiæ utriuſque, unicus fuit Auctor, novi æternique Schiſmatis; in quo perſtant.

DIE TRIGESIMA.

Ruthenè: Andrei: Andreæ.

Græce: Τῦ ἁγίυ ἐνδόξυ καὶ πανευφήμυ ἀποςόλυ Ἀνδρέυ τῦ πρωτοκλήτυ: *ſancti glorioſi, & celeberrimi Apoſtoli Andreæ Protocleti. Primi vocati*. Sive, ut ait Baſilii Menologium: ἀδελφῦ τῦ μεγάλυ Πέτρυ: *fratris magni Petri*.

COMMENTARIUS.

Poſt ea, quæ e ſcriptura petuntur; Menologium Græcorum, habet, ei obtigiſſe Bithyniam, Pontum Euxinum, Partem Propontidis, Chalcedonem, & Byzantium, Thraciam, & Macedoniam; & reliqua uſque ad Iſtrum, Theſſaliam, Helladem, & Achajæ partem, Aminſum, Trapezuntem, Heracleam, Amaſtrim. Sinope multa patitur. Inde Neocæſaream & Samoſata profectus eſt; Alanos, Abaſgos, Zecchos, Boſporanos, Chorſunitas, & Byzantium: tandem Peloponneſum: ubi Soſio, qui eum Patris hoſpitio exceperat, ſanitatem reddit infirmo: quamobrem *mox omnis* ex hoc *credit in Chriſtum illa Patrarum Civitas*; πανδημεὶ πᾶσα ἡ πόλις ἐκείνη τῶν πατρῶν προσῆλθε τῷ Χριςῷ. Maximilla uxor Proconſulis Ægeatis, etiam ipſa curatur, & cum Stratocle fratre viri, & aliis multis credit: qui item curati ſunt. Αἰγεάτης, Ægeates ex his furore correptus, eum in crucem configi jubet. Hæc Menologium Græcorum habet.

Aſt Baſilii Menologium (apud quod in imagine Cruce recta, ut illa Domini, & clavis item cernitur crucifixus) tradit, Andream *in tota ora maritima* Bithyniæ, Ponti, Thraciæ, & Scythiæ prædicaſſe. Deinde magnam Sebaſtopolim (in Cholchide) perluſtraſſe, quam fluvii duo interſecant Pſorus (corrige, *Apſarus*) & Phaſis: cujus Piſidis accolæ, interiores ſunt Æthiopes. Tandem Patras veniſſe, & ibi ab *Ægea* (ὑπὸ Αἰγεάτυ) in crucem ſublatum eſſe. Habet hæc omnia Sauſſayus in ſuo opere *de S. Andrea Apoſtolo*, & græcolatino. Sed Acta ſunt ex Apocryphis. Lege ſis prolixiſſimum Apoſpaſmation horum apocryphorum, apud Menologium Græcorum hic, poſt Synaxarium, cum hac epigraphe: Υπόμνημα εἰς τὸν ἅγιον ἀπόςολον Ἀνδρέαν. *Commentarius in ſanctum Apoſtolum Andream*. Eſt autem oratio potius Panegyrica Græculi, qui a veris initio facto, tandem deſinit in fabulas. Ubi notandum illud, Stratoclem ab Andrea, primum datum Epiſcopum Patrenſibus: quod forſitan verum eſt. Videndus omnino, poſt Bailletium, Tillemontius tomo primo, qui omnia erudite, & ſuo more, pie tractat Apoſtoli Protocleti S. Andreæ. Cujus corpus a Patris (ex traditione S. Hieronymi in Euſebii chronico, & in ſcriptoribus, in Apoſtolo) anno Conſtantii (non *Conſtantini*, ut legitur) Fil. Conſtantini Conſtantinopolim eſt tranſlatum: Anno Chriſti videlicet 357.

Valvæ æneæ Paulianæ, extra urbem Romam; via Oſtienſi, etiam crucifixum Andream, in opere ana-

re anaglyphico, fuſo Conſtantinopoli, ipſum referunt. Factæ ſunt enim ibi, anno 1070. juſſu Ildebrandi Cardinalis, qui poſtea ſub nomine, Gregorii ſeptimi, Romanus Pontifex eſt creatus: & ut ſanctus, modo colitur ab Eccleſia univerſa.

Finis primæ noſtræ Ruthenæ Tabulæ.

MENSE DECEMBRI.

Die prima.

Ruthenè: Naumu. Naum.

Græce: Τοῦ ἁγίου προφήτου Ναούμ: *ſancti Prophetæ Naum.*

COMMENTARIUS.

E Scripturis.

Die secunda.

Ruthenè: Abbacum: Abbaum.

Græcè: Τοῦ ἁγίου προφήτου Ἀββακούμ: *ſancti Prophetæ Abbacum.*

COMMENTARIUS.

E Scripturis.

Die tertia.

Ruthenè: Sophonia.

Græce: Τοῦ ἁγίου προφήτου Σοφονίου: *ſancti Prophetæ Sophoniæ.*

COMMENTARIUS.

E Scripturis.

Die quarta.

Ruthenè: Joanna Damaſcenu. Barbara. Johannis &c.

Græce: Τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος Βαρβάρας, καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ: *ſanctæ magnæque martyris Barbaræ: & ſancti Patris noſtri Johannis Damaſceni*. In noſtris Tabulis ὕστερον πρότερον, ut locum dent martyri, & tempore antiquiori.

COMMENTARIUS.

Barbaræ Acta nota, & falſa penitus. Quæ apud Surium, ſunt Metaphraſtis, & apud utrumque Menologium, ſolæ fabulæ. Conveniunt utraque in obſcuriſſimo *Oriente*. Menologium Baſilii, ἐξ ἀνατολῆς: Menolog. Græcorum: ἐκ τῶν ἀνατολικῶν: & utrumque ait, hæc facta eſſe, ſub Imperatore *Maximiano*, Μαξιμιανοῦ. Illud noto, in Menol. Baſilii dici, a patre Dioſcoro, *unam* in balneo *feneſtram* juſſum aperiri: in Menologio vero Græcorum, *duas*. Sed Barbaræ, devotæ Trinitatis, *miraculo* (hoc proprium Menol. Baſilii) tres redditas. Pater interrogat: illa fugit: ſed invenitur a patre, qui eam Præfecto tradit. Poſt tormenta, ipſe pater eam obtruncat; ſed a fulmine percuſſus dicitur; λέγεται. Ita Menologium Græcorum. Verum in Menologio Baſilii, Pater quidem interrogat, tum dat Præfecto: hinc arripit illa fugam: inventamque, pater illam obtruncat, ſed igne cæleſti conflagratur. Paucæ differentiæ, ſed non bonæ ad ſinceritatem. Utinam in his tantum ſiſterentur. Bailletius, & Tillemontius, omnia figmentum dicunt, de cultu ejus tantum ſolliciti. Et nos hæc omnia, in diſſertatione S. Æcaterinæ, diligentiſſime examinamus.

De Damaſceno, ut viſum, nihil hic in Baſilii Menologio, ſed die 29. Novembris ſupra. In Menologio Græcorum, nec de manu reciſa quidpiam, nec de reſtituta, miraculo, a Beata Virgine dicitur; ſed tantum defunctus eſſe annorum 104. Quæ late in Præfatione ad ejus opera examinantur.

Die quinta.

Ruthenè: Sabba: Sabbæ.

Græce: Τοῦ ὁσίου καὶ θεοφόρου πατρὸς ἡμῶν Σάββα τοῦ ἡγιασμένου: *ſancti & Deifari Patris noſtri Sabbæ, ſanctificati.*

COMMENTARIUS.

Acta ejus pretioſa, a Cyrillo diſcipulo, ad ſummam fidem, & accuratiſſime ſcripta; apud Cotelerium græcolatina habemus. Exinde utrumque Menologium dabit ſua: inter quæ illud varium; Menologium Baſilii, ait, Sabbam vixiſſe *annos octoginta quinque*: ὀγδοήκοντα πέντε ἐτῶν. Aſt Menologium Græcorum, *annos nonaginta quatuor*: ἐτῶν τεσσάρων καὶ ἐνενήκοντα. Plus, *novem annos*. In Menologio Græcorum, aliqua enarrantur e vita, prodigiis, & miraculis S. Sabbæ: ſecus vero in Baſilii Menologio; quod his caret. Bailletius ait, natum anno Chriſti 439. mortuum anno 531. ætatiſque pluſquam *octoginta*. Ita eſſent anni *non ferme octoginta duo*; ſed *ferme nonaginta duo*.

Die sexta.

Ruthenè: Nicola: Nicolai.

Græce: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Νικολάου, ἀρχιεπισκόπου Μύρων τῆς Λυκίας, τοῦ θαυματουργοῦ: *ſancti Patris noſtri Nicolai, Archiepiſcopi Myrorum in Lycia, Thaumaturgi.*

COM-

COMMENTARIUS.

Acta ejus apocrypha, & illa nota: nec digna, quæ referantur, vel refellantur. In Menologio Græcorum, integra fabula, a Metaphraſte conſarcinata, & edita, eſt apud Surium. Nos vera & primigenia Acta, quæ demerſa dolebant omnes, poſt mille & ducentos annos dedimus Græco-latina anno MDCCLI. typis Joſephi de Bonis Typographi Neapolitani. Prolegomenis ea illuſtravimus, in quibus quidquid ad ſancti Nicolai ætatem vitamque, ab apocryphis & futilibus geſtis, ſecernendam pertinere videbatur, pro ingenii noſtri tenuitate, proferre conati ſumus. Lyciæ deſcriptionem & Myrenſium Archiepiſcoporum Syllabum magno labore collectum, etiam dedimus.

DIE SEPTIMA.

Ruthen.: Ambroſiu: Ambroſii.

Græce: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀμβροσίου ἐπισκόπου Μεδιολάνου: *ſancti Patris noſtri Ambroſii Epiſcopi Mediolani*.

COMMENTARIUS.

Præſes totius *Italiæ* (*ſtricte* ſumptæ) ſub Conſtantino, & Conſtante filiis Magni Conſtantini; fit Epiſcopus Mediolani, judicio Valentiniani Auguſti. Is Theodoſium Magnum, a cæde Theſſalonicenſium, juſſam ipſo die Natalis Chriſti, revertentem, ab Eccleſiæ ingreſſu prohibuit Mediolani; & ab eo, ut qui eſſet verus Epiſcopus eſt laudatus. Acta Ambroſii a Paulino ejus notario, ſunt apud Surium. Vide luculentum de eo opus Hermantii libris duodecim. Et novam vitam ejus, per doctiſſimos Patres ſancti Mauri, ad ejus opera, ſcriptam a Clariſſimo Viro Patre Nicolao Nourryo.

Eadem die, in Menologii Græcorum Rubrica, legitur: Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῶν ἁγίων μαρτύρων Πρίσκου, Μαρτυρίου καὶ Νικολάου· ὧν ὁ μὲν λιμῷ, ὁ δὲ πέλυκι κατακοπείς· ὁ δὲ τρίτος, διὰ πυρὸς ἐτελειώθησαν. Ἡ δὲ σύναξις αὐτῶν πλησίον τοῦ τείχους τῶν Βλαχερνῶν: *Eadem die, ſanctorum martyrum, Priſci, Martyri, & Nicolai: quorum primus, fame; ſecundus ſecuri obtruncatus, tertius igne, martyrium ſubjerunt. Eorum vero Synaxis fit prope muros Blachernarum*. In ſex autem verſiculis (caret enim Synaxario) qui ſubſequuntur; non Μαρτύριος dicitur, ſed Μαρτίνος: *Martini*. Πέλυξ συγκόπτουσα Μαρτίνου κρέα. *Martini carnem reſecans ſecuris*. Et tempus martyrii hinc non elucet: nec qui fuere Perſecutores. Solum in verſiculo canitur, ἐξῆλθε δόγμα, δαίμοσι πλάνης θύειν: *Edictum prodiit, erroris dæmonibus, ſacrificandi*. Quod nimium vagum eſt: & ad ipſas decem perſecutiones, trahi poteſt. Ex nominibus vero *Priſci, & Nicolai*; eos e martyribus 40. fuiſſe, Sebaſtenis, *Edictum* Licinii Imperatoris; & Agricolaum, Ducem Limitaneum Cappadociæ; dici poſſet, & anno 321. vel 322. ni me difficultates aliquæ detinerent.

Procopius in Ædificiis Juſtiniani lib. 1. cap. 6. narrat a Juſtiniano, hanc in Blachernis Eccleſiam eſſe erectam ſanctis noſtris *Priſco, & Nicolao*: & chronicon Paſcnale, in Heraclio Imperatore (ſub quo ultimus ex authoribus hujus operis vixit) ait, ſub iſto Imperatore ab Abaris concrematam Eccleſiam S. Nicolai in Blachernis. Ex quo Bailletius, in ſancto Nicolao Epiſcopo Myrorum, male ait, hunc Nicolaum cum Priſco non fuiſſe alium a Nicolao Epiſcopo. Non animadverſo hanc Eccleſiam in Blachernis (teſtibus Procopio, & Menologio) poſitam fuiſſe, non confeſſoribus, ſed martyribus: inter quos numquam relatus fuit, Myrenſis Epiſcopus Nicolaus. Conſultius ergo cogitare poterat, *Priſcum, & Nicolaum*, fuiſſe e martyribus Sebaſtenis, & hinc narrare, & deducere, poſt hujus Eccleſiæ concremationem, Populi devotionem pro ſancto Nicolao, ferme deleviſſe ibi, cum nomine illam S. Priſci; & ſub ſolo Nicolai nomine, poſtquam refecta fuit, Eccleſiam nuncupatam. Præter hanc mentionem, Bailletius de his martyribus, hic non agit, nec in opere ejus toto.

DIE OCTAVA.

Ruthen.: Potapiu. Patapii.

Græce: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Πατάπίου: *ſancti Patris noſtri Patapii*.

COMMENTARIUS.

In Menologio Baſilii de Patapio nihil habet. Hac enim die agit de ſancto martyre Athenodoro: de quo Menologium Græcorum, præcedenti die poſt Ambroſium, multa dixit. De eo igitur, ſequenti die agit Baſilius. Sed Menol. Græcorum, breviſſime de Patapio, hæc narrat: fuiſſe monachum, & ſanctum, ex Thebis Ægypti, ubi natus; Conſtantinopolim profectum; in vita, & poſt mortem, miraculoſum. Latius eadem proſequitur Menologium Baſilii, ut nuper monui, ſequenti die. Sed hæc ſufficiunt Commentario. Acta habet Surius ex Metaphraſte, & Lippomanus. De vita, parum, aut nihil Acta: in reliquis, Catenula fertur, miraculorum. De Patapio nuſquam, toto opere Bailletius.

Eadem die Menologium Græcorum agit, Τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα, Σωσθένους, Ἀπολλῶ, Κηφᾶ, Τυχικοῦ, Ἐπαφροδίτου, Καίσαρος, καὶ Ὀνησιφόρου: *ſanctorum Apoſtolorum, e numero ſeptuaginta, Soſthenis, Apollo, Cephæ, Tychici, Epaphroditi, Cæſaris, & Oneſiphori*. Horum, Soſthenes, *Colophonis*, & poſt eum ibidem Epiſcopus Apollo; Epaphroditus *Colones*, Oneſiphorus *Cæſareæ*, Epiſcopi facti ſunt. De Cepha, & Cæſare nihil dicitur in Menologio Græcorum. In eo vero Baſilii die ſequenti de his agitur. Epaphroditum Eccleſiam *Adriacenſem* rexiſſe dicit; Cæſarem *Coronenſem* fuiſſe Epiſcopum; Apollo *Cæſarienſem*; Tychicum Soſtheni ſucceſſiſſe in Eccleſia Colophonis. Tandem omnes martyrio finem nactos. Erudite, & more ſuo, de his omnibus Bailletius: qui miſſo numero ſeptua-

ptuaginta diſcipulorum; parvo fundamento nixos Græcos, hos facere Epiſcopos adſtruit: præſertim cum ab eis dici, notat, Apollo Epiſcopum Dyrrachii, die 22. Martii, in Epaphrodito. De cujus rebus geſtis, accurate e ſcriptura diſſerit hic Bailletius. Paulus Apoſtolus cap. 4. Epiſtolæ ad Philippenſes, ait, *e familia Cæſaris*. Ideſt *Neronis*. Igitur Neronem Cæſarem, pro *ſancto* a Græcis ſumptum, & factum *Epiſcopum*, & e *numero* ſeptuaginta diſcipulorum, recte arguit Bailletius.

DIE NONA.

Ruthenè: Začatie Bogorodici. Conceptio Deiparæ.

Græce: Ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης, μητρὸς τῆς Θεοτόκου. *Conceptio ſanctæ Annæ, matris Deiparæ*. Eadem prorſus verba in utroque Menologio.

COMMENTARIUS.

Anna Sterilis, ex Joachimo Mariam concepit, non ſeptimeſtrem, nec ſine viri opera, Mariam; ſed novimeſtrem, & ex viri conjunctione, & angelo revelante. Id ait utrumque Menologium. Vide Thomaſinum, & Thierſem, in Tractatu *de Feſtis*, & Launoyum in *Prælectionibus Hiſtoricis*; quos habes hic apud Bailletium erudite. Antiquitatem teſti a nono ſæculo, nota ex Menologio Baſilii; & a 12. ex noſtris Tabulis.

DIE DECIMA.

Ruthenè: Hirmogenu. Mira i Eugraphii. Hermogenis, Menæ, Eugraphi.

Græce: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Μηνᾶ, Ἑρμογένους, καὶ Εὐγράφου: *ſanctorum martyrum, Menæ, Hermogenis, & Eugraphi*.

COMMENTARIUS.

Menologium Græcorum, in Rubrica Synaxarii addit; ad *Menam*: Μηνᾶ τοῦ καλλικελάδου, Ἑρμογένους &c. Et in verſiculo ſeptimo: εὐκέλαδος δεκάτῃ Μηνᾶς, ξίφει αὐχένα δῶκεν. *Celeber fama, decima Menas, gladio collum dedit*. Καλλικέλαδος, εὐκέλαδος; forte quod Menas, famæ eſſet magnæ, celeberrimus: elegantem ſonum edens; ſonorus. Κέλαδος enim, *tumultus* latine eſt, *ſtrepitus*, *clamor*, *ſonus*.

Orta quadam diſſenſione & quæſtione, (*ſeditione*) a Maximiano Imperatore, Alexandriam Menas mittitur, ut eam ſedet, ſolvatque, quod eſſet ſapiens, & orator. Negotio feliciter geſto; Chriſtianos, Chriſtianus ipſe hortatur, ut ſint in fide firmi & conſtantes. Intelligit id Maximianus; mittitque eum Præfecto Ægypti Hermogeni, qui Menæ oculos excæcat, & linguam truncat: ſed ubi reſtitutum videt; & ipſe convertitur Hermogenes, atque a Mena baptizatur. Hinc ab Epiſcopis, qui convenerant, fit Epiſcopus: locique nomen ſiletur. Eugraphus ejus Notarius, etiam ipſe credit. Maximianus iratus, venit, eoſque omnes obtruncat. Hæc habet Menologium Baſilii.

Græcorum vero Menologium addit: Menam Athenis ſtuduiſſe; & lingua & ſapientia, alterum evaſiſſe Athenienſem: Hermogenis, a Maximiano veniente juſſum, corpus lancea trajici, manus pedeſque obtruncari; & nos in ignem, corpus in flumen projici. Menæ, dum pendet, (forte in equuleo) ingens ſaxum pedibus alligari: Hermogenem, & Menam, ab angelis liberatos, iterum ſe ſiſtere Maximiano: & hunc palam prodidiſſe ſe Chriſtianum. Eugraphum Notarium ſancti Menæ (εὔγραφος ὑπογραφεὺς ὢν τοῦ ἁγίου Μηνᾶ) objurgaſſe Maximianum; & tunc ipſum, ſua manu a Maximiano, Menam, Hermogenemque a miniſtris Imperatoris, fuiſſe obtruncatos. Eorum lipſana, divino juſſu, Byzantium eſſe advecta, ibique miraculis coruſcare. Ob miracula, orta Byzantii inſana fabula, quæ in vera Acta, ita ſe inſinuavit, ut omnia deturpaverit. Relictis aliis; Neophytus fit Epiſcopus, ſedes ſiletur, ab Epiſcopis qui convenerant. Quæ Antiſtitum multitudo, & de repente! Sic jubet fabula. Hermogenes lancea trajectus, manibus pedibuſque mutilatus: Menas, dum pendet in ligno, oneratus ingenti ſaxo: ab angelis liberati ſiſtunt ſe Maximiano, & hic palam ſe prodidit Chriſtianum. Interim hic recens Chriſtianus manet ſua irarum plenus, obtruncat Eugraphum (hic, amanuenſem Notarium *Menæ*; in Menol. Baſilii, Notarium *Hermogenis*) Menam & Hermogenem, miniſtri Imperatoris. Quæ inſania, quæ oblivio, ac veternus.

Vidit Eminentiſſimus Baronius, in Actis, quæ ſunt apud Surium, monſtra iſta, & ſubſtituto ſemper *Maximino* pro *Maximiano*, putat, omnia hæc putrida, & marcida ab iis Actis, & opinatur ſe reſtituere vera Acta. Eruditis tamen ſecus videtur, abſque ope genuinorum. Sic enim non ſunt, ſed videntur vera. Lippolous omiſit illa Surii, (quæ ſunt Metaphraſtis, longiſſima, & fabulis pleniora) & verba dat Baronii, eorum loco; quæ tamen & ipſa ſunt corrigenda. Menas a Maximino Auguſtalis Præfectus Ægypti creatur, patria Athenienſis. Occultus erat is Chriſtianus, iiſque favebat. Et cum jam in occulto amplius eſſe non poſſet; Maximinus literis Gentilium certior de re factus, ad ulciſcendum facinus, mittit Hermogenem Alexandriam, qui Mennæ ſuccedat; inque eum ut impium, animadvertat. Hic cum veniſſet Alexandriam, Mennam detrudi jubet in carcerem, eumque ſequenti die, pro tribunali ſedens audivit. Sed primo & ſecundo auditus Mennas, Hermogenem in ſe acrius concitavit: qui primo illius pedum plantas excoriari juſſit, linguam præcidi, oculoſque convelli: ſicque pene exanimem, & extinctum reddi carceri. Sed prudentior factus nimiæ crudelitatis, quam in Mennam, *tantum vivum*, *præter morem*, exercuiſſet; *ſeipſum redarguit*, *atque adeo*, *ut lacrymas*, *angoris animi indices*, *abundantius fuderit*, (quanta vidit, Baronius!) & quem in carcere defunctum putabat, honeſto funere, mane ſepelire *decreverit*. Hæc autem ex Actis non apparebant: ſed induſtrioſa pietas, ea invenit, Hermogeni, futuro Chri-

Chriſtiano & martyri honeſtando. *Sed præter ſpem accidit*, ut cum ad aſportandum e carcere corpus militibus mandaſſet; eum vivere, atque priſtinæ naturæ officiis, eſſe divinitus reſtitutum, audiverit: teſteſque milites *de carceris fulgore coruſco*, Numinique præſentia firmius affirmantes; & fidem Chriſtianam palam profitentes; atque in alios hæc admiranda adeo diffamantes; expavit: remque altius contemplatus, de Chriſti fide *ſuſcipienda conſilium iniit, quod & baptiſmate ſacro ſuſcepto, perfecit*.

Sed delata hæc cum eſſent per quendam Ruſticum Maximina, collapſam penitus duorum Præfectorum opera, Gentilitiam ſuperſtitionem, audiret; idem ipſe e veſtigio Alexandriam venit: Hermogenemque primo in fidei confeſſione perſtantem; manibus ac pedibus amputatis, direque admodum verberatum, una cum Menna, aliis tormentis exagitato; capite truncati juſſit. Sed & quidam Eugraphus, olim Mennæ miniſter; quod coram Imperatore magna conſtantia, Chriſtum confeſſus eſſet; ab eodem, indignatione, *furente, gladio confeſſus occubuit*. Hæc autem Baronius, ad annum Chriſti 307. appoſuit; poſtquam Diocletianus & Maximianus, ſeſe Imperio abdicarant. Hæc inquam, Baronius; in quo charitatem ſummam hominis ſum miratus; qui volebat omnes actus martyrum ſalvos fieri; & in *coruſco fulgore carceris, miſſos milites, omnes Chriſtianam Fidem palam profitentes rediiſſe, atque in alios diffamaſſe*: & quod antea, Hermogenes, *quem in carcere defunctum putabat, honeſto funere, mane ſepelire decrevit*. Quæ cuncta, Acta penitus non olebant. Sed omnium maxime ſum miratus, cur ſibi potuerit ſuadere, *in Mennam tantum virum*, paulo ante *Præfectum Auguſtalem Ægypti*; ab ejus ſucceſſore Hermogene, ita *præter morem* (quod recognoſcit) tanta & *nimia crudelitate ſævitum eſſe*. Contra jura, & privilegia dignitatis: contra virum Clariſſimum, & ſui ordinis (in locum Regum Ægypti, Præfecti Auguſtales, ab Imperatoribus dati ſunt) tanquam cum reo triobolari ageretur; non per gradus, & carcerum dilationes, minis, & iteratis promiſſis; ſed mox in ſecunda Audientia; ab Hermogene juſſum eſſe, ei obtruncari pedes, (ita Acta, non vero *plantas pedum excoriari*) lingua abſcindi, oculos erui; & ita *pene, exanimem, & extinctum, iterum reddi carceri*. Cuinam ergo erunt veriſimilia, & admittenda? Jure ergo, horum martyrum Acta Bailletius ignoravit toto opere: etſi de Mena illo martyre, (ſive Phrygio, ſive Ægyptio) agat ſupra, undecima Novembris die.

DIE UNDECIMA.

Ruthenè: Daniil. Danielis.

Græce: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Δανιὴλ τοῦ στυλίτου: *ſancti Patris noſtri Danielis Stylitæ*. Menologium Baſilii, addit: τοῦ ἐν τῷ Ἀνάπλῳ; *in Anaplo*.

COMMENTARIUS.

Sub Leone Beſſo, e Meſopotamia, in agro Samoſatorum, in pago Cithara (Metaphraſtes dicit, *Maratha*) patre Helia, matre Martha natus; quinquennis in monaſterio, a ſuis ductus, enutritur. Hinc ad ſanctum Symeonem Stylitam venit, & ab eo benedicitur. Ex revelatione, venit in partes Thraciæ, prope Byzantium, in Anaplum: ubi in Idolorum Fano incluſus, multa patitur a dæmonibus. Aſcendit hinc & ipſe columnam, in qua perficitur: & ne dum Leoni Imperatori innoteſcit, ſed & Zenoni, & Tyranno Baſiliſco: eiſque advenientibus, monita dat ſalutis; & ut Eccleſiam ab hæreticis tueantur. Menologium Baſilii, pleraque horum ſilet: narrat vero ſolum Leonem advenientem, & inter alia monitum; ut ſit miſericors erga reos: τοῖς πταίουσι *delinquentibus*. Acta ejus, quæ ſexto ſæculo, ab anonymo ſcripta ſunt, ſancto Johanni Damaſceno citantur: ſed ea, quæ a Metaphraſte ſunt, aliquantulum deturpata, apud Surium leguntur. Tu vide ſis, poſt Bailletium; Bulteaum in *Monaſtico Orientis*. Acta dicunt, eum vixiſſe annos octoginta; & menſes tres. Bailletius, natum anno 409. aſcendiſſe columnam anno 461. obiiſſe anno 490. Si hæc vera, Daniel naſci non potuit ſub Leone: & ſi ſub iſto, ut eſt veriſimile, natus fuerit anno circiter 440. & mortuus quinquagenarius, anno 490. Græci ad augendum miracula, Stylitas omnes faciunt longævos; cum contra evenire debuit. Sanctus autem Daniel prædixit incendium, quod anno 465. Conſtantinopoli factum eſt, & per ſeptem dies, in octo Regiones Civitatis, graſſatum eſt.

Eadem die in Menol. Græcorum, ſequitur Synaxarium ſancti Lucæ Stylitæ, qui ſub Romano ſeniore Imperatore floruit, & Conſtantino Porphyrogenito: de quo ſancto Luca, vide Michaelem Glycam in Annalibus. Ejus nihil toto opere meminit Bailletius: Bollandus vero die 7. Februarii, in ſancto Luca monacho juniore, ejus meminit.

Hac eadem die, utrumque Menologium agit, de ſanctis martyribus, quorum (ſi forte tamen ſint iidem) die egerunt tertia Novembris. Menologium Baſilii dicit, Aithalam laicum, & Apſæum Diaconum: Ἀιθαλᾶ, καὶ Ἀψῆ, & intus Ἀψέες. Menologium vero Græcorum, ait, Ἀκεψῆ καὶ Ἀιθαλᾶ: Acepſce, & Aithalæ; ſimiliter laicus, & Diaconus.

Ambo Perſæ. Aithalas ex idolorum ſacerdote, Epiſcopum adit Chriſtianorum, ut ſe curet morbo, quo laborabat: ſanatur; fit Chriſtianus. Redit in patriam, & dum propinquos (συγγενεῖς) adducere ad Chriſtum ſtudet, comprehenditur; auribus mutilatur, & in carcerem truditur. Apſæus & ipſe comprehenſus, & acerbiſſime cruciatus, ad magorum principem mittitur cum Aithala. Is ad Regem eos introducit: renuunt Chriſtum abnegare, & ambo obtruncantur. Hæc habet Baſilii Menologium: aſt illud Græcorum ad-

dit: Aitha'æ morbum, fuiſſe ſanguinis fluxum (ἡ δὲ ἦν ῥύσις αἵματος). Urbem ſanctorum patriam, fuiſſe *Arbel*: πρὸς τὴν ἰδίαν πόλιν ἐπιστρέψας, ἥτις Ἀρβὴλ ἐλέγετο. *Propinqui* autem ſilentur. Hos non habet alicubi Bailletius.

DIE DUODECIMA.

Ruthenè: Spyridionu. Spyridionis.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Σπυρίδωνος, ἐπισκόπου Τριμιθοῦντος τῆς Κύπρου. *Sancti Patris noſtri Spyridonis, Epiſcopi Trimithuntis in Cypro* M.Græc. poſt ἡμῶν, addit: καὶ θαυματουργοῦ, *& miraculoſi*.

COMMENTARIUS.

Acta nota; ſed ſpecialius in Menologio Græcorum. Perduraſſe etiam ſub Conſtantio filio Conſtantini. Prius fuiſſe paſtorem ovium; hinc duxiſſe uxorem, & poſt ejus mortem, factum fuiſſe Epiſcopum. Inter miracula, plura ſunt, quæ in Menologio Baſilii, non habentur. Etiam Conſtantius Imperator, a morbo ſanatur. Acta dicunt, eum capite laboraſſe. Vitam ejus ſcripſit S. Triphyllius Epiſcopus Lederenſis in Cypro, ejus amicus. Sed deperditum opus, vix corrupte habetur apud Surium ex Metaphraſte. Vide Bailletium.

DIE DECIMATERTIA.

Ruthenè: Euſtratii, Auxentii, Mardarii, Oreſtu. Oreſtis.

Græcè: Τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων τοῦ Χριστοῦ μαρτύρων Εὐστρατίου, Αὐξεντίου, Μαρδαρίου, καὶ Ὀρέστου: *ſanctorum & glorioſorum martyrum Chriſti, Euſtratii, Auxentii, Mardarii, & Oreſtis*.

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano, & Maximiano Imp., Euſtraſius a Lyſia Duce, pluribus cruciatibus, & calceis ferreis, cum acutis clavis, ejus pedibus affixis, virgis cogitur ambulare. Auxentius tortus decollatur, ſed cum hinc caput illius non invenitur; in arbore, cornice garrula indicium faciente, inventum eſt. Mardarius, perforatis talis, capite inverſo ſuſpenditur, tum poſteriora eius uruntur, & ita obit. Eugenius lingua & manibus mutilatus, & cruribus virgis fractus, expirat. Oreſtes indicio Crucis, candenti grabato ferreo impoſitus, ibi moritur. Poſt plura tormenta Euſtratius, ardentem injicitur in caminum. Hæc Menologium habet Baſilii: ubi depicta omnia: etiam caput in arbore, & illa cornix.

Menologium Græcorum addit: ſub Lyſia Duce τῶν λυμιτανέων (ita corrupte) τάξεων, καὶ ἀγρικολάς, πάσης τῆς τῆς ἀνατολῆς ἐπαρχίας διοικοῦντος: *ordinis limitanco, & Agricolao totius Provinciæ Orientis Præſide*: Euſtratium, ſocioſque, (ἐκ προγόνων) *a majoribus* Chriſtianos, habent Acta eos comprehenſos. Euſtratius erat, ἐκ τῆς Ἀραβρακηνῶν πόλεως, Σκρινιάριος τῆς Δουκικῆς τάξεως, *ex Arabracenorum urbe, Scriniarius Ducalis Ordinis*: & paulo poſt, ἐν τῇ κατὰ Ἀράβρακι ἐκκλησίᾳ, *in Eccleſia Arabracona*, in qua Anxentius erat presbyter. Euſtratius poſt multa, quæ omnia referuntur ex Actis; ἀπὸ τῆς Σεβαστηνῶν πόλεως, μέχρι Νικοπόλεως ἑλκύεται, *a Sebaſtena urbe, uſque ad Nicopolim ducitur*. Cætera, ut in Actis. Tandem τὸν τόμον τῆς διατάξεως αὐτοῦ ἐγχειρίσας τῷ ἁγίῳ Βλασίῳ τῷ ἐπισκόπῳ, ἐν τῇ εἱρκτῇ, ὃς καὶ τῶν ἀχράντων αὐτῷ μυστηρίων μετέδωκε &c. *Teſtamenti ſui Chartulis, ſancto Blaſio Epiſcopo, in carcere conſignatis (qui tremenda ei myſtica tradidit &c.)* Quod admittit etiam Bailletius.

Ἡ δὲ σύναξις αὐτῶν τελεῖται ἐν τῷ ἁγίῳ ἀποστολείῳ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου, πλησίον τῆς ἁγιωτάτης μεγάλης ἐκκλησίας: *Eorum ſynaxis fit in ſancto Apoſtolio, ſancti Apoſtoli, & Evangeliſtæ Johannis Theologi, prope ſanctiſſimam magnam Eccleſiam*.

Acta eorum apud Lipomanum & Surium tribuuntur Metaphraſti, ſed tamen falſo. Sunt enim antiquiora; & e quarto, vel quinto ſœculo ſcripta ab Euſebio monacho Sebaſteno, quod fatetur etiam Bailletius. Ea quippe noſter Diaconus S. Januarii ad diaconiam Johannes, latine vertit, juſſu Athanaſii ſecundi, Neapolitani Epiſcopi, nono ſœculo. Attamen quæ ſunt apud Surium, creduntur, ut dixi, Metaphraſtis. Acta vero ſincera eorum, Græce nos dabimus loco alio, ex pluribus Codicibus Vaticanis: quod vere pretioſum eſt cimelion.

DIE DECIMAQUARTA.

Ruthenè: Thirſu, Leucii, Philemonu, Apollonii: Thyrſi. Philemonis &c.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων, Θύρσου, Λευκίου, Φιλήμονος, Ἀπολλωνίου, καὶ Ἀριανοῦ: *ſanctorum martyrum Thyrſi, Leucii, Philemonis, Apollonii, & Ariani*.

COMMENTARIUS.

Sub Decio Imperatore, & Combricio Præſide, in partibus Nicomediæ; (1) Leucius exprobat Præſidi, *canem inexplebilem, cum dicit: rapitur in equuleum, decollatur*. Thyrſus fit obviam Præſidi; *item objurgat*: comprehenditur, vincitur manibus, pedibus; oculis transfigitur. Tum ei crura contunduntur: ſerra medius ſecatur, & inter ſecandum expirat. Hæc habet Menologium Baſilii. Illud vero Græcorum (quod in Rubrica Synaxarii, poſt Leucium, agit ſolum, καὶ Καλλινίκου: *& Callinici*) item ait: ſub Decio, & *Cumbricio* (Κουμβρικίου) Præſide, in partibus Nicomediæ, *Nicææ*,

(1) *Metaphraſtes hæc ſilet. Qui dicit, eos flagellatos, & cives hujus Cæſareæ Bithyniæ. Quæ ergo Surius hic habet eorum Acta, ſunt Metaphraſtis. Et ea quæ edidit Bollandus die 28. Januarii, etſi triplicia, omnia ſunt fictitia. Sed in Metaphraſte, facile ab ea ficta, ſecerni poſſunt.*

ſcæ , *& Cæſareæ* (τῆς κατὰ Βιθυνίαν) *illius* , *quæ pertinet ad Bithyniam* ; Leucius &c. ut in Baſilii Menologio. Hinc Præſide *in Helleſpontum iter agente* (ποιουμένου τὴν πορείαν) ; Thyrſus obviam &c. Poſt ſectionem , tot prodigia interſeruntur , quæ ſunt farcimina evidentiſſima ; ut etiam forti ſtomacho , creent nauſeam : ſola oratio ſternit omnia Idolorum templa : mittitur inverſo capite in vas quoddam plenum aqua , quod illico eſt confractum : ex pariete octagono dejicitur in planitiem , coopertam acutis clavis : & incolumis . Poſt hæc Cumbricio , & Silvano , τὴν ἑαυτῶν ζωὴν κακῶς ἀπορρήξάντων , ſuam vitam turpiter lacerantibus ; Provinciam illam excepit Babdus : (1) διαδέχεται τὴν ἡγεμονίαν Βαβδὸς : qui in ſaccum , inſutum Thyrſum in mare projicit . Sed incolumis iterum ſanctus , ad terram eductus eſt : ἀπεκομίσθη πρὸς τὴν χέρσον ὁ ἅγιος . Qui iterum comprehenditur , iterum verberatur , & iterum Templa (2) corruunt , ejus oratione . Quam citiſſime collapſa fuerant , reſtaurata ! Τὰ ξόανα συνθραυῶ . Traditur feris beſtiis ; & illæſus , denuo verberatur , ita ut exciderint ejus carnes . Non *homo* , non *caulis* , ſed *adamas* erat *Thyrſus* . Tunc Callinicus Sacerdos Idolorum convertitur , his viſis .

Dum Thyrſus eſt Apolloniæ , Idolorum Templa quaſſat , & dejicit : idemque agens Callinicus , dum Idolum , quod colebant , dejicit , gladio obtruncatur . Thyrſus vero adhuc incolumis ; in aream conjectus , ut ſerra medius ſecaretur ; quod miniſtri ſerram nequeunt removere , illæſus remanſit ſanctus . Attamen in Baſilii Menologio ; *vere dicitur ſectus medius* : hic vero , nequidem ſerra moveri poteſt . Interim illæſus Thyrſus , tunc moritur : ab alto ipſi facta voce , qua præparata bona , ei fuere ſignificata . Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύναξις ἐν τῷ μαρτυρίῳ αὐτῶν , τῷ ὄντι πλησίον τῶν Ἑλενιανῶν: *ſit eorum Synaxis* , *in martyrio eorum* , *quod eſt prope Heleniana* . Ergo ad augendam in populo , erga hunc ſanctum devotionem ; ab his , quorum intererat , ficta fabula ; & tot immiſta & aucta ſunt veris Actis . Ego tamen in utroque Menologio , adhuc non digero , in publicum Magiſtratum objurgationes , quæ Leucio , & Thyrſo , ut martyribus , appinguntur . *Canis inexplebilis &c.* quod hæc non ſapiunt Chriſti ſpiritum .

Utrumque Menologium habet poſtea : Τῶν ἁγίων μαρτύρων Φιλήμονος , καὶ Ἀπολλωνίου , Ἀριανοῦ , καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς : *ſanctorum martyrum Philemonis* , *& Apollonii* , *Ariani* (hunc in Rubrica ſua non habet Baſilii Menologium) *& ſociorum eorum* .

Orti Thebis Ægypti , hi numero *triginta* (Menæa , & Menol. Græcorum dicunt , *triginta ſeptem*) ſub Diocletiano comprehenſi , Apollonius vinctus clericus , cuſtodi Philemoni *choraulæ* tibia in choro canenti , tibicini , dat pecuniam , ut ſuis veſtibus uſus , vadat , idola colat . Is dum vadit , Chriſtum vere confitetur . Præfectus rei ignarus , choraulam Philemonem vocari jubet , ut ſua tibia mulceat Chriſtianos , inducatque ſoni ſuavitate , ad idolis ſacrificandum . Agnitus torquetur : tum & ipſe Præfectus credit . Dum hæc audit Diocletianus , jubet , eum cum quodam Arriano (Ἀρριανοῦ) viro opulento , torqueri . Tandem in caſſum iſta : omnes ſacco incluſi , in mare præcipitantur . Ita Baſilii Menologium . Vereor , ne pro *Decio* Diocletianus ; pro *Hermogene* item Præfecto Ægypti , alter hic Præfectus anonymus , vel *Arrianus* , ſint ſubſtituti .

Menologium autem Græcorum , ait : ſub Diocletiano Imperatore , *& Arriano Præſide Thebaidis illius e Tatinenſium* , *quæ Metropolis eſt in Ægypto* : καὶ Ἀριανοῦ ἡγεμόνος τῆς Θηβαΐδος ἐν Αἰγύπτῳ τῆς μητροπόλεως Τηπτόων : comprehenſi triginta & ſeptem Chriſtianis (ἑπτὰ καὶ τριάκοντά τινων Χριστιανῶν) & Præfecto præſentatis , Apollonius lector (ἀναγνώστης τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας) Eccleſiæ ; veritus tormenta ; quatuor aureos dat Philemoni *Tibicini* (τῷ Χοραύλῃ) ut pro ſe , ſuis veſtibus indutus , ſacrificet Idolis . His inductus , credit in Chriſtum Philemon , ſcilicet , induit etiam Chriſtum ; & tanquam Apollonius , fatetur Chriſtum . Jubet Præfectus Philemonem accerſiri , ut perſonato Philemoni , canat , & flectat eum idolis . Re cognita , fruſtra tentatur Philemon ; nam contra , baptiſmum optat , orat , & *pluvia ſuper ipſum ſolum cadit* (ὑετὸς κατηνέχθη ἐπὶ μόνον αὐτὸν , ὥστε πάντας μὲν θαμβηθῆναι τοὺς παρεστῶτας) *Attoniti: adſtantes omnes* : *quod timore Præfecti* , nemo inveniebatur , qui eum baptizaret . Dederat tibias (αὐλοὺς) Apollonio , pro aureis acceptis : orat : hæ in manibus Apollonii , igne cæleſti depaſcuntur . Inducitur etiam Apollonius , cui cauſa rei firmo , nervi pedum reciduntur , & per totam raptatur urbem . Philemon ligatus oleæ , ſagittis petitur , nec feritur : quin una earum , oculus Præfecti excæcatur . Sanctus vero eum ſanat , inquiens , ut poſt ſuum martyrium , terram egeſtam e ſuo tumulo ſumat ; & ſanus erit . His tamen fruſtra dictis ; obtruncantur Apollonius & Philemon .

Præfectus poſt dies aliquot periclitaturus , promiſſa martyris , dicta exſequitur , & fit ſanus . Hinc ipſe , & qui cum eo erant , in Chriſtum credunt , & baptizantur . Diocletianus , ſaxo ad collum alligato , *in profundam foveam jubet projici* , *& terra obrui* : ἐν χάσματι κατέχωσε γῆς : Et tamen evadit ſanus . Diocletianuſque *eum* , *in ſua Regia* , *ſuoque ſuper lecto ſervatum cernens* ; *magum eſſe opinatus* , in mare jubet *una cum Protectoribus* (*Protectores* erant , qui Magiſtratibus aſſiſtebant , & ſerviebant) *qui & ipſi crediderant in Chriſtum* , *projici* , & ita factum : ὀφθέντα ἐπὶ τῆς κλίνης αὐτοῦ τεθησαυρισμένος ἐν τοῖς βασιλείοις , μάγον εἶναι οἰηθεὶς &c.

(1) *Opinor* Balbus , *Metaphraſti dicitur Pardus* .

(2) *Poſt hoc martyrium* , *Metaphraſtes adjicit illud* Aſclæ *ſub Diocletiano* : *Leonidis* , *Apollonii* , *Ariani* , *de quibus mox Menologia* . *Baillettius locum martyrii Callinici* , *facit Apolloniam Phrygiæ* : *& Thyrſum ait* , *poſt tormenta liberum in pace quieviſſe* . *Admittit etiam martyrium Leucii Cæſareæ* . *Clementius ego de Actis eorum judico* .

θείς &c. μετὰ τῶν Προτεκτόρων πιστευσάντων καὶ αὐτῶν τῷ Χριστῷ. Pueri (*ſervi*) Ariani *corpus ejectum litori, & a Delfino in terram advectum, ſepeliunt; ſicut ipſis prædixerat ſuus dominus*: Συνεκομίσθη δὲ τὸ τοῦ ἁγίου Αρειανοῦ λείψανον, ὑπὸ τῶν παίδων αὐτοῦ, ἐπὶ νώτου δελφῖνος ἐπιχούμενον, κατὰ τὴν τοῦ ἁγίου πρόῤῥησιν, καὶ ἐτάφη. Haud narrat alia. Mirum, quam longe lateque, in Acta vera, fabula ineptiſſime ſe immiſerit! ſed Auctores, & occaſionem dixi ſupra, & a Byzantino.

Eadem die agitur, Synaxario ſeparato, commemoratio, τῶν τεσσάρων πρωτεκτόρων, τῶν συναθλησάντων τῷ ἁγίῳ Αρειανῷ: *quatuor Protectorum, qui cum ſancto Ariano decertaverunt*.

Poſt multa illata tormenta ſanctis; Diocletianus *in profundam foveam projicit Arianum bene ligatum*: καὶ ἐπλήρωσε τὸν βόθρον μετὰ τοῦ χώματος, καὶ ἔστησεν ἐπάνω τὸν θρόνον αὐτοῦ: *& terra foveam complevit: & ſedit ſub throno ſuo*; & deluſit Deo Chriſtianorum. Tum vadit in Regiam, & deprehendit vincula, & ſaxum, & Arrianum jacere ſub lecto ſuo: turbatur merito: projicitque eum, & quatuor Protectores (ergo ibi etiam iſti jacebant: quod non dicit) ſaccis incluſos in mare: ſed hos quinque ſaccos, quinque delphinos, ad littus ducunt Alexandriæ. Hinc ſervi (δοῦλοι) Arriani, ibidem omnes, loco ſepeliunt honorifico. Separatim hæc narrat & Menologium Baſilii: & iiſdem verbis ea exſcribit Menologium Græcorum; quod eſt poſterius tempore, quinque ſæculis. Ita Metaphraſtes, nunquam ſui ipſius potuit oblviſci: nec ſui genii, Nicephorus Calliſtus. Sancti hujus Arriani vitam ſcribit, & illuſtrat Tillemontius, tomo quinto. Bailletius è Sozomeneo lib.9. cap.2. ait, anno circiter 440. S. Thyrſum Pulcheriæ Auguſtæ apparuiſſe, & revelaſſe, ut reliquias ſanctorum quadraginta martyrum Sebaſtenorum, quæ tranſlatæ jam erant Conſtantinopolim, cum ſuis reliquiis componeret in Eccleſia, quam ſibi Cæſarius ex Conſul, anno 397. & P.P. penes Conſtantinopolim conſtruxerat. Quod a S. Proclo Patriarcha factum eſt.

Metaphraſtes hæc ſua habet poſt martyrium ſanctorum Lucii, Thyrſi, & Callinici. Proinde ex eo loco, huc ſunt a Nicephoro derivata.

DIE DECIMAQUINTA.

Ruthenè: Eleutheriu. Paulu. Eleutherii. Pauli.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ελευθερίου: *ſacroſancti martyris Eleutherii*. De hoc nullibi Bailletius.

Eadem die: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Παύλου τοῦ νέου, ἀσκήσαντος ἐν τοῖς Χρόνοις τοῦ Πορφυρογεννήτου ἐν τῷ ὄρει Λάτρου: *ſancti Patris noſtri Pauli junioris, qui aſceticam vitam duxit, temporibus Porphyrogeniti, in monte Latri*: (nempe Latronis, e latina voce Latro, nis).

COMMENTARIUS.

Romanus, a matre Anthia, patre orphanus; de fide Chriſtiana edoctus, quam a Paulo Apoſtolo hæc acceperat; ab Aniceto Romano Epiſcopo, fit clericus, mox diaconus & presbyter; ac demum Illyrici fit Epiſcopus. Sub Hadriano Imperatore comprehenſus, & tortus; in ardentem fornacem, juſſu Præfecti injicitur, ſed incolumis, inde evadit. Credit Præfectus: & ipſe furnum illæſus, intrat, & exit: & cum aliis decollatur. Eleutherius gladiis conciſus, ſuum claudit martyrium. Ita Menologium Baſilii.

In Menologio vero Græcorum, plura portenta, & fabulæ, quas diu antea Bollandiani exſufflarunt. Sed priora etiam in Menologio Baſilii advertuntur. Anicetus eum annorum . . . facit clericum, hinc diaconum annorum quindecim, presbyterum annorum decem & octo, & vigeſimo anno Epiſcopum Illyrici. Dum fidem miraculis comprobat, Hadrianus eum comprehendi jubet: in ignito crabbato imponit; tum in ſartaginem (ἐν τηγάνῳ) oleo ignito plenam, ſevo, (στέατος) & pice: e qua evadit incolumis. Ex Conſilio Præfecti, vel *Preſidis Coremmonis* (τῇ συμβουλῇ τοῦ ἐπάρχου Κορέμμωνος) furnus præparatur, acutos utrinque obeliſcos habens. In quem ingreditur prior Coremmon Spiritu ſancto plenus, jam Deum profeſſus Chriſtum; qui incolumis inde egrediens obtruncatur. Crediderat ergo ante, ubi ex tegano vidit Eleutherium evaſiſſe. Attamen Græcorum Menologium, hoc non dicit: uti nec ne, ingreſſus in furnum ſit & Eleutherius. Alligatur currui, ab indomitis tracto equis; & ab angelis ſolvitur, & in altum montem ſiſtitur. Ibi miraculo perculſos milites baptizat (angeli ergo illuc duxerunt milites iſtos) & cum iis fere quingentos alios. Interim ducitur hinc ad Imperatorem, traditur beſtiis: a quibus illæſus; juſſu Præſidis, a duobus militibus obtruncatur. Mater Anthia, dum cadaver filii amplectitur, etiam ipſa occiditur. Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις, ἐν τῷ μαρτυρίῳ αὐτοῦ, πλησίον τοῦ ξηρολόφου. *Fit ejus Synaxis, in martyrio ejus, quod eſt prope Xerolophum*. Collem *aridum, ſiccum, nudum*.

Rubrica, ſine ſynaxario: eadem die: ὁ ἅγιος Κορέμμων ὁ ἔπαρχος, πιστεύσας τῷ Χριστῷ, καὶ βαπτισθεὶς, ξίφει τελειοῦται: *ſanctus Coremmon Præſes, poſtquam Chriſto credidit, baptizatus, gladio finem imponit vitæ*. An ex Χαιρέμων, *Chæremon*, factum *Coremmon* fuit?

Eadem die Menologium Græcorum agit, de alio Eleutherio martyre, ex *cubiculario*: τοῦ κουβικουλαρίου. Idem, ſola rubrica celebrat die . . . qua die Menologium Baſilii habet, & agit, de ſancto martyre Marino ſenatore, ſub Macrino Imperatore; qui a ſervo proditus eſt. Num hic ille fictus Eleutherius? De eo dicit miſſum in ſartaginem, & lebetem, traditum beſtiis: ſtraviſſe oratione idola; capite plexum. Habet & horum aliqua, etiam Marini ſenatoris, Euſebius Cæſarienſis. Menologium Græcorum ſequenti die 16. de iſto agit, & dicit, eum fuiſſe Romanum ſenatorem,

torem, ſub Carino Imperatore: pro *Macrino* ſumens *Carinum*: Cætera, ut Baſilii Menologium, narrat; illud addens, *gladio obtruncatum*: προπεμπόντων αὐτὸν τῶ τε πατρὸς, καὶ τῆς μητρὸς, καὶ μακαριζόντων αὐτόν: *præmittentibus eum patre & matre, & beatum, ipſum dicentibus*. In quibus *Anthia* illa, latere mihi videtur. Cæterum *cubicularius* Eleutherius, effertur tanquam *Byzantinus patria*, & *in Regia educatus a puero*, qui a ſervo defertur ut Chriſtianus, Imperatori (quem non prodit) qui eum interrogat. Sanctus repedat ad flumen Sangarim, ubi ſolebat commorare; & videt mira. Quid multis ejuſmodi. Imperator ipſum gladio feriri jubet. Projectum corpus, ſanctus quidam ſacerdos unguento delibutum, ſepelivit. Pro uno Eleutherio, duo, & fabulæ. Hinc putem tranſitum, ab antiqua Roma, ad novam Romam; vel viceverſa. De his nec Surius, nec Bailletius, quidquam habent.

Pro Paulo ſolitario & aſceta ſub monte latro, alia non habemus, quam quæ præmiſimus: quia Synaxarium hic non habet, Menologium Græcorum: quod autem Rubrica proſequitur, iſtud eſt, & valde notandum lectori noſtro. Ἰσέον ἐστὶ ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Ἰωάννης ὁ Χρυσόστομος, ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐχειροτονήθη Πατριάρχης Κπόλεως· ἐν ᾗ καὶ ἡ ἑορτὴ τῶν Χριστοῦ γεννῶν ἐπήρξατο ὑπ' αὐτοῦ τελεῖσθαι, ἕως τῆς εἰκοστῆς πέμπτης μηνὸς, τινῶν ἐκ τῶν ἑσπερίων ἐλθόντων, καὶ ἀπαγγειλάντων, διὸ καὶ λόγος ἀπολογητικὸς ἐξεφωνήθη παρ' αὐτοῦ καλλιστός τε, καὶ ὠφελιμώτατος. *Sciendum, quoniam ſanctus Pater noſter Johannes Chryſoſtomus, hac die* (nempe 15. Decembris) *ordinatus eſt Patriarcha Conſtantinopolis: in qua & feſtum Natalis Chriſti, ab eo cæptum eſt celebrari; donec ad diem vigeſimum quintum menſis cæptum eſt agi; quod quidam venientes ab Occidente, illud prohibuerunt. Qua propter Apologetica ab eo oratio ſcripta fuit, pulcherrima & utiliſſima*. Non viſum, meos lectores hoc xeniolo defraudare.

DIE DECIMASEXTA.

Ruthenè: Aggii. Aggæi.
Græcè: Τοῦ ἁγίου προφήτου Ἀγγαίου: *ſancti Prophetæ Aggæi*. Omnia e ſcripturis.

COMMENTARIUS.

Menologium Græcorum, agi dicit, eadem die, καὶ τὰ ἐγκαίνια τοῦ ναοῦ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Χριστοφόρου, πλησίον τοῦ ἁγίου Πολυεύκτου: & *Encænia* (Dedicationem) *Templi ſancti martyris Chriſtophori; quod eſt prope Eccleſiam S. Polyeucti*. Nota, hic non dici *martyrem* Polyeuctum. Confeſſorem ergo. De S. Polyeucto *martyre*, utrumque Menologium agit die.... De non martyre, Bailletius agit, die duodecima Februarii. Videndum eſſet, de quo martyre *Chriſtophoro*, hic agebant: huc uſque namque *Chriſtophororum*, videmus turbam magnam.

DIE DECIMASEPTIMA.

Ruthenè: Daniil. Anania. Azaria. Miſahilu. Danielis, Ananiæ, Azariæ, Miſahelis.
Græce: Τοῦ ἁγίου προφήτου Δανιὴλ, καὶ τῶν ἁγίων τριῶν παίδων, Ἀνανίου, Ἀζαρίου, καὶ Μισαὴλ: *S. Prophetæ Danielis, & trium ſanctorum puerorum, Ananiæ, Azariæ, & Miſahelis*.

COMMENTARIUS.

Multa in utroque Menologio e ſcriptura. Menologium Baſilii, ſeparatim agit de Daniele, poſtea de illis tribus: quos Ezechiæ Regis filios dicit. Menologium Græcorum idem aſtruit, additque Calligonem nomine, eorum matrem: Ἐζεκίου πατρὸς, καὶ μητρὸς Καλλιγόνης: *patre Ezena, & matre Calligone*. Ita oportuit: ad animum fictum nomen; quod hos *pulchros filios genuiſſet*. Illud, & fabula in utroque: ab Rege *Attico* decollatos: eorum capita ab ipſorum ſingulis ſumpta in manibus: eorum ultimum Danielem (quem Meno. Græcorum dicit, natum, ἐν Βυθαρᾷ τῇ ἀνωτέρᾳ; *in Bythara ſuperiori*: Βηθαρᾷ potius, *Bethara*) colla miraculoſe iterum juncta corporibus: ab angelo in monte Gebal (hinc Mongibellum) collocata; ſub petra, ad quadringentos annos ſtetiſſe. Poſt quos, in Reſurrectione Chriſti, eoſdem ſurrexiſſe, & iterum dormiſſe. Cum corporibus eos oportuit ſurrexiſſe. Ut quid ergo ea iterum depoſuerunt? Ergo non ſurrexere. Menologium Græcorum dicit, in magna Eccleſia eorum Synaxim fieri, ante Epiphaniam die ſeptima, ideſt, ante divinum in carne Adventum Domini: idque ex Patrum traditione: διὰ τὸ καὶ αὐτοὺς, οἶμαι, εἶναι τῆς ἐξ Ἰούδα φυλῆς, ἐξ ἧς καὶ ὁ Σωτὴρ πάντων Χριστὸς πρὸς γένος κατάγεται: *quia & ipſi, ut puto, fuerunt ex Tribu Juda, ex qua Chriſtus omnium ſervator ducebat genus*. Qua eadem ducti ratione, de Abrahamo agunt, Iſaaco, Jacobo, die dominica, quam Menologium Baſilii hic interſerit: & Menologium Græcorum, iterum poſt diem decimum tertium, & dominica die poſt diem decimum nonum; ubi ſigillatim ab Adamo uſque ad Suſannam patres collecti enumerantur.

DIE DECIMAOCTAVA.

Ruthenè: Sebaſtiani.
Græce: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Σεβαστιανοῦ, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, Ζωῆς, Τραγκυλλίνου, Νικοστράτου, Κλαυδίου, Κάστορος, Τιβουρτίου, Καστούλου, Μαρκελλίνου καὶ Μάρκου: *ſancti martyris Sebaſtiani, & ſociorum ejus, Zoes, Tranquillini, Nicoſtrati, Claudii, Caſtoris, Tiburtii, Caſtuli, Marcellini, & Marci*. Bailletius de Sebaſtiano, cum Latinis, die agit 20. Januarii.

COMMENTARIUS.

Sebaſtianus Mediolanenſis Patria, dignitate ſenator, ſub Diocletiano, & Maximiano, cum ſociis, in carcere poſiti, & diu fracti: Marcelli-

nus

nus & Marcus, parum aberat, quin a Patre Tranquillino, & matre Marcia ſubverterentur, niſi accurriſſet Sebaſtianus, qui & Tranquillinum convertit: & hic Præſidem; quem non prodit. Sebaſtianum hic vocat, & presbyterum Polycarpum, & baptizatur, ac ſanatur a morbo quodam. Cajus Epiſcopus, *Diaconos* ordinat Marcum & Marcellinum, Tranquillinum patrem, *Presbyterum*; Sebaſtianum vero *Eccleſiæ Defenſorem*: ἔκδικον τῆς ἐκκλησίας. Perſecutione mota, hi omnes cum Nicoſtrato, Claudio, Caſtore, Tiburtio, Caſtulo, & Zoe, poſt varia tormenta, accipiunt vitæ finem. Sebaſtianus vocatus a Diocletiano ſagittis configitur, & clava ferrea corpus conteritur; & in partes diſtractus: ῥοπάλοις τὸ σῶμα κατεθραύσεται, καὶ εἰς μέρη κατατμηθεὶς: ſpiritum Deo tradit. In his quidem nil eſt informe: unum dubium, an ſint vera.

Narbone Martio Sebaſtianum natum dicunt Acta, quæ aliunde, ex antiquis Codicibus, ſcripſit Surius: & eſto Græcis *Mediolanum* pro *Narbone*, nomine minus ipſis noto, ſit illis ſumptum. Militiæ primis gradibus decoratum apud Imperatores, eum aſſerunt; & ſenatorem nequidquam mutiunt. Cum contra, Marcellianum (ſic) & Marcum fratres, *natalibus* dicant *claros*. *Præſes* ille anonymus, in his eſt vir Zoes Nicoſtratus, qui Præfecti *Protoſcriniarius* tantum eſt. Zoo ſex annos muta, a Sebaſtiano ſanata, cauſa converſionis eſt Nicoſtrati. Sebaſtianus jubet omnes vinculis ſolvi, & in libertatem reſtitui. Quæ Sebaſtiani erat poteſtas? Et qui ipſi obediſſent? *Præfectus audit reos ad Nicoſtrati domum eſſe translatos*, & ipſum *ſuis aſpectibus præſentari jubet, ut dignas tantæ audaciæ pœnas luat.* Ingreſſus ad Præfectum, omnem ei ſuſpicionem ademit; & libere ad ſuos redit. Interrogaſſet Præfectus, quis illos liberaſſet, & ubi erant? Bardum nimium facit Judicem. Claudius Commentarienſis etiam convertitur, & duo ejus filii, quorum alter hydropicus, alter ulceroſus ſanantur, & a Polycarpo etiam baptizantur. Inter hos pariter Tranquillianus Marcelliani & Marci pater credit, & podagra qua laborabat, ut baptizatur, ſic liberatur, ſaliens ut puerulus. *Agreſtius* (pro *Agræcius*) *Chromatius* Urbis Romæ Præfectus (nota ſaltum a Narbone Romam) Tranquillinum ad ſe accerſit: & ut eodem morbo laborans, ſanaretur, fit Chriſtianus, Sebaſtiano dat libertatem, ut omnia ſuæ domus confringat. Solus ejus filius Tiburtius recuſat: ſed viſo miraculo & ipſe credit. Mitto reliqua fabulæ male textæ, prodigiis, & cum lenocinio oratorio. *Summus Pontifex erat Cajus*: *Carinus & Diocletianus Imperii* ſunt collegæ. *Poſtquam Carinus ad Margum occiſus eſt*, verba ſunt chronici, quod eſt editum. *Maximo & Aquilino Conſulibus*; ſunt verba Rhapſodi Surii. Uno verbo: meliora ſunt Acta græca, quam latina iſta, quæ obtrudit Surius: in quibus, ubi firmum pedem figas, fruſtra quæras.

DIE DECIMANONA.

Ruthenè: Bonifacii.

Græce: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Βονιφατίου: *ſancti martyris Bonifatii*.

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano Bonifacius ſervus, ſua domina abutitur Aglae, filia Acacii Proconſulis. Cætera, ut in Actis apud Ruinartium in ſinceris. Hæc habent utramque Menolog., hic illud Græcorum, illud Baſilii die ſequenti. Sunt autem aliqui, quibus hæc olent hircum: & illud Horatianum: *deſinit in piſcem mulier formoſa ſuperne*. Aliis vero, ex nomine *bonifacii*, *Aglais*, & *Acacii* patris; videtur oratio Parænetica πρὸς μετάνοιαν ᾗ hominis, qui *bonum facit*, ex *vita voluptuoſa* (Ἀγλαὴ) & *hilari*; *honeſti viri* (Ἀκακίου) filia pænitentia poſt lapſum, uſque ad martyrium ſubeundum. Nempe ſub his perſonis, latere alios. Sed vide plura in Bailletio, qui agit de Bonifacio, quartadecima die Maii.

DIE VIGESIMA.

Ruthenè: Ignatu.

Græce: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου: *ſacroſancti martyris Ignatii Deiphori*. Menologium Baſilii, pro Θεοφόρου, habet: πατριάρχου τῆς μεγάλης Ἀντιοχείας: *Patriarchæ magnæ Antiochiæ*.

COMMENTARIUS.

Menologium Græcorum præfigit falſa. In expeditione Parthica, a Trajano, μολυβδίναις σφαίραις τύπτεται, καὶ ταῖς χερσὶν ἁπλωθεὶς πῦρ ὑποδέχεται, πύροις ἐλαίῳ λιπανθεῖσι τὰς πλευρὰς φλέγεται, ἐπ' ἀκάνθαις ἵσταται, σιδηροῖς ὄνυξι ξέεται: *plumbeis globulis flagellatur, & junctis manibus excipere ignem cogitur, ... oleo unctis ei latera comburuntur; ſub ſpinis ſiſtitur, & ferreis unguibus ſulcatur*. Eum eſſe puerum, quem ſumptum Dominus dixit: *niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum*: & *qui unum talem in nomine ſuſcipiet meo, me ſuſcipiet*. *Ejus ſynaxis fieri* dicit Rubrica, *in magna Eccleſia Conſtantinopoli*. Ibi ergo, & inde hæ cuſæ fabulæ. Forte, quod ejus reliquiæ eo *ex Antiochia*, & *extra Portam Daphniticam*, per ea tempora ductæ fuerint. Celeberrimæ ejus epiſtolæ genuinæ. Apocryphæ & interpolatæ, nuper rejectæ ſunt, ex quo genuinæ a noſtris, & ab Acatholicis datæ ſunt. Acta genuina edidit Ruinartius. Bailletius cum latinis, de eo agit die prima Januarii. Unum dubium: Hieronymus ait, quod & modo legitur in epiſtola ejus, ad Romanos (ſcripta, dum adhuc erat in itinere) *frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar*. *Paſſus eſt anno undecimo Trajani*. Quomodo ergo ait Hieronymus, eadem: *cum jam damnatus eſſe ad beſtias, & ardore patiendi rugientes audiret leones, ait*: *frumentum Chriſti &c.* Hæc dixit in epiſto-

epiſtola; quomodo *Romæ rugientes audit leones*, & ea inquit?

Die 18. hujus menſis; idcirco de ſancto Ignatio agunt Græci, quod ea die translatio ejus agitur: & præterea quod de ſociis & martyribus Rufo, & Zoſimo agunt Latini: ut monet etiam Bailletius.

DIE VIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Juliana. Julianæ.

Græce: Τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἰουλιανῆς: *ſanctæ martyris Julianæ*.

COMMENTARIUS.

Sub Maximiano Imperatore, Nicomedienſis ex parentibus opulentis. Deſponſa viro ſenatorio Eleuſio, ait illi ſe tunc nupturam, cum evaderet ipſe *Præfectus Urbis* (τῆς πόλεως ἔπαρχος). Ille evadit. Et ipſa petit, ut fiat etiam Chriſtianus. Ægerrime fert id pater: & filiam, ut a Chriſto deſciſcat, ſollicitat: & recuſantem, eam ſponſo jam Præfecto, tradit, ut lege, cum ipſa, ageret. Is ſuſpendit eam capillis, capitis detrahit ei cutem; denique in ignem projicit: & cum multis aliis, qui ejus cauſa facti erant Chriſtiani, decollat. Ita Baſilii Menologium.

Menologium Græcorum (quod ſilet Nicomediam) eadem habet: τινὶ τῆς πόλεως ἐπαρχίαν: inſuper, & mutua colloquia inter Eleuſium & Julianam; qui τῷ πατρὶ τῆς παρθένου ἐξεῖπε πάντα; *qui & Patris Virginis dixit omnia*. Traditur ergo ei, *qui veſte eam ſpolians*, τὸν χιτῶνος γυμνώσας αὐτὴν; taureis jubet a ſexdecim militibus flagellari, & capillis ſuſpendi; unde factum, ut capitis cutis illi diſtraheretur. *Ignito per ejus latera*, πλευρῶν & *femora adacto ferro* (σιδήροις πεπυρωμένοις διὰ μηρῶν αὐτῆς διελάσας) ejus lateribus ligat manus, & claudit carceri. Nocte ſequenti angelus tenebrarum, in angelum lucis verſus apparet ei, ſuadens, ut adoleat, & ſolvatur. Abhorret ſancta, & Præfecto adducitur, ſed in fide conſtans, ardentem injicitur in caminum: ſed quum caminus extinguitur, quingenti homines credunt, & ſtatim cum centum triginta mulieribus, quæ item credunt; gladio feriuntur. In ardentem lebetem injecta martyr, ipſa incolumi, circumſtantes aduruntur; ipſa tandem gladio obtruncatur. Erat virgo, novem annorum, cum Eleuſio deſponſa eſt, quindecim vero, cum martyrium paſſa eſt. Ejus Synaxis fit, ἐν τῷ μαρτυρίῳ αὐτῆς, τῷ ὄντι πλησίον τῆς ἁγίας μάρτυρος Εὐφημίας, ἐν τῷ Πετρίῳ; *in ejus martyrio; quod eſt prope ſanctam martyrem Euphemiam in Petrio*. Ex hac ergo officina, tot adjectæ fabulæ prodierunt. Menologium Græcorum, dehinc duas Rubricas aperit; in quibus, de quingentis illis ſuis agit martyribus, & de centum triginta mulieribus ſupradictis; quos omnes paſſos ait, *in Nicomedia* (ἐν Νικομηδείᾳ.) Ubi etiam fictio latiſſime divagatur.

Eadem hac die, utrumque Menologium agit, de Themiſtocle martyre: qui paſtor erat ovium ex Myris Lyciæ, ſub Decio Imperatore. (*Myra* tacet Baſilii Menologium) latebat in ſuo monte Dioſcorides Chriſti martyr. Noſter vult eum ſatellitibus occultare, & ait ſe Chriſtianum: duciturque ad Præſidem, quem Menologium Græcorum, *Aſclepium* appellat: ἰδιώτην τὸν ἄρχοντα Ἀσκληπιὸν: confeſſus & conſtans, ſub ventre tamdiu cæditur, donec in duas partes ſcinditur, & inteſtina ejus diſſolvuntur. Agitur in equuleum, hinc raptatur, & moritur. Acta interpolata, & vere Metaphraſtea. De Themiſtocle, & Dioſcoride, agit Bailletius: qui ait Acta non haberi, niſi apud Menæa, & Menologia, quorum authoritas valde eſt infirma.

DIE VIGESIMASECUNDA.

Ruthenè: Anaſtaſia.

Græce: Τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἀναστασίας, καὶ τῶν σὺν αὐτῇ ἁγίων γυναικῶν. *Sanctæ martyris Anaſtaſiæ, & ſanctarum cum ipſa, martyrum ſociarum*.

COMMENTARIUS.

Anaſtaſia Romæ nata ex parentibus divitibus & nobilibus; a matre de Fide edocta, & in ſacris literis a Chryſogono inſtituta; ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Publium virum duxerat Ethnicum, & eum idcirco vitabat lecto. Amans pauperum, carcere mancipatos viſitabat: quamobrem vir eam cuſtodia cruciavit. Viro mortuo, omnes facultates ſuas, quotidie in pauperes, & indigentes omnes, præſertim Chriſtianos, & in ſepeliendis martyribus erogavit. A multis & diverſo tempore Præfectis, ut Chriſtiana cruciata; in mare, & hinc in ignem projecta; quod ab utroque evaſerit illæſa & incolumis; tandem cum ſuis fœminis obtruncatur. Hæc habemus ex Menologio Baſilii: quod in inſcriptione addit ſolum: Τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος Ἀναστασίας τῆς φαρμακολυτρίας: *ſanctæ magnæque martyris Anaſtaſiæ, liberatricis a veneficiis*.

Menologium vero Græcorum addit: Patri ejus nomen (corruptum) Πρεπεξέτε; quod facile reſtituitur; Πραιτεξτάτῳ: *Prætextati*: matrem, nomine, Φαύστης, *Fauſtæ*. Miniſtrat mulieribus carceri pro Chriſto mancipatis; quas ubi ægrotas, ſolo curabat oleo. Maritus *ſubmergitur*: διαπονίῳ κλύδωνι γέγονεν ὑποβρύχιος: *tempeſtate maritima ſubmerſus eſt*. Reliqua, ut in Baſilii Menologio. Ejus ſynaxis fit, in martyrio ejus, *quod eſt prope ingreſſum Domnini viæ*: in Angiportu Domnini: ἐν ταῖς Δομνίνου ἐμβολαῖς. In his ergaſteriis, & officinis, potius, quam Eccleſiis, primæ corruptiones Actorum, quæ poſtea collecta, & facta corpus, in Synaxariis & Menæis, hanc Mephitim invexerunt. Acta noſtra, vulgata, & paſſim corrupta, & interpolata ab imperitis. Lipomanus dat alia, quæ Bibliothecario tribuit Anaſtaſio (authori æquali Menologii Baſilii & noni ſœculi) & ſunt meliora Metaphraſteis. Cujus Acta, legenda ſunt apud Surium. Adeundus eſt Tillemontius, tomo quinto; & Bailletius, die 25. Decembris: qui ait, Acta eſſe antiqua, jam tum a ſeptimo ſœculo; eiſque uſum eſſe Bedam:

dam : & matrem S. Anaſtaſiæ dictam eſſe *Flaviam* : Nos *Fauſtam* invenimus, & probamus. Nos precibus iteratis noſtri Capituli, & Cathedralis, quæ *Anaſtaſiæ* titulo inſignitur; conatu maximo & non irrito, ea cuncta correximus, & cum aliis infra octavam, Romano Pontifici propoſuimus; qui ea omnia probavit, iiſque uti benigne indulſit.

DIE VIGESIMATERTIA.

Ruthenè : Deſiat Mucenic i Crita : Decem martyrum in Creta inſula.

Græcè : Τῶν ἁγίων δέκα μαρτύρων, τῶν ἐν Κρήτῃ : *decem ſanctorum martyrum in Creta.*

COMMENTARIUS.

Sub Decio Imperatore hi Cretenſes; ex Gortyna Metropoli, e Gnoſſo, Epinio, (ἐπινίῳ) Panormo, Cydonia, Heraclea : Præfecto traduntur inſulæ. Triginta dies a populo, cui eos dederat Præfectus, illudendi circumducuntur. Poſt tormenta alia; tandem a Præfecto jubentur decollari. Ita in Baſilii Menologio. Illud autem Græcorum addit : ex Heraclea, non ſolum Evareſtum, ſed etiam Pompejum; Πόμπιος. Eorum quippe nomina iſta ſunt, *Theodolus*, *Saturninus*, *Eugenius Gelaſius*, *Eunicion*, *Zoticus*, *Pompejus*, *Agathopus*, *Baſilius*, *Evareſtus*. Tunc Gortynæ Metropolita, S. Cyrillus. Nec eos, circumducendos traditos *populo*, τῷ πλήθει λαῷ; ſed traditos τῷ δημίῳ, *carnifici*. Hoc regularius. Num ex δήμῳ ortus eſt error? Ita ſane. Reliqua, ut in Menologio Baſilii. *Fit eorum ſynaxis in Martyrio S. Stephani, prope* τῶν Πλακιδίων, *Ædes Placidiæ*. Ibi tormentum aliquod eſt additum, adjectumque veris Actis : qualia ſunt illa Metaphraſtis apud Surium. Sed non rejicienda : quod non videantur, ab eo multum conſarcinata : facile namque illa deprehenduntur. Quod, difficile putat Bailletius. Sunt ea autem, etiam apud Aloyſium Lipomanum.

Eadem die Menol. Græcorum agit, de S. Paulo Archiepiſcopo Neocæſareæ, uno ex Nicænis 318. Patribus; qui ſub Licinio multa paſſus, etiam rubenti ferro, manus aduſtas habuit.

DIE VIGESIMAQUARTA.

Ruthenè : Eugenia. Eugeniæ.

Græce : Τῆς ἁγίας μάρτυρος Εὐγενίας, καὶ τῶν σὺν αὐτῇ : *ſanctæ martyris Eugeniæ, & ſociorum ejus.*

COMMENTARIUS.

Acta illa nota, & falſa. Pater Philippus Præfectus Romæ, a Commodo Imperatore, Præfectus Ægypti mittitur : qui ſecum ducit filios; inter quos eſt & S. Eugenia. Hæc ibi fit Chriſtiana, ſumptoque virili habitu, intrat quoddam in monaſterium : ſed agnita, patrem ſuum, & matrem, convertit Chriſto, aliosque propinquos. Pater fit Epiſcopus loci anonymi : ac omnes poſtremo, coronantur pro ſancta Fide. Hæc habet Baſilii Menologium. Sed illud Græcorum, pro ejus Synaxario, habet quadraginta novem verſiculos; in quibus eadem fabula canitur, & longius.

S. Avitus quinto ſeculo, lib. ſexto ſuorum Poematum, hæc eadem Acta legit, & eam Abbatem in eo monaſterio, factam canit. Metaphraſtes ergo parum mutavit Acta. Fabuloſa enim, fabulis parum indigent. Corrupta ſunt igitur, vel confícta, ante ſœculum quintum : & ſi quid verum in iis; ſolum admitto martyrium : reſpuo namque etiam nomen *Eugeniæ*, quod nomen *Nobilem* ſignificat. Ea Metaphraſtis, vide apud Lipomanum, Suriumque. Meliora, vel non pejora, ſunt iis, quæ in ſuis ſanctorum Vitis, attulit Roſvveidus. Tillemontius tomo 4. de iis loquitur.

Eadem die in Græcorum Menologium habemus: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Νικολάου μοναχοῦ, τοῦ ἀπὸ στρατιωτῶν. *ſancti Patris noſtri Nicolai, qui ex milite monachus factus eſt.*

Commentarioli vice ſit :

Sub Nicephoro Imperatore, poſt pugnam contra Bulgaros, eſt ex milite factus monachus. Iſte certe alius eſt, a ſancto Nicolao Studita, qui a pueritia, in Monaſterio ſervivit Deo. De quo Bailletius, quarta Februarii agit die.

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè : Rozdeſtro Hoſpodne : Nativitas Domini.

Græcè : Ἡ κατὰ σάρκα γέννησις τοῦ Κυρίου, καὶ Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ : *Nativitas, ſecundum carnem, Domini, & Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti* Ita Menologium Græcorum.

COMMENTARIUS.

Menologium vero Baſilii, ait : Ἡ ἀνάμνησις τῆς ἀχράντου γεννήσεως τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ : *Commemoratio immaculatæ Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Utrumque autem dicit : Καὶ ἀπεστάλη Κυρήνιος (Κυρίνιος illud Baſilii) εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα, καὶ ἐν Βηθλεέμ (Baſilii ſine καὶ εἰς Βηθλεέμ) ποιήσασθαι (ποιῆσαι, Baſilii) ἀπογραφήν. *Miſſus eſt* ab Auguſto *Cyrinius Hieroſolyma, & in Bethleem, ut deſcriptionem faceret*. Reliqua ſunt e ſcriptura. Lege, quæ de his doctiſſime & erudite ſcribit Bailletius die iſta. Etiam ibi de hoc feſto Puerperii; Græci & Rutheni feſtum ſancti Stephani, idcirco agunt die 27. Decembris.

Die vigesimasexta.

Ruthenè: Sobor Bogorodici. Feſtum Deiparæ.

Græcè: Ἡ σύναξις τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, καὶ τοῦ ἁγίου Ἰωσὴφ τοῦ μνήστορος. καὶ μνήμη τοῦ ἁγίου μάρτυρος Εὐθυμίου ἐπισκόπου Σάρδεων: *ſynaxis ſanctiſſimæ Deiparæ, & ſancti Joſephi ſponſi ejus: & memoria ſancti martyris Euthymii, Epiſcopi Sardenſium*. In Rubrica vero Synaxarii, poſt *ſanctiſſimæ*, Menologium Græcorum addit: Δεσποίνης ἡμῶν· ἤτοι τὰ λοχεῖα: *Dominæ noſtræ: ſive ejus Puerperium*. Et hæc, ita Menologium Græcorum.

COMMENTARIUS.

Aſt illud Baſilii, hac die agit: Ἡ Θεοτόκος φεύγουσα εἰς Αἴγυπτον *Deipara fugiens in Ægyptum*. Et Menologium Græcorum, paulo poſt initia, eadem fere ad verbum: cauſas afferentia, cur fugerint. Utrumque vero Menologium de Davide Rege, aut de Propheta Jacobo, nihil. Et de his nihil etiam, hic Bailletius. Menologium Græcorum agit de Veſte Beatæ Virginis in Blachernis, per Pulcheriam nempe Auguſtam: Μνήμη τῆς ἐν τῇ ἁγίῳ σορῷ, ἀποτεθείσης τιμίας ἐσθῆτος, τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου ἐν Βλαχέρναις. *Commemoratio prætioſæ Veſtis ſanctiſſimæ Deiparæ, quæ fuit appoſita in ſancto loculo, in Blachernis*.

Et hic etiam agit de ſancto Euthymio Sardium Epiſcopo & Confeſſore mortuo anno 828. vel 829. Ex Concilio Nicæno ſecundo; vide Henſchenium; qui, uti & Bailletius, de eo agit, Martii die undecima. Bailletius autem ait, adhuc Conſtantinopoli, juſſu Imperatoris, verberibus cæſum eſſe, & a Theophilo ejus filio id factum, & inter verbera expiraſſe: ex Cedreno ita poſt Zonaram. Nec verius: a Theophilo, cum multis aliis Epiſcopis Orthodoxis, mittitur in exilium, εἰς Παντελαρίαν τῆς Ἰσπανίας: *in Hiſpaniæ inſulam Pantellariam*, διὸ κόρην τινὰ ἀπέκειρεν: *quoniam puellam quandam totondiſſet*. In textu græco, corrupte leguntur, ποταλαρίαν, τῆς ἰσπνίας. Et veriſimilius legendum: Παντάλιον τῆς Θρακίας: *Pantaliam Thraciæ*. Pantalia enim, (teſte Procopio Cæſarienſi) *urbs eſt Thraciæ*. Sed nos, ex his anfractibus liberemur. Sub Conſtantino & Irene Imperatoribus, Euthymius Archiepiſcopus Sardium in Lydia, ſecundæ Nicenæ Synodo interfuit, habitæ anno 787. Vixit & ſub Nicephoro Imperatore, & ſub Leone Θηριωνύμου, *feræ beſtiæ cognomine*; ſub quo multa pro ſacris Imaginibus paſſus, ejicitur in exilium in Aſon; hinc in Acrita: τῆς Ἄσου: ἐν τῷ Ἀκρίτᾳ. Bailletius ſilet *Aſon*, & addit cap. *de Acrita, en Bithynie* quod, Acritas duplex eſt Promontorium: aliud in Meſſenia, *capo Gallo*: aliud in Bithynia, ad Boſphorum Thracium, *capo Acria*; *Acra Melæna* apud Orpheum. Ibique in carcere, a quatuor, taureis flagellatur: ex quo tormento, tanquam uter inflatus; octavo poſt die moritur. In Martyrologio Romano tandem, ita ad 4. Idus Martias: ſexto loco, enunciatur.

Sardis S. Euthymii Epiſcopi, qui ob cultum ſanctarum Imaginum, a Michaele Imperatore Iconoclaſta in exilium miſſus; demum Theophilo imperante, martyrium conſummavit. In cujus notis, hæc habentur: *martyr anno 829. Ex Porphyrogenito, continuatore Theophanis: & ex Baronio eo anno, num. 12. anno 840. Cedrenus, ac Henſchenius, & Papebrochius. Die 26. Decembris Græci de eo agunt, in magnis Menæis, & Maximus Margunius Epiſcopus Cythereus*, Ita Franciſcus Maria Aſtenſis, Archiepiſcopus Hydruntinus, anno 1716. Recentiores noſtri exactius hæc diſtricarunt.

Eadem die Menologium Græcorum, in Rubricis ait: Κυριακὴ, μετὰ τὴν Χριστοῦ γέννησιν· Μνήμην ἐπιτελοῦμεν τῶν ἁγίων καὶ δικαίων, Ἰωσὴφ τοῦ μνήστορος, Δαβὶδ τοῦ βασιλέως, καὶ Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου. *Dominica poſt Chriſti Nativitatem; Commemorationem ſanctorum juſtorum facimus; Joſephi Sponſi, Regis Davidis, & Jacobi fratris Domini*. Reapſe ſemper *Adelphotheum*, dicit Jacobum, & *Hierarcham* in Canone: præſertim in Stichera, ubi eum ait, filium Joſephi: Σὺ τέκτονος παῖς, ἀλλ' ἀδελφὸς Κυρίου: *Tu fabri filius, ſed frater Domini*. Cujus Apoſtolium tradit: *In venerabili eſſe domo, ſanctiſſimæ Deiparæ in Chalcopratiis*: τῶν χαλκοπρατείων: Ubi & Davidis fieri *ſynaxim* ſcribit; uti etiam *in magna Eccleſia*. In his, illæ magnæ Fucinæ. De his autem, nihil hic habet Baſilii Menologium, nec Bailletius.

Die vigesimaseptima.

Ruthenè: Stephanu. Theodoru: Stephani. Theodori.

Græcè: Τοῦ ἁγίου πρωτομάρτυρος, καὶ Ἀρχιδιακόνου Στεφάνου· καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν, καὶ ὁμολογητοῦ Θεοδώρου τοῦ Γραπτοῦ, καὶ αὐταδέλφου Θεοφάνους τοῦ ποιητοῦ. *Sancti Protomartyris & Archidiaconi Stephani: & ſancti Patris noſtri & Confeſſoris Theodori Grapti; Theophanis Poetæ, germani fratris*. Ita utrumque Menologium. Sed in Rubrica ſynaxarii, Menologium Græcorum, addit Stephano, poſt, τοῦ ἁγίου, ἀποστόλου: *Apoſtoli*.

COMMENTARIUS.

Menologium Baſilii, omnia repetit e ſcriptura: ſubdit vero illud Græcorum: cum Sadducæis, & Phariſæis, & Ethnicis, de Jeſu, inter alia dixiſſe: Οὗτος τεχθεὶς ἐκ παρθένου ἁγίας καὶ καθαρᾶς, καὶ ἐκλελεγμένος πρὸ καταβολῆς κόσμου: *natus hic ex virgine ſancta & pura, & electa ante conſtitutionem Mundi*, infirmitates noſtras ipſe portavit. Quæ etſi vera ſint; in textu tamen Actuum Apoſtolorum, nuſquam apparent, a ſancto Stephano dicta eſſe. Ad martyrium ſancti Stephani converſum, & baptizatum fuiſſe ab Apoſtolis Gamalielem, & *ejus filium Abelbum*: ὁ τούτου υἱὸς Ἀβελβὸς. Nomen incognitum, & pro vero ignorato, fictum. Sed Gamaliel ab ipſo Chriſto converſus erat. *Synaxis Stephani fit in ejus martyrio, prope Conſtantianas*: Κωνσταντιανῶν. Optima officina. De Stephano & hic, Bailletius: ſed latiſſime de ejus

inventionibus, die tertia Auguſti. Vide & Tillemontium tomo primo.

De ſancto Theodoro Grapto, & fratre Theophane, ſub Theophilo Iconomacho, Acta ſunt notiſſima, & inter opera jam ſunt edita. Notem ergo verſiculos ſed Græcos (latine etenim apud Surium hac die habentur) quos affert tantum, Menologium Græcorum poſt Synaxarium; uti ſcriptos in eorum vultu. Præmitto autem Theodorum eſſe mortuum, anno circiter 836., & Theophanem, factum fuiſſe Epiſcopum Nicænum (quæ tunc metropolis) anno 847. Sunt Jambici:

Πάντων ποθούντων προστρέχειν πρὸς τὴν πόλιν,
Ὅπου πάναγνοι τοῦ Θεοῦ Λόγου πόδες,
Ἔστησαν εἰς σύστασιν τῆς Οἰκουμένης,
Ὤφθησαν οὗτοι τῷ σεβασμίῳ τόπῳ
Σκεύη πονηρὰ δυσσεβοῦς πλάνης,
Ἐκεῖσε πολλὰ λοιπὸν ἐξ ἀπιστίας,
Πράξαντες δεινὰ αἰσχρὰ δυσσεβόφρονος,
Ἐκεῖθεν ἠλάθησαν ὡς ἀποστάται.
Πρὸς τὴν πόλιν δὲ τοῦ κράτους πεφευγότες,
Οὐκ ἐξαρνῆσαι τὰς κακότητας μωρίας.
Ὅθεν γραφέντες, ὡς κακοῦργοι τὴν θέαν
Κατακρίνονται, καὶ διώκονται πάλιν.

Combefiſius in Originibus Conſtantinopolitanis, edidit eorum Acta: & Allatius in Tractatu *de Simeonibus*. Latine dedit Lipomanus, & hinc Surius, qui ea tribuunt Metaphraſti. Sunt tamen eo antiquiora, & ſincera.

DIE VIGESIMAOCTAVA.

Ruthenè: Duadeſiat tiſiaczi Mucenic Nicomidia: Viginti millium martyrum Nicomædiæ.

Græcè: Τῶν ἁγίων δισμυρίων, τῶν ἐν Νικομηδείᾳ καέντων. *Plurimorum ſanctorum Nicomediæ combuſtorum*. Ita Menologium Græcorum: ſed Baſilii Menologium, ſolum habet: *martyrum plurimorum*.

COMMENTARIUS.

Maximianus contra Æthiopes feliciter bello geſto, Idolis ſuis, pro Epiniciis ſacrificia multa indicit. Erat tunc feſtum Nativitatis Chriſti: Anthimus Epiſcopus Nicomediæ, colligit Chriſtianos, Catechumenos baptizat (hoc in Paſchate conſuevit, non in hyeme, ſed primo vere) ſancta myſteria præbet omnibus; quod Eccleſiam a Maximiano, ut eam cum Chriſtianis ureret, cinctam noverat. Omnes itaque comburuntur: dumtaxat evadit Anthimus, ut auxilio aliis eſſe poſſet, & ſuo tempore, & ipſa pati. Vide Bailletium, qui etſi de eorum cultu, & reliquiis creditis, multa dicat, de eorum tamen numero, multo minus *viginti millium*, ne verbum quidem. Feſtum autem illud, jam nono ſæculo agebatur.

DIE VIGESIMANONA.

Ruthenè: Czetirina deſiat tiſiaczi mladenec. Marcellu. Quatuordecim millium Innocentium. Marcelli.

Græcè: Τῶν ἁγίων νηπίων, τῶν ὑπὸ Ἡρώδου ἀναιρεθέντων, ὧν ὁ ἀριθμὸς, χιλιάδες ιδʹ. Καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μαρκέλλου, μονῆς τῶν Ἀκοιμήτων: *ſanctorum infantium qui ab Herode occiſi ſunt: quorum numerus quatuordecim millia; & ſancti Patris noſtri Marcelli, de monaſterio Acœmetarum*. Ita Menologium Græcorum.

COMMENTARIUS.

Innocentium numerus, ſiletur in Synaxario; uti etiam in Baſilii Menologio. Reliqua e ſcriptura.

Clarus genere ex Apamea ſecundæ Syriæ Marcellus Syrus, Epheſi monachum induit: tum ſub Alexandro Abate fit Acœmeta. Quo mortuo, & ſucceſſore Jacobo; ipſe fit Abbas; ac tandem, miraculis, & prophetiæ dono illuſtris, ſancte obit. Utrumque Menologium, & nihil de tempore, & ſub quibus Imperatoribus. Surius habet Acta; quæ tempus indicant *Leonis I. Imperatoris*. Sed vere moritur anno 485. plus minus. Acta ab omnibus, & Bailletio, habentur & probantur ut ſincera. Licet apud aliquos dicantur Metaphraſtis.

DIE TRIGESIMA.

Ruthenè: Anyſia. Zoticu: Anyſiæ. Zotici.

Græcè: Τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἀνυσίας· καὶ τοῦ ὁσίου Ζωτικοῦ πρεσβυτέρου τοῦ ὀρφανοτρόφου: *ſanctæ martyris Anyſiæ: & ſancti Zotici, presbyteri orphanotrophi*.

COMMENTARIUS.

De Zotico, Menologium Baſilii nihil habet: & Menologium Græcorum, ſequenti die 31. affert Synaxarium; quod hic dabimus (in gratiam Tabularum noſtrarum) poſt Anyſiam.

Anyſia ſub Maximiano Imperatore, Theſſalonicenſis, orphana parentum piorum & divitum, ut Chriſtiana comprehenditur: renuenſque ſacrificare; a milite trajicitur, martyr . . . in facie ſpecioſa. Galerium hunc Maximianum dicit Bailletius; qui de ea pauca, & obiter: reliqua omnia de ſancto Anyſio, & Aſcholio, Epiſcopis Theſſalonicenſibus, quarto ſæculo.

Zoticus hanc habet epigraphem die ſequenti: Μνήμη τοῦ ὁσίου μάρτυρος καὶ πρεσβυτέρου Ζωτικοῦ τοῦ ὀρφανοτρόφου: *commemoratio ſancti martyris, & presbyteri Zotici, & orphanotrophi*. Idem Menologium Græcorum, ante, *ſolum* fecit *presbyterum*, *martyrem* etiam nunc facit Zoticum. Zoticus, ex veteri urbe Roma, & illuſtri genere, a Conſtantino Magno Conſtantinopolim adductus, curruum creatur Magiſtrianus: τῶν ἁρμάτων Μαγιστριανός: cum eo & alii adducti ſunt: Paulinus ejus (ἀνεψιὸς) patruus,

patruus, vel avunculis, Olybrius, Petrus, Severus, Marianus, Anthimus, Urbicius, Iſidorus, Calliſtratus, Florentius, Eubulus, Sampſon, Studius: quorum domus hactenus ab ipſis denominantur. De his autem, videſis Michaelem Glycam, & Georgium Codinum, qui eos referunt, ſed non omnes, ut hic facit Menologium. Verum in ſequentibus Zotici, irrepſit fabula. Martyr ſub Conſtantio Ariano Imperatore, & obrectam Fidem, opinor, martyr, raptatus (quod narrat) a mulis indomitis, & occiſus: quod Conſtantinopoli erat celebris. *Ejus enim ſynaxis fiebat in Apoſtolio ſancti Apoſtoli Pauli, quod erat in orphanotrophio*: ὅτι ἐν τῷ ὀρφανοτροφείῳ. Quid clarius? In ejus Orphanotrophio, ad augendam martyrio dignitatem & gloriam ſui Zotici, hæc addita fabula ejus geſtis, quæ potius tradere debebant; & non eſt factum: Inſuper ibi addunt; eum in morte meminiſſe, quos Conſtantinus & Conſtantius, lepra, & ſacro morbo infectos, in mare projici jubebunt: quæ item eſt pura fabula. De noſtro autem Zotico, nihil prorſus habet Bailletius toto opere.

DIE TRIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Melania: Melaniæ:

Græcè: Τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Μελανίας τῆς Ῥωμαίας: *ſanctæ matris noſtræ Melaniæ Romanæ*.

COMMENTARIUS.

Ejus geſta habentur, apud S. Paulum Nolanum, ejus æqualem, Palladium, Rufinum & Auguſtinum. Lipomanus & Surius habent Acta neptis & junioris Melaniæ ex Metaphraſte, qui Acta bona & vera, ſuis aliquot fictionibus male fædat.

MENSE JANUARIO.

DIE PRIMA.

RUthenè: Obrizanie Hoſpodne. Baſiliu Kappad. Circumciſio Domini. Baſilii Cappadociæ.

Græcè: Ἡ κατὰ σάρκα περιτομὴ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν, Βασιλείου τοῦ μεγάλου: *Circumciſio ſecundum carnem, Domini noſtri Jeſu Chriſti: & commemoratio ſancti Patris noſtri Baſilii magni*:

COMMENTARIUS.

Circumciſionis hiſtoria e ſcriptura, & Conciliis Generalibus. Hiſtoriam vero feſti eruditiſſimam & elaboratiſſimam dat Bailletius.

Baſilius, Baſilii & Emmeliæ filius, & Cæſareæ Ponti Archiepiſcopus, Valentem Imperatorem, Ariana hæreſi laborantem, coarguit; Præfectos, itemque hæreticos, ſtupore affecit. Doctiſſimus. In pace tandem, ad Dominum emigravit. Acta nota (& plus ejus opera) ſed non illa Pſeudo Amphilochii; quæ in utroque Menologio male habentur. Legendus cl. Hermantius, & noviſſima editio ejus operum, per Patres doctiſſimos adornata, ſancti Mauri apud Pariſios. Latini de eo agunt, die decimaquarta Junii; quo die translatus eſt. Hac attamen die obiit; & latina Eccleſia, ob concurſum Circumciſionis Dominicæ, de morte & translatione ejus corporis utrumque feſtum agit, dicta decimaquarta Junii.

DIE SECUNDA.

Ruthenè: Selibeſtru. Silveſtri.

Græcè: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν, Σιλβέστρου Πάπα Ῥώμης: *ſancti Patris noſtri Silveſtri, Papæ Romæ*.

COMMENTARIUS.

Silveſter, qui Melchiadi Papæ ſucceſſit, poſt multa certamina & miracula, Conſtantinum Magnum baptizat; & lepra animæ & corporis, ipſum mundat. Conſtantino namque ſancti apparuerant Apoſtoli Petrus & Paulus. Et Silveſter ei fuit author, ut deſtructis idolorum delubris; Templa nomini Chriſti, Deiparæ, Apoſtolorum, & martyrum extrueret, dedicaret. Byzantium uſque ipſe ſecutus Imperatorem, multos, quæ ſunt ad ſalutem docuit. Hinc in profunda obiit ſenectute. Omnia in utroque Menologio, ex Actis illis Silveſtri, notiſſimis, & apocryphis; quibus, a Byzantinis, illa alia fabula adjecta eſt, de Silveſtro Byzantium, Imperatorem ſecuto: quod etſi Menologium Græcorum ſileat; non idcirco tamen, reliqua non adoptat; & lepram, ita deſcribit, τὰ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ πάθη, καὶ τοῦ σώματος ἅμα καθάρας: *pravis ejus animæ ſimul & corporis, purificatis affectionibus*. Taurum, ait, quem hebræus cantionibus ſuis occiderat, & non potuerat ſuſcitare, fuiſſe a Silveſtro ſuſcitatum. Uno verbo, ex eodem fonte ſua omnia, & ipſum derivat. Nos vera ejus geſta, aliunde expiſcamur, poſt Bailletium; ac præterea multa alia, quæ vel hic non novit, vel ſua male cenſura affecit. Quæ omnia in diſſertatione noſtra non parva, in qua *de Conſtantini Magni cultu reſtituendo per occidentem*, omni conatu & ſedulitate, ſeparato opere

opere, prælo dabimus, (ſi Deus nobis, & Mæcenates faverint) cum de baptiſmo Conſtantini verba facimus; eruditus lector poterit expectare. Cæterum nos ignoramus, cur Græci non cum Latinis, die Decembris ultima; ſed hac die 2. Januarii, Silveſtri feſtum appoſuerint.

Sanctus Adelmus ſeptimo ſæculo; S. Theophanes in chronico nono ſæculo, ut & Baſilii Menologium; Giorgius Cedrenus in compendio hiſtoriarum, undecimo ſæculo, in Vita Conſtantini; noſtræ Ruthenæ Tabulæ, & Guſtavum Moſcoviticum, duodecimo ſæculo; & Nicephorus Calliſti, decimoquarto ſæculo (lib. 7. cap. 45. ſuæ Hiſtoriæ Eccleſias:) pro baptiſmo Conſtantini, Romæ per Silveſtrum (unde eadem ejus ſenſa tranſtulit in Græcorum Menologium) decertarunt, non magis ex ejus corruptis Actis; quam ex quadam, credita ipſis traditione, & contra Euſebium Cæſarienſem. Ne dum ergo id tenuit Anaſtaſius Bibliothecarius nono ſæculo; ſed conatu irrito id tentarunt; ſecundum ſententiam nonnullorum.

Die tertia.

Ruthenè: Malachii. Gordii. Malachiæ. Gordii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου προφήτου Μαλαχίου: *ſancti Prophetæ Malachiæ*.

Eadem die: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Γορδίου: *ſancti martyris Gordii*.

COMMENTARIUS.

Malachiæ, multa e ſcriptura, plura ex Apocryphis. Judæi *Malachiam*, angelum vocant: ὃ ἑρμηνεύεται ἄγγελος Menologium Græcorum, ita: quod cum eo Angelus ſemper colloquebatur; & vocem Angeli, præter peccatores, multi audiebant.

Gordius Cappadox Cæſarienſis, Centurio, & Comes; Ethnicorum libertatem, & blaſphemias in Chriſtum, pertæſus; miſſa militia, in montem ſub *Licinio* ſecedit (ſub *Diocletiano & Maximiano* dicunt, Tillemontius, Duſoſſeus, Fleurius, Ruinartius, & Bailletius) poſt aliqua, a ſancto ſpiritu inflammatus, Cæſaream venit, & inter Circenſes ludos (equeſtres in Martis honorem, & extra urbem, ait Baſilius magnus: quod idem eſt) libere ſe Chriſtianum fatetur. Capite, idcirco *Præfecti* juſſu (vel *Præſidis*; ut Baſilii habet latina verſio) plectitur. Nihil in hac narratione, niſi ſanum. Confer Homiliam decimam nonam, in eum S. Baſilii, qui eleganter omnia deſcribit, Menologium Græcorum, pro *Circenſibus*, ſcribit *Theatrum*: ἐντὸς δὲ γενόμενος τοῦ θεάτρου: *& cum eſſet intra Theatrum*: quod tamen commode, & recte, ἀπὸ τοῦ θεάομαι, *ſpecto*, pro Circenſibus *ſpectatoribus* verti poteſt. *Spectatorium* namque, idem eſt, ac *Theatrum*.

Die quarta.

Ruthenè: Sobor Siedmideſiat Apoſtolu. Theoctiſtu: feſtum ſeptuaginta Apoſtolorum. Theoctiſti.

Græcè: Ἡ σύναξις τῶν ἁγίων ἑβδομήκοντα ἀποστόλων· καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοκτίστου: *Synaxis ſanctorum ſeptuaginta Apoſtolorum: & ſancti Patris noſtri Theoctiſti*.

COMMENTARIUS.

Menologium Græcorum non habet ſynaxarium Apoſtolorum: ſed ex canone hujus diei, hæc dicit eorum nomina. Cleopas, Andronicus, Silvanus, Agabus, Ananias, Philippus, Prochorus, Nicanor, Rufus, Soſthenes, Linus, Stachys, Stephanus, Timon, Hermas, Phlegon, Marcus, Lucas, Soſipater, Jaſon, Cajus, Tychicus, Philemon, Narciſſus, Trophimus, *Cæſar*, Zenas, Ariſtarchus, Marcus alter, Silas, Cajus alter, Hermes, Aſyneritus, Apollos, Cephas, Clemens, Juſtus, Quartus, Eraſtus, Lucas alter, Oneſiphorus, Carpus, Euhodus, Matthias, Jacobus, Urbanus, Ariſtobulus, Tychicus alter, Ariſtarchus alter, Pudens, Herodion, Artemas, Philologus, Olympus, Rhodius, Apelles, Amplias, Patrobas, Titus, Thaddæus, Epænetus, Achaicus, Aquila, Lucius, Barnabas, Fortunatus, Apollo, Creſcens. Sed hi non ſunt amplius quam 68., & eorum multi aperte, non ſunt e 70. ut *Lucas* Evangeliſta, Aquila vir Priſcillæ; *Cæſar* (*e familia Cæſaris*) non ſanctus; Cæſaris enim nomen, nemo gerebat tunc niſi, *Cæſar Auguſtus*: & qui erant ex ejus familia, erant *Cæſaris* familia. Præter quamquod multi videntur eſſe iidem, duplicati, ut *duo Lucæ* (etſi Græci alterum, faciunt ab Evangeliſta, illum, de quo mentio in 2. Epiſtola ad Timotheum: eu mque decima die Septembris, Epiſcopum Laodiceæ faciunt) *duo Apolli*, *duo Tychici*, *duo Ariſtarchi*; *duo Marcii*, *duo Caii*, *duo Hermæ*; & *Fortunatus* unus, quem neſcio unde hauſerint. His demptis, vix 60. numerantur: & multi non Chriſti ipſius, ſed Pauli Apoſtoli ſunt diſcipuli.

De ſanctis Apoſtolis hiſce, nihil in Baſilii Menologio memoratur; ſed de ſacroſancto tantum martyre & Epiſcopo Parii Theogene; cujus habet & ſynaxarium. De quo (uti etiam de S. Tito uno e ſeptuaginta) hac die Bollandus agit, ex Actis in ſignis & prodigiis, interpolatis.

De Theoctiſto monacho & confeſſore, hic nihil prorſus, utrumque Menologium. Et Menologium Græcorum die nona hujus menſis, & ſola Rubrica meminit: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος, καὶ ὁμολογητοῦ Θεοκτίστου: *ſacroſancti martyris & Confeſſoris Theoctiſti*: cum noſter ille Theoctiſtus, nec *martyr* ſit, nec *Hieromartyr*: quod indicat, martyrem hunc fuiſſe *Epiſcopum*, vel *presbyterum*, vel *Diaconum*; ſed *Confeſſorem tantum* dicit; eumque titulo vocet ὁσίου: quod nomen *pro ſolis ſanctis monachis* Græci uſurpant. Bollando hic, & octava die

va die, hæret aqua; & ex Octavio Cajetano, & Philippo Ferrario, opinatur hic agi, de illo Theoctiſto monacho & martyre, Sabbaita per Æthiopes prædones, anno 747. de quo & ſociis, utrumque Menologium agit, vigeſima die Martii. Sed his ego adhuc non acquieſco. Bollandus quoque, ducibus Authoribus ſupradictis, profert, vel hic agi de ſancto Theoctiſto Abbate in *Cucumi* monaſterio, in Sicilia, octavo ſæculo: qui reapſe noſter eſſe poſſet Theoctiſtus.

Verum, cum die vigeſima Januarii Bollandus agat (ex die tertia Septembris apud Græcos, & noſtras Tabulas) de ſancto alio Theoctiſto, Diſcipulo S. Euthymii magni, quinto ſæculo; & de alio Theoctiſto, qui colitur quarta die Februarii; de quo ibi, noſtræ Tabulæ altum ſilent: rem intricatam magis relinquit. Ac propterea ſatius fuerit cum Bailletio, qui de his nihil prorſus, omittere hunc laborem. Contenti tantum monere lectorem noſtrum, de alio Theoctiſto. Sanctus martyr Theoctiſtus, ſub Diocletiano Nicomediæ; dicitur in Actis SS. Cypriani & Juſtinæ; paulo ante iſtos paſſus eſſe. De Cypriano autem & Juſtina, agitur die ſecunda Octobris. Ipſe ergo paſſus fuerit, Septembri menſe. Agitur equidem die 3. Septembris, in noſtris Tabulis (ut ſupra viſum) de ſancto Theoctiſto, ſed is fuit diſcipulus S. Euthymii, & non martyre. Nec alioqui de eodem diſcipulo S. Euthymii, bis actum in noſtris Tabulis, & Januario, & Septembri. Aliis relinquimus palmam iſtam.

DIE QUINTA.

Ruthenè: Theopeptu. Theona. Syncliticia: Theopempte. Theonæ. Syncleticæ.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Θεοπέμπτου καὶ Θεωνᾶ· καὶ τῆς ὁσίας Συγκλητικῆς: *ſanctorum martyrum Theopempti, & Theonæ: & ſanctæ Syncleticæ.*

COMMENTARIUS.

Theopemptus, primus omnium ſub Diocletiano, Chriſtum confeſſus, in ardentem caminum injectus, & inde liber evaſus eſt. Tum oculorum alter, ei effoditur; & venenum a Theona mago, Imperatoris juſſu, haurire cogitur: quia rurſus aſpicitur incolumis; Theonas credit. Et Theopemptus quidem obtruncatur: Theonas vero immiſſus in foveam, terra vivus obruitur. In Baſilii Menologio hæc habentur. Sed Menologium Græcorum (quod ſine ſynaxario, die etiam ſecunda, de eo agit) Theopemptum facit Epiſcopum, ſedemque ſilet. In his Theonæ *magia* mihi ſuſpecta eſt; & pro *medico*, factus *magus*. Bollandus, die tertia hujus menſis, de his agit, ex Menæis aliis: quæ aperte ex commentitiis hauſta ſunt; tanquam ſcripta ab Athanaſio Commentarienſi; qui ſub Domitiano Præſide & in Cilicia, eos paſſos dicit. Inter denſas tenebras apparet, Encyclicam eſſe epiſtolam, miſſam Eccleſiis per Aſiam, Pontum, & Bithyniam, ut ipſis innoteſceret hoc martyrium. Idque fundum fuiſſe Plano illi, qui ſub nomine Athanaſii, commentarienſis; tam falſa & fœda in eam injecit, ut eorum crearet Acta. Quam præſtaſſet, ſi Encyclicam illam, nobis poſteris exſcripſiſſet! nec ſuis additionibus (præcipue illa mutatione, pro *Diocletiano Principe, in Domitianum Præſidem*) vera ſuis ſomniis corrupiſſet. Homo nequam, qui pluries ſub larva ſua, *Athanaſii Commentarienſis, & æqualis*, alia multa deprehenditur perdidiſſe.

Bollandus, in addendis ad diem tertiam Januarii, alia Theopempti affert Acta, ex MS. Carthuſiæ Colonienſis (ſuſpicor opus Surii) in quibus Theopemptus, dicitur Epiſcopus Nicomediæ, & primus item martyr perſecutionis Diocletiani, cum Syneſio, qui & Theonas: deque iis agi promittit, prima & vigeſima die Maii. Sed ea Acta, putidiſſima ſunt commenta, ut ad oculum patet omnibus. De his Bailletius nuſquam agit.

Ex parentibus nobilibus & divitibus Syncletica Chriſti virgo, ut Deo liberius vivat, reſpuit omnia matrimonia. Ita in propoſito perſeverat: ac diuturno tandem afflicta morbo, altera facta Job; octogeſimo ætatis anno, animam Deo tradit. In his, & ex his, nihil apparet falſi. Sed Acta, ex quibus educta ſunt, in Hiſpani Regis Excuriali Bibliotheca reperta, & a Colvillo, ex Græco Latine reddita (quæ die quarta hujus habet Bollandus) apertiſſime mentiuntur Authorem ſuum, ſ nctum Athanaſium illum magnum. Ab Alexandrino autem viro, pio cæteroqui, & parco in fingendo; ex philautia Patriæ, diu poſt quintum ſæculum ſcripta ſunt. Totus is eſt in laudandis virtutibus in genere, non autem in deſcribenda vita Syncleticæ ſuæ: de qua plura non habet, ac allatum hic ſynaxarium: quod cum ὁσίαν, eam dicat; monialem eam aperte novit. & Abbatiſſam: ac proinde ab Actis Excurialibus ſua petiit. In quibus planus ille, tres annos cum dimidio, Ethica laboraſſe ipſam confinxit.

Cælius Sedulius, in Præfatione ad Paſchale carmen (quæ eſt epiſtola ad Macedonium) loquitur *de Syncletica, & Perpetua, ſororibus, ſanctæ vitæ*, adhuc viventibus, dum ſcribebat. Illa *virgo virtutibus celeberrima: Perpetua vero, illuſtris maritali potentia*. Eaſdem *nobiliſſimas* renunciat, & *nobilitatem ſuperbi ſanguinis; Syncleticam humilitate ad gloriam provexiſſe*. Mihi hæc eadem eſt Syncletica, ac illa Pſeudo Athanaſii: cui primus Nicephorus Calliſti (in Hiſt. Eccl.) tribuit ſcripta iſta.

Baronius Acta Syncleticæ deperdita eſt opinatus. Holſtenius ea produxit e Vaticana, non Athanaſio tributa, ſed cuidam ſolitario *Polycarpo*. Alii cuidam *Arſenio* tribuerunt. Sed nomen plani illius detegere parvi refert. Latina Colvilli dedit Bollandus; Cotelerius (tomo 1. monumentorum Eccleſiæ Græcæ) dedit & Græca. Bailletius opus antiquum, a ſexto ſæculo ipſa autumat; eſſeque tradit, qui e medio quinto ſæculo, illa putent. Mihi vero eſt indubium, *Apollinariam Syncleticam*, de qua die quarta hujus, Græcorum Menologium, & Bollandus (Bailletius

enim,

enim, de ea nuſquam) unamque & eandem eſſe, Syncleticas illas virgines, Sedulii, & Pſeudo Athanaſii. Ejus Acta, quæ & Bollandus novit eſſe a Synchrono,& fruſtra tribui Metaphraſti;ſunt vera. gravia, & ædificant, & compungunt: & per anacephalæoſim hæc Syncleticæ noſtræ narrant: tum apud Menologium Græcorum: tum in Actis apud Surium, & Bollandum, die quarta hujus: Τῆς ὁσίας Ἀπολλιναρίας τῆς συγκλητικῆς: *ſanctæ & Religioſæ, Apollinariæ ſyncleticæ*: ideſt patritiæ.

Hæc enim *filia Anthemii* illius, qui a Leone Magno Imperatore, Occidentis Imperator creatus eſt; pulcherrima corpore & anima; a pueritia virginitatem apprime coluit. Cuncta reſpuit matrimonia, habent Acta: impetrat a parentibus iter ad loca ſancta. Cum ſervis & ancillis, auroque multo profecta, viſitat loca illa, & omnia dat pauperibus, ſervos manumittit, præter ſenem unum, unumquem Eunuchum. Venit hinc Alexandriam; & ibi ſui itineris fine cognito; ubi ſuos illos ſomno ſopitos cernit; clam ipſis ſeſe ſubducit; deſpectiſque rebus omnibus hujus mundi; in ſolitario quodam loco, nulli cognita, aſperrimam vitam ducit. Tum ad ſanctos in Scethi profecta Patres, eunuchum ſe dicens & nomine Dorotheam; a mirabili Abbate Macario, obtenta cella; in ipſa clauſa, die noctuque intendit orationibus. Accidit interea, ut pater ejus Anthemius Imperator, aliam habens ab impuro dæmone obſeſſam filiam, ad Scethianos miſerit eam Patres; ut ab iis, Deo dante, curaretur. Hi Dorotheo Abbati eam adducunt, ſorori nempe: a qua intra paucos dies liberatur, & dimittitur ita ſana. Ubi autem domum ſuam puella redit; multis eſſe gravida viſa eſt. Pater id factum ab Abbate Dorotheo ſuſpicatur: & confeſtim Dorotheum imperat ſibi mitti. Venit Dorotheus, aperit in occulto (præſentibus, ſacramento ad ſilentium adactis. Id ejus Acta; Menol. vero Græcorum, *ex quibuſdam ſignis, quis ipſa eſſet ſe manifeſtans*: ὅστις τις ἦν, αὐτὴν, διά τινων σημείων γνωρισάσης) eſſe ſe Apollinariam; omneſque ſtupore affecit: morbo, quo laborabat, ſoror ejus ſanatur: & ipſa poſt dies aliquot, redit ad cellam ſuam, nemini Scethianorum patrum, adhuc ſe manifeſtans. A quibus ipſa poſt mortem mulier deprehenſa (quia ſcilicet tunc vigebat conſuetudo, lavandi corpora defunctorum) omnes reddidit ſtupefactos; & ad agendas Deo gratias provocavit. Hæc habentur in Menologio Græcorum; ſed latius in ejus Actis, apud Lipomanum, Surium & Bollandum. Bailletius namque in ſuum opus, Apollinariam hanc ſyncleticam, haud intulit.

De Syncletica Pſeudo Athanaſii, attuli ſupra, quæ prædicantur. Ex parentibus ditiſſimis nobiliſſima; vale dicto mundo, virgo ſe Deo dedicat. Eadem prorſus, de ſuo Syncletica ſedulius. Talis eſt, & noſtra Syncletica Apollinaria: & (ſi demas fictum in Pſeudo Athanaſio; eam Alexandriæ, diu Monialibus præfuiſſe) vixit & ipſa ſub Nomo Alexandrino, ut eunuchus inter ſolitarios Scethianos, nomine Dorothei. Quorum auſuum, a ſancto ſpiritu excitatorum, alia multa habemus exempla, per ea tempora. Noſtræ pater Anthemius. Bollandus cum Radero, Anthemium facit maternum avum Anthemii Imperatoris: Præfectum Prætorio, ſub Arcadio & Honorio; Romanum Conſulem anno 405. cum Stilicone: tandem Præfectum Urbi; & patrem Apollinariæ. Idque ſuadere conantur, ex Abbate Macario Dorothei ſuſceptore: qui ab ipſis putatus, celeberrimus ille Macario Alexandrinus; per hæc ipſa tempora potuit objiſſe. Non idcirco tamen ego recedo ab Actis, quæ noſtrum Anthemium apertiſſime dicunt, fuiſſe a Leone Magno Imperatore Romam miſſum Occidentis Imperatorem. Nepos hic eſt Anthemii illius Conſulis: & neſcio cur maternus: qui veriſimilius ab avo, per patrem, id nomen accepiſſe credendus eſt. Macarius noſter alius eſt, ab illo Macario quarti ſœculi: noſter eſt quinti, & illi Homonymus: nomina, ob ſanctitatem, priori impoſito; ſequiori vero, ut eſt in moribus, ad exemplar. Si lubet, præter Alexandrinum, nubem dabo Macariorum.

Verum Anthemium, nondum reor Imperatorem, cum hæc filiæ Apollinariæ contigerunt: & prolepſi uſus videtur Actorum ſcriptor, ut Patrem, qualis fuerit deſignarent. Sedulius equidem, cum hæc ſcripſit, non ſiluiſſet, *Patrem Imperatorem*; quod in laudem filiarum vergebat. Quin ſuadet ipſe præterea contra illos, ut qui de viva adhuc Syncletica, & Perpetua eſt locutus, ætate ſua; quæ circuit medium quinti ſœculi. Flavius Anthemius reapſe, miſſus a Leone; imperavit ab anno 467. ad 472. & priuſquam e Conſtantinopoli moveret, domum ſuam, Eccleſiam dedicavit (erat enim nobiliſſimus Patricius hujus urbis): quod magnam etiam pietatem, in patre arguit, Apollinariæ. Primam uxorem habuit Flaviam Marcianam, Marciani nondum Imperatoris filiam: ex qua filiam ſuſcepit; quam nuptui dedit Gotho, Patricio Ricimero: qui ipſum deinde occidit. Secundam uxorem, ex Apollinaribus puto, affinem ſancti Apollinaris Sidonii, paulo poſt Epiſcopi Arvernorum; qui adhuc laicus, anno 468. Panegyrim noſtro Anthemio Imperatori, Romæ dixit; quæ in hujus operibus adhuc legitur. Ex hac natæ Conſtantinopoli filiæ, Apollinaria noſtra virgo; & Perpetua illa, nupta; & anonyma alia virgo junior: quod eruimus ex his Actis.

Notum eſt autem, inter C. Sollium Apollinarem Sidonium, & S. Perpetuum Epiſcopum Turonenſem, affinitatem interceſſiſſe: hinc Perpetua dicta Anthemio & illa filia. Hiſtoriæ defectu, ſubjicio conjecturas. Deſerta proinde petierit, Apollinaria, præter propter tempora Concilii Chalcedonenſis, habiti anno 451. ante Patris Imperium: hinc venerit, non Romam, ſed Conſtantinopolim ſe purgatum; ac demum, dum Pater jam imperabat, vel paulo poſt; hanc cum æterna, vitam commutaſſe. Tunc ſcripta Acta. Conficta alia, vel ſuppoſita, aut reformata ſœculo octavo, ab authore (num Athanaſio illo Patriarcha Alexandrino, qui anno 777. ſucceſſit Coſmæ?) cui cæteroqui

teroqui illuſtre debemus ſervatum genus Anthemii ex Macedonia; quod de Syncletica ipſa tradit: ut & fratres duos ei præmortuos; ſuperſtitemque ſororem aliam. Quiſquis fuerit, ille ſcripſit, ut Syncleticam proponeret Monialibus. Hinc *deſerta, & Dorotheum, & Scetin, & ſororem dæmoniacam, tum viſam gravidam, & cætera;* oportuit monialibus ſiluiſſe; quod in iis, nihil ipſis imitandum, vel audiendum, proponere decuiſſet. Diſpendio veritatis, ſpecie falſus, corrupit; ut nos iis diſtricandis, tamdiu torqueremur pro ſancta: cui meas has conjecturas, hos conatus dedico lubens merito: non ingratos, ſi arriſerint eruditis. Ego equidem reor tenebras, ab Actis ſuppoſitis, ſuſpectis, interpolatis diſſipaſſe.

DIE SEXTA.

Ruthenè: Bogojaulenia Hoſpodne: Theophania Domini.

Græce: Τὰ ἅγια Θεοφάνια Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ: *ſancta Theophania Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Ita Græcorum hæc Menologium: illud vero Baſilii, habet: Ἡ βάπτισις Κ. Η. Ι. Χ. *Baptizatio Domini noſtri Jeſu Chriſti*.

COMMENTARIUS.

Omnia e ſcripturis. Hiſtoriam hujus feſti, eruditiſſime Bailletius eſt proſecutus.

DIE SEPTIMA.

Ruthenè: Sobor Joanna Creſtitola: feſtum Johannis Baptiſtæ.

Græce: Ἡ σύναξις τοῦ ἁγίου προφήτου προδρόμου, καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου· συνέδραμε δὲ καὶ ἡ τῆς παντίμου καὶ ἁγίας αὐτοῦ χειρὸς, πρὸς τὴν βασιλεύουσαν μετάθεσις: *ſynaxis ſancti Prophetæ, Præcurſoris, & Baptiſtæ Johannis. Concurrit cum ea, etiam Translatio ejus venerandæ ſanctæque manus, in hanc Imperatoriam civitatem.*

COMMENTARIUS.

Cauſam ponit primo, cur die poſt ſancta Theophania, agatur ejus ſynaxis: quod Chriſti baptiſmum eſt operatus: id que feſtum a principio ἄνωθεν fuerit celebratum. Addit, quod ejus manus Conſtantinopolim e Sebaſte, in qua *dicitur* (λέγεται) conditum ejus corpus, aliquando tranſlata fuerit.

Lucas Evangeliſta Sebaſten veniens, Baptiſtæ dexteram ſibi abſtulit; eamque Antiochiam, ſuam Patriam advexit. Interea in Antiocheni agri finibus, Draco quidam erat (δράκων τις ἦν) quem colebant Ethnici loci illius ut Deum, eique filias ſuas dabant. Acciδiſſe tum, quendam etiam Chriſtianum ad id coactum, in filia præbenda ſua: qui ſe, ſuamque filiam, orans Præcurſori commendat: dumque manum ejus oſculatur; dentibus, ejus pollicem obtruncat (ἀποτέμνει δάκτυλον) & ſibi ſervat. Ut dandæ filiæ dies advenit; cum reliquia illa, & filia procedit; ad draconem accedit, & digito illo, *in medium ejus faucium projecto*, (ἀκοντίσας μέσον τοῦ φάρυγγος τῇ τούτου ἐμβολῇ) illico draco moritur. Sic Æneas ſibyllæ conſilio, offam injecit, in ora Cerberi. Ita felix Johannis pollex evaſit offa draconis hujus. Euchariſticas voces Deo, & Præcurſori ejus, pendit Populus; ubi a patre (qui incolumem jam reduxerat domum filiam) audit id, quod acciderat; & Templum maximum (μέγιστον οἶκον) ſancto erigit. Λέγεται: *dicitur* Antiochiæ a Patriarcha (Ἀρχιερέως) die ſanctæ Crucis hanc manum, oſtendi populo conſuevisſe; & aliquando videri *extenſam*, ac aliquando *contractam*: ἐκτείνεσθαι: συστέλλεσθαι. Si primo modo; fructuum copiam prædixiſſe; penuriam, ſi ſecundo. De digito illo ego quærito, nec verbum amplius ejus audio: forte, quod in ventre draconis conſumptus fuit. Iraſcor contra projicientem; in Græculos rem probantes, multo magis.

Tandem vero, ex Antiochia, Conſtantino & Romano Imperatoribus, manum illa advectam Conſtantinopolim. Ἔνθεν τούτων βασιλευόντων, ὑπό τινος διακόνου τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας, Ἰὼβ προσαγορευομένου, ἡ τῆς τιμίας τοῦ Προδρόμου χειρὸς ἐπαγωγὴ, καὶ ἀπόκλυσις ἐγένετο, κατ᾽ αὐτὴν τὴν ἐπιλύχνιον ὥραν, ἐν ᾗ τὸν ἁγιασμὸν, ἔθος πλέον Χριστιανοῖς παραδέδοται. Ὃν ὁ φιλόχριστος βασιλεὺς ἐκ πόθου κατασπασάμενος, ἐν τοῖς βασιλείοις ἀπέθετο: Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις, ἐν τοῖς Φορακίου: *Quamobrem bis imperantibus; a diacono quodam Eccleſiæ Antiochenæ, qui Job appellabatur, ſanctæ Præcurſoris manus, advectio, & ablutio facta eſt; ſub ipſam lucernarii horam, in qua ex traditione, Chriſtianis mos eſt, conficere Hagiaſmon* (baptizare) *quam Chriſtianiſſimus Imperator, cum deſiderio exoſculatus, depoſuit in Palatio. Ejus autem ſynaxis, in Ædibus fit Foracii.*

Prima fabula putida in Luca eſt, Evangeliſta, qui detrahit, & aſſervat ſibi Baptiſtæ manum. Qui hæc fingere auſus eſt; illud ſœculum funditus ignorabat; quo ſacrilega erat diſtractio oſſium, defunctorum, eorumque requiem diſturbare: Evangeliſtam Lucam non reliquias ſanctorum colligendo, ſed Chriſti evangelium prædicando circuiſſe. Se forſan, ſuique ſœculi hominem, & genium, in Evangeliſta cogitaſſe. Secunda & ridenda fabula, in dracone illo, & puellæ ficto miraculo, eo manus Johannis digito, a patre ejus, per ſummum ſcelus, oſculo abſtracto a manu (præclara lectio morionis, ſacras reliquias oſculantibus) & pejori ſcelere, ab eo in ficti draconis fauces projecto; & hinc miraculum, hujus crepiti, perditi digiti, & filiæ liberatæ. Si reliqua eſſent vera; Tyannum aliquem dicerem hunc draconem, qui in puellas debacchaſſet; & a patre iſto, veneno dato, eſſet occiſus. In reliquis, præjudicia forſan populi, & devotio effrænata. Vera dumtaxat, tranſlatio Conſtantinopolim in Palatium, ſub iis Imperatoribus. Quod Pagius ad annum ſiſtit 955. Adde, quod ſub finem ſœculi noni, nondum ſub Baſilio Imperatore Porphyrogenita, fuerant hæc commenta. Menologium enim ejus, de tota hac, & aliarum rerum narratione, aut fabula; penitus ha-

bet nihil. Bollandus non hic, ſed die 24. Junii, de his agit. Qua die, de omnibus ferme ſancti Johannis rebus; latiſſime & erudite, more ſuo tractat Bailletius: qui & hanc fabulam ipſi damnant.

DIE OCTAVA.

Ruthenè: Domnica. Georgii. Domnicæ. Georgii.

Græcè: Τῆς ὁσίας Δομνίκης: *ſanctæ Religioſæ Domnicæ.*

Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Γεωργίου τοῦ Χοζίβα: *ſancti Patris noſtri Georgii Chozebitæ.*

COMMENTARIUS.

Domnica (de qua ſolum Menol. Baſilii die decima) ſub Theodoſio magno, Carthagine, ubi nata, venit Conſtantinopolim. Nectarius Patriarcha in monaſterio eam collocat, Prophetæ Zachariæ; quod ipſa, inſtaurat ære ſuo. Diaconiſſa facta eſt: ſpiritu prophetico prædixit multa: ac tandem ſub Zenone, extrema ſenectute, in domino obdormivit. Bollandus hac die octava, de ipſa aliiſque agit. Verum de Domnica, ex Menæis aliis, habet eadem, ſed in aliquibus auctiora. Puta, ex occaſione quadam, *cum quatuor virginibus* veniſſe Conſtantinopolim. Nectarium tunc *Archiepiſcopum, ex divina revelatione*, eas ſuſcepiſſe; *& unda tinxiſſe baptiſmatis ſalutaris*: quod argumento eſt, eas eouſque, Cathecumenas permanſiſſe. Illud diſplicet Acta hæc, a prædictis diſſonare; quæ ſubdunt: veneranda (ὁσίαν) Domnicam, ſolitariam dici complexam vitam. Verum probe conſonant græca verba; ὁσίαν namque arguit *monialem*; & non *ſolitariam*, ſed *monaſticam vitam amplexam*, reddi oportebat. Vitam ejus, hactenus nemo dedit; ſed ex dictis, affatim patet, ipſa narrare vera. Sane vero initia Theodoſii Magni, ab anno 379. illa Zenonis ab anno 474. Nectarius ſedit ab anno 381. ad 397. ſi nata ſit Domnica anno circiter 382. jam anno 394. annorum potuit eſſe duodecim, & ſuſcipi a Nectario anno 395. & annorum mori decrepita 94. anno 374.

Sanctus Georgius monachus Chozebita, in monaſterio, quod ſanctus Johannes Chozebita extruxerat, tempore Juſtini primi Imperatoris; memoratur Evagrius lib.4. Hiſt. Eccleſiaſticæ. Chozeba lacus eſt, & ibi hoc monaſterium in Palæſtina, in Paræcia Epiſcopi Cæſarienſis. Idem ait Johannes Phocæ, in ſuo Itinerario.

DIE NONA.

Ruthenè: Polyeuctu: Polyeucti.

Græce: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Πολυεύκτου. *Sancti martyris Polyeucti.*

COMMENTARIUS.

Miles Armenus, in Melitina urbe natus; perſecutione ſub Decio & Valeriano mota, Chriſtum publice profitetur; & in Fano quodam, idola omnia comminuit. A ſacro Præfecto comprehenſus, flagellatur; & in vinculis retinetur. Tunc Nearchum amicum ſuum compellat, eique aperit ſuum ſomnium: ſibi nempe in eo viſum videre Chriſtum, qui pretioſum ſacrum ſibi afferebat. Uxor ejus, Præfecti filia, occulta & ipſa Chriſtiana, virum ad conſtantiam adhortatur: atque ita, Deo gratias ille agens, poſt alia, capite obtruncatur. Nil prodigioſum, vel non ſincerum in his apparet: quam forſitan Polyeuctus, fuerit ſimplex miles. Cum vero ejus Acta nondum quiſquam protulit; difficile eſt, ut quid de ipſis ſit ſentiendum, proferatur. Menologium Græcorum addit; *primum illius Provinciæ, fuiſſe martyrem* Polyeuctum (πρῶτον ἐν τῇ τοιαύτῃ χώρᾳ, ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρήσαντα). De Præfecto *ſocero*, ac de uxore *Præfecti filia, quæ eum hortata fuerit ad martyrium*; nihil prorſus. Quin potius, *dehortantem* uxorem habet: Μήτε ταῖς τῆς γυναικὸς οἰμωγαῖς; neque uxoriis ululatibus. Bollandus de alio Polyeucto (non utique illo Cæſarienſi; de quo Menologium Baſilii, decima nona Decembris agit) martyre, cum Candidiano, & Philoromo, undecima hujus die, affert Acta: ſed quæ ſunt penitus commentitia. Hac vero die nihil: etſi de Euno, ſeu Polyeucto martyre; ex Martyrologiis, ſed ſine ſynaxario ullo, agit; octava die; qui forſitan Polyeuctus noſter eſt. De quo Latina Eccleſia, Februarii decimatertia agit die.

DIE DECIMA.

Ruthenè: Gregorii. Marcianu. Domitianu. Gregorii. Marciani. Domitiani.

Græcè: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου Νύσσης· καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μαρκιανοῦ πρεσβυτέρου, καὶ Οἰκονόμου τῆς μεγάλης Ἐκκλησίας· καὶ Δομετιανοῦ ἐπισκόπου Μελιτηνῆς: *ſancti Patris noſtri Gregorii Nyſſeni; & ſancti Patris noſtri Marciani, presbyteri, & Oeconomi magnæ Eccleſiæ: & Domitiani Epiſcopi Militinæ.*

COMMENTARIUS.

Gregorius, frater magni Baſilii Cæſarienſis, & ipſe Epiſcopus Nyſſenus, poſt labores multos, pro Chriſto exantlatos; in veneranda canitie; doctiſſimus, ad eum, in pace migrat ſanctus, nemini, etiam ob ejus opera notiſſimus. Bollandus, & Bailletius, Romanum Martyrologium ſecuti, de ipſo agunt, Martii die nona.

Domitianus (noſtrarum Ephemeridum ſequor ordinem) Theodori, Eudociæ filius, ſub Juſtino minore, uxore mortua, fit Archiepiſcopus Eccleſiæ Melitinæ. Amicus Mauritii Imperatoris, ejuſque domus; quæ bona & vim auri, ab his obtinuit, in Eccleſiarum ornatum, & pauperum alimoniam impendit. Conſtantinopoli diem obiit:

obiit: in cujus magna Eccleſia, ejus, & Gregorii Nyſſeni, die iſta fit ſynaxis. Menologium Græcorum, ſilet ejus parentum nomina; ſed tradit, ejus reliquias Melitinam eſſe translatas. Nos præter iſta; Acta ejus non habemus: nam quæ habet Bollandus, & ex eo Bailletius, non ſunt ex Actis; ſed collectanea ex Evagrio, & Theophylacto Simocatta.

Marcianus ex Roma veteri genus ducens, ſub Marciano & Pulcheria Auguſtis; *Eccleſiam Conſtantinopoli ſanctæ Irenis ad mare*, erigit; adjecto illi, oratorio ſancti Iſidori: Eccleſiam item ſanctæ Anaſtaſiæ ad Dominum; quam a magno incendio liberavit. Poſt ſanctam vitam, in Chriſti pace requievit. Menologium Græcorum addit: dum vivebat; ad vitam, mortuum revocaſſe. Quæ ejus affert Bollandus Acta, & Surio & Lipomano, Metaphraſti quidem tribuuntur; ſed Bailletius, ea tribuit anonymo antiquiori, quem non improbat, imo ſequitur. Marcianus hic, quis fuerit, ignorare ſe, faſſus eſt Papebrochius.

DIE UNDECIMA.

Ruthenè: Theodoſii. Theodoſii.

Græcè: Τῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοδοσίου τοῦ Κοινοβιάρχου: *ſancti Patris noſtri, Theodoſii Cænobiarchi.*

COMMENTARIUS.

Menologium Græcorum agit etiam de alio Theodoro, Eremita Antiocheno. Bollandus ſolius cænobiarchæ habet Acta, ſed quæ recuderit Metaphraſtes: ea tamen Bailletius quoque ſuſcipit, ut anonymi ferme æqualis.

Primus Theodoſius, Cappadox, ex pago Megarſo, filius Prohæreſii & hulogiæ, monachum induit, venit Hieroſolymam, & hinc pergit Antiochiam, ad magnum Stylitam Simeonem. Poſt duram, & ſanctam vitam, & multa miracula, in domino obdormivit: Anno, ait Bailletius 529, ſub initia Juſtiniani Imperatoris.

Theodoſius alter Antiochenus, reliquit domum, & in locis ad mare aſperrimis; aſceticam & aſperrimam vitam ducit. Ibi uſque ad pedes, ſuccreſcunt ei capilli: colligit diſcipulos: adveniunt Saraceni, (quos tamen Bailletius *Iſcuros* dicit) diſcipuli omnes, eo relicto fugiunt. Ipſe poſt Saracenos, locum relinquit; redit Antiochiam; ubi cum aliis ſub parvo tugurio degit; pauloque poſt, abit ad Dominum: Anno 412. circiter, ait Bailletius: qui eum *capillatum* dicit, cum Philotheo Theodoreti. Menol. Baſilii, de hoc ſilet.

DIE DUODECIMA.

Ruthenè: Tatiana. Petru. Tatianæ. Petri.

Græce: Τῆς ἁγίας μάρτυρος Τατιανῆς. *Sanctæ martyris Tatianæ.*

Eadem die: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Πέτρου Ἀβεσελαμίτου: *ſancti martyris Petri Abeſalamitæ.*

COMMENTARIUS.

Sub Alexandro Severo Imperatore, Romana, ex Patre, *qui tertium fuerat Conſul*, ipſa Diaconiſſa; cum Imperatore in Templum Idolorum veniens; oratione fuſa, idolum in terram dejicit. Colaphis cæditur: poſt alia tormenta, ignem, & beſtias, gladio obtruncatur. Ex Actis apocryphis. De ea, die iſta Bailletius: qui ait ab aliquot bonis criticis, illa haberi eadem, ac ea S. Martinæ; eaque item ſumpta ex iis S. Priſcæ: de qua, die decima octava Januarii; ex Actis etiam fabuloſis. Menologium Baſilii illa dedit: at Menologium Græcorum ait, eam, ex patre natam, *tertium Præfecto urbi*: ἐκ τρὶς γεγονότος ὑπάρχου.

Petrus celeber fide in Chriſtum, & fortitudine corporis, juvenis Eleutheropoli comprehenſus; neque *Præſidis* (ἄρχοντος) minis, aut blanditiis flexus; igne martyrium conſummavit. Ex Euſebio cap. X. martyrum Palæſtinæ, & Actis veris: unde Ruinartius in Sinceris ea exſcripſit. Bailletius de eo agit, tertia Decembris die, & ait, ea interpolata & corrupta eſſe, ubi cum Euſebio non conveniunt. Menologium Græcorum addit, Apſelamum a parentibus prius, dictum: patriam fuiſſe *Ancam* (Ανέαν) prope Eleutheropolim projectum, in fornace, ad multas horas oraſſe incolumen, pro Eccleſiarum tranquillitate. Euſebius ſolum ait, eum igne crematum eſſe. Tillemontius & Foſſæus non unum Petrum, ſed duos martyres eos ducunt. Menol. Baſilii nihil hic de Abſelamita, ut quod de eo agit, die undecima præcedenti. Cæterum Præſes qui *Firmilianus* eſt Euſebio; authori Actorum *Severus* eſt.

DIE DECIMATERTIA.

Ruthenè: Ermylu. Hermyli.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἑρμύλου, καὶ Στρατονίκου: *ſanctorum martyrum Hermyli, & Stratonici.*

COMMENTARIUS.

Hermylus Diaconus præſentatus Licinio Imperatori; in tormentis, vocat ad liberam confeſſionem Stratonicum amicum ſuum. Dum virgis ferreis verberatur, ita ut viſcera apparerent, Stratonicus lacrymis id cernit, & hoc ſigno cognitus, fatetur, ſe Chriſtianum: Poſt verbera, cum Hermylo, in Zarum fluvium projicitur. Acta videntur genuina. Menologium Baſilii ait, Hermylum comprehenſum, virgiſque ferreis contuſum, Stratonico militi, in carcere traditum eſſe cuſtodiendum. Ex feneſtra carceris a Stratonico viſum angelum, aſſidentem Hermylo, & conſolantem: eaque ratione, ipſum, in Chriſtum credidiſſe; & factum amicum Hermylo. Reliqua ut in Græcorum Menologio. Major hæc diſtinctio, & ſeries veritatis. Paſſos narrat Bollandus, anno 315.

DIE DECIMAQUARTA.

Ruthenè : Sabba . Sabbæ .

Græcè : Τῶν ἁγίων Ἀββάδων, τῶν ἐν τῷ Σινᾷ ὄρει ἀναιρεθέντων : *ſanctorum Abbatum* (Patrum) *qui in monte Sina necati ſunt* .

COMMENTARIUS.

Nilus ex Præfecto urbi Conſtantinopolis , cum aliis aſceticam vitam ſequitur : dum multi acceſſerunt iis ; a barbaris , dictis Blemmiis (qui ex Arabia in Ægyptum, & mare rubrum excurrebant) *ſub Diocletiano* , & Petro Archiepiſcopo Alexandrino , territi acceſſerunt in montem Sina. Noſtri vero , quorum exitum ſcripſit hic Nilus , a Saracenis, qui in eodem monte Sina habitabant ; mortuo eorum Phylarcha ; mortem ſunt aſſecuti, numero triginta & octo : duo vivi ſupervixerunt, Sabbas, & Eſaias .

Eodem die agitur de triginta tribus (alii dicunt, quadraginta tres) Patribus a Polemmyis in Raïthu occiſis . Locus duodecim fontes , ſeptuaginta palmas habebat . Pharanitæ occurrunt, & confligunt cum Blemmyis, ſed delentur , cum jactura hominum quadraginta . Menologium Baſilii dicit, *centum quadraginta ſeptem* . Mulieribus paucisque captis , Caſtrum Blemmyi ingrediuntur , ubi Eccleſiam & Coenobium horum Patrum , occluſis foribus , irrumpunt , & non invento auro , omnes occidunt ; & hinc ſe omnes , inter ſeſe . Nilus exemplum ſecutus filii Theoduli (cujus etiam hac die Menol. Græcorum agit, in ſynaxario ſeparato) in Sinam montem venit . Hæc omnia ex genuinis , hæc Nilus autoptes ſcripſit , illa Ammonius monachus Ægyptius : quæ cuncta græcolatine edidere Combefiſius , & Poſſinus .

Sub Diocletiano , & Petro I. Archiepiſcopo , ait Bollandus , paſſos . Bailletius vero , qui hos non admittit ; ſub Theodoſio magno , & Petro Alexandrino II. anno 381. ait hæc geſta . Græcorum Menologium , reor velle cum Bollando , alios prius ſub Diocletiano , & Petro primo : hos ſub Nilo , qui evaſit . Verum Baſilii Menologium hos non a Saracenis , ſed a Blemmyis eſſe occiſos , Primos reapſe dicit , in illo ſynaxario ſeparato , Menologium Græcorum , ſub Diocletiano & Petro fuiſſe occiſos , a Saracenis . Confuſio ſe immiſit has hiſtorias : quam ita diſtricandam propono. De ſanctis martyribus Sinaitis, & Raithanis , quarti ſœculi , Ammonius ſcripſit monachus Ægyptius : de ſanctis martyribus Sinaitis ſœculi quinti , ſeptem literis ſcripſit Nilus ; qui ſancti Johannis Chryſoſtomi fuit diſcipulus . Sub Diocletiano & Petro primo ; mera fabula .

Eodem die de ſancto Stephano, qui monaſterium *Chenolacci* (χηνολάκκυ *anſerum lacus* in Bithynia) . Conſtantinopoli ædificavit ; ſub Leone Iſauro, & Germano Patriarcha, & cum monachis aliis vitam ſancte finivit . De ipſo nihil Bailletius .

Eadem die : Ἡ ἁγία μάρτυς Ἀγνὴ ἐν σκοτεινῇ φρουρᾷ βληθεῖσα τελειῦται . *Sancta martyr Hagnes , in tenebricoſa cuſtodia projecta, clauſit vitæ finem* . Caret ſynaxario , habetque ſolum duos verſiculos . de ea Bailletius agit , die hujus vigeſimoprimo .

DIE DECIMAQUINTA.

Ruthenè : Paulu . Joanna Kneznicha . Pauli . Johannis Calybitæ .

Græcè : Τῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Παύλου τῦ Θηβαίου· καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου, τοῦ διὰ τὸν Χριστὸν πτωχῦ ὃς καὶ Καλυβίτης : *ſancti Patris noſtri Pauli Thebæi : & ſancti Patris noſtri Joannis , ob Chriſtum pauperis : qui & Calybita dictus eſt* .

COMMENTARIUS.

Sub Decio & Valeriano , ex Thebaide inferiori , Chriſtianus , dum a ſororis marito , ſua quærit , minas accipit , futurum ut , ſi perſiſtat, Chriſtianus deferatur ; fugit , & cætera , quæ Hieronymus ſcribit , & apud ipſum legi poſſunt . Illud noto, Menol.Græc. dicere : Τῦτον , ὡς φασι , ὁ μέγας Ἀντώνι⊙ καταλαβὼν ; *hunc , ut dicunt : magnus Antonius , conveniens* ; quaſi dubitat , num Antonius Paulum viſitaverit , ſepelierit . Nulla autem de his dubitatio affertur in Baſilii Menologio. Quæ in his dubitet Eraſmus , & nonnulli recentiores Centuriatores , vide apud Bollandum & Bailletium , qui de his agunt .

Johannes natus Conſtantinopoli , ex patre Eutropio viro Senatorio , & matre Theodora , cum Acæmetis, hortante quodam eorum monacho, vitam ducit . Tunc ab Hegumeno petit obtinetque , ut ſub tuguriolo ſecum degat . Prope mortem , matri ſe aperit , dato ſigno , Evangelii auro obducti , quod jam tum a ſchola ſibi dederat . Menologium Baſilii dicit , Evangelium illud ſtetiſſe aureos quingentos . Quam ſummam non habent ejus Acta a coævo ſcripta ; habet vero Metaphraſtes decimo ſœculo ; & ex eo Nicephorus in ſuo Græcorum Menologio , conſcripto , ſœculo quarto decimo . In mea etiam firmiſſima ſententia , Calybitæ perſonam induit Alexius, Euphemianus Eutropii ; & vetus Roma , pro nova Roma .

Hac eadem die Menologium Græcorum agit, de S. Martyre *Charitina* , quæ *Candidiani* ſoror Chriſtiani ; ſub Diocletiano, & Domitiano *Comite* ; multa & acerba paſſa , interque dentatam Rotam alligata ; accenſis carbonibus ſubjectis , martyrium conſummavit . Num quid confert martyrio Catharinæ , vel Aecaterinæ ? Pro *Charitina*, factum Æcaterina ? Pendeo adhuc animi . De Charitina (a *Charitibus*) nihil hic Bollandus, nec Bailletius .

DIE DECIMASEXTA.

Ruthenè : Poclonenie ceſtnim veriham Petra : Adoratio catenarum Petri .

Græcè : Ἡ προσκύνησις τῆς τιμίας ἁλύσεως τῦ ἁγίυ καὶ πανευφήμυ ἀποςόλυ Πέτρυ : *Adoratio pretioſæ Catenæ , ſancti & glorioſi Apoſtoli Petri* .

COM-

COMMENTARIUS.

Qua catena Petrus ab Herode vinctus eſt. Eam *ex angeli revelatione* (Menol. Baſilii iſta ſilet. Ætatem præcedit ergo, hoc feſtum, Metaphraſtis) ac nulli antea inventam, poſteriſque traditam; tandem quidam pii Imperatores Conſtantinopolim advehunt. In Templo poſita ſancti Petri (quod in Eccleſia magna eſt) fit ejus ibi Synaxis. Menologium Baſilii ait, *prope magnam Eccleſiam*; quæ erat ſancta Sophia. De hoc feſto, nihil hic Bailletius: Bollandus in *Prætermiſſis*, eam memorat, ex Menologio & Menæis pro ſermone Metaphraſtis: cæteraque promittit die prima Auguſti.

DIE DECIMASEPTIMA.

Ruthenè: Antonii: Antonii.

Græce: Τȣ̃ ὁσίȣ πατρὸς ἡμῶν Ἀντωνίȣ τȣ̃ μεγάλȣ: *ſancti Patris noſtri Antonii Magni.*

COMMENTARIUS.

Omnia ex Actis notis. Pro quibus, legendi inprimis, Bollandus, atque Bailletius, Pagius, Dupinius, Monfauconius, Hermantius, & ſignifer, Tillemontius.

DIE DECIMAOCTAVA.

Ruthenè: Athanaſii: Cyrilu. Athanaſii. Cyrilli.

Græce: Τῶν ἐν ἁγίοις πατέρων ἡμῶν, καὶ μεγάλων Ἀρχιεπισκόπων Ἀλεξανδρείας Ἀθανασίȣ καὶ Κυρίλλȣ: *ſanctorum Patrum noſtrorum, & magnorum Archiepiſcoporum Alexandriæ, Athanaſii, & Cyrilli.*

COMMENTARIUS.

Ita titulus: ſed ante ſynaxarium in rubrica legitur, Πατριαρχῶν: *Patriarcharum*. Bailletius nihil hac die, de Athanaſio, ſed cum latinis, die 2. Maii agit. De Cyrillo vero die iſta agit; uti & Bollandus. De ipſis adeundi, allegati nuper ſcriptores eruditiſſimi.

DIE DECIMANONA.

Ruthenè: Macarii. Macarii.

Græcè: Τȣ̃ ὁσίȣ πατρὸς ἡμῶν Μακαρίȣ τȣ̃ Αἰγυπτίȣ καὶ Ἀναχωρητȣ̃: *ſancti Patris noſtri Macarii, Ægyptii & Anachoretæ.*

COMMENTARIUS.

Sanctus hic moritur, anno Chriſti 391. Vide Bollandum §. 6. cap. 25. & 26. in Prolegomenis S. Antonii Abbatis, qui tertium, Thebæum viſitavit illum anno 366. in monaſterio Biſpiri, diſcipulum S. Antonii: habet mortuum anno circiter 370. Bailletius cum latinis, de his agit die ſecunda Januarii.

Eadem die: Τȣ̃ ὁσίȣ πατρὸς ἡμῶν Μακαρίȣ τȣ̃ Ἀλεξανδρέως: *ſancti Patris noſtri Macarii Alexandrini.*

Ita diſtinguit hos Macarios, in Ægyptium, & Alexandrinum, etiam Menologium Baſilii. Illum ne Macarium referant, noſtræ Ruthenæ Tabulæ, an ſecus: & cujuſnam eorum velint, adhuc ignoro. Alexandrinus obiit anno 404. Bailletius ait, anno 405.

Menologium Græcorum, hac etiam die agit de ſancto martyre Theodoro, Epiſcopo Cyreniæ in Cypro; ſub Licinio, & Sabino Præſide Cypri. Poſt tormenta, dum diu in carcere ſervatur, ſuo Edicto, perſecutionem compeſcit; & ipſe ſuæ Eccleſiæ reſtituitur poſt biennium; ibique obiit.

DIE VIGESIMA.

Ruthenè: Euthymii.

Græce: Τȣ̃ ὁσίȣ πατρὸς ἡμῶν Εὐθυμίȣ τȣ̃ μεγάλȣ: *ſancti Patris noſtri Euthymii magni.*

COMMENTARIUS.

Acta, latine ex verſione Herveti, dedit Bollandus græcolatine, qui ea damnat, ut Metaphraſtis; probat vero edita a Cotelerio propria Cyrilli græcolatine, anno 1688. quæ Pariis primitus data ſunt. In Menologio Græcorum, unum diſplicet, eum dici natum Melitene, Metropoli in Armenia, ὑπὸ τȣ̃ βασιλέως Τραϊανȣ̃; *imperante Trajano*. Num pro *Valentiniano*, ſumptum *Trajanum*? Sub ultimo Valentis anno, natum ait Bailletius, ex Cyrillo in ejus vita.

Hac eadem die Menologium Græcorum, duos tantum habet verſus: Τῶν ἁγίων μαρτύρων, Εὐγενίȣ, Κανδίδȣ, Οὐαλεριανȣ̃, καὶ Ἀκύλα. *Sanctorum martyrum Eugenii, Candidi, Valeriani, & Aquilæ.* Sed Menologium Baſilii habet & ſynaxarium. Ex quo.

Sub Agricolao & Lyſia, apud Trapezuntem, eos paſſos apparet, & ſub Diocletiano: quod diſplicet. Menæa apud Bollandum die 21. ſolum *Lyſiam Ducem* habent. Sed Acta Euſtratii, & ſociorum, ſub iiſdem etiam, & Diocletiano hos paſſos dicunt. Et poſt martyrium, quadraginta ſanctorum Martyrum Sebaſte; & poſt martyrium quadraginta quinque ſanctorum martyrum, Nicopoli, ab iiſdem Agricolao, & Lyſia, ſub Licinio, etiam id actum dicitur. Vide infra ſequenti die. Menol. Baſil. de ipſis agit ſequenti die; & Bollandus in Prætermiſſis, ad hunc diem; de ipſis agit die 21.

DIE VIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Maximi. Neophytu. Maximi: Neophyti.

Græce: Τȣ̃ ὁσίȣ πατρὸς ἡμῶν Μαξίμȣ· καὶ τȣ̃ ἁγίȣ μάρτυρος Νεοφύτȣ: *ſancti Patris noſtri Maximi: & ſancti martyris Neophyti.*

COM-

COMMENTARIVS.

Maximus ſub Imperatore Conſtantino Pogonato, ex dignitate Protaſecretis; ad Monothelitarum hæreſim, fit monachus, in monaſterio Chryſopoleos. Hinc ad Martinum Papam venit, qui Synodum tunc habebat. Multas ſcripſit epiſtolas, ad rem. Cum duobus ſuis diſcipulis nomine Anaſtaſiis, Conſtantinopolim rediit: Ubi ſenatui, & hæretico reſiſtens Imperatori; in caſtro quodam apud Thraciam, mittitur in cuſtodiam; & exſul exinde in Lazicem. Ubi poſt tres annos, & brevem morbum, plenus dierum, in ſancta pace requievit: & in Monaſterio S. Arſenii, quod erat in eadem Regione, ſepultus eſt. E diſcipulis, Anaſtaſius ſenior, manu itidem, & lingua obtruncatus, longe in exſilium pulſus eſt: Junior clauſus in Thraciæ caſtro quodam, ibi tandem reliquit vitam. De S. Maximo nihil hic, vel Bollandus, vel Bailletius. Menologium Baſilii hæc non habet.

Neophytus Nicænus civis in Bithynia, filius Theodori, & Florentiæ, Chriſtianorum; εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ βίου, ἦν χάριτος πλήρης Θεοῦ· ἐννάετης γὰρ ἔτι ἄγων τῆς ἡλικίας μετὰ τῶν παίδων, οἷς ἐπὶ μαθήματι γραμμάτων, συνῆν, καὶ ταῦτα παραδόξως διέτρεφε. *Dum erat adhuc annorum novem, in eo vitæ principio, gratiæ erat plenus; & cum pueris; cum quibus in literis addiſcendis conſueſcebat; eadem mirabiliter retinebat.* Columba enim hæc ei humana voce ſuggerebat. Mater, quæ hoc proſpicit, timore obit. Ipſe eam excitat: petit Olympum montem; ibique in ſpelunca, quam ei columba oſtenderat, habitat, & ab angelo enutritur. E ſpelunca, feram expellit beſtiam. Poſt undecimum ætatis annum, ex revelatione, relinquit montem, parentes viſitat, & illuc redit. Ætatis anno decimoquinto, Præſidi adſtat Decio, a quo primum verberibus contuſus; hinc in ardentem caminum injectus, eo quod incolumis inde evadit, traditur beſtiis. A quibus iterum incolumis, gladio obtruncatur. De Neophyto agit ſolum Bollandus, ex Menologio & Menæis: ſed Menæa apud eum hæc eadem; quæ abſunt ab ejus Menologio: In quo, ætate annorum quindecim ſiſtitur Decio &c. ut in Menæis. Bollandus illud *columbæ*, ἄπιστον *hoc cenſet*, & Raderus repugnat: *cur non magis, quam locutam humano more, aſinam Balaam? præſertim cum vera beſtia fuerit: hic columbæ ſpecie angelus.* Ratio, quia illa tradit ſacra ſcriptura; iſta Acta homo impoſtor, quibus tantum ex veriſimili, eſt credendum, humana fide. Præter martyrium; fabulæ omnia, etiam nomen *Neophyti*, quod inſolitum.

Eadem die Menol. Græcorum ait, etiam cum ſynaxario, de ſanctis martyribus Valeriano, Candido, & Aquila, ſub Diocletiano Imperatore, & *Lyſia Duce* (Menologium Baſilii addit, *ſub Agricolao Præſide, & Lyſia Duce*) in montibus Trapezuntis, in arctum caſtrum Lazices, nomine *Pytium*, exſules ob Chriſtum, ejiciuntur, Hinc Trapezuntem aguntur; ubi a Lyſia taureis flagellati &c. dum in carcere detinentur; Eugenius, qui nondum inventus fuerat, ductus; poſt verbera, in Templum ingredi coactus, Idola omnia oratione fuſa, in terram deturbat. Poſt multa tandem tormenta, cum iis gladio obtruncatur. Bollandus in notis ad Acta iſta, ſcribit: *idem hic forte crudeliſſimus Lyſias, qui Ciliciæ Præſes, plurimos ſanctorum trucidavit: ut alibi ſæpe dicemus.* Tu noſtra vide ſupra quæ diximus, die hujus vigeſima. Acta certe in iſtis non olent fabulam.

Hac die agitur, in proprio etiam ſynaxario de S. Agnete martyre; ſed omnia fere ex vulgatis latinis Actis: antiquis equidem, ſed quæ ſunt plena miraculis, & portentis. Unis vero ſtandum, S. Ambroſio Epiſcopo, & Prudentio, apud Ruinartium.

DIE VIGESIMASECUNDA.

Ruthenè: Timothei. Anaſtaſii Perſa. Timothei. Anaſtaſii Perſæ.

Græce: Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Τιμοθέου· καὶ τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἀναστασίου τοῦ Πέρσου: *ſancti Apoſtoli Timothei: & ſacroſancti martyris Anaſtaſii, Perſæ.*

COMMENTARIVS.

Acta utriuſque nota. Sed prima, non e ſinceris: ſecunda, genuina. Vide Tillemontium tomo 2.

DIE VIGESIMATERTIA.

Ruthenè: Climentu Ancyranu. Clementis Ancyrani.

Græce: Τοῦ ἁγίου, ἱερομάρτυρος Κλήμεντος Ἀγκύρας, καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀγαθαγγέλου. *Sacroſancti martyris Clementis Ancyrani: & ſancti martyris Agathangeli.*

COMMENTARIVS.

Clemens natus Ancyræ ex patre Ethnico, matre Chriſtiana, Sophia nomine; duodennis fit monachus, annum vero agens vigeſimum, Archiepiſcopus factus eſt. Sub Diocletiano & Maximiano, paſſus eſt. Acta ejus omnino ſunt mendacia, & reſpuenda.

Agathangelus Romanus, ab eodem Clemente baptizatus, cum eo navi imponitur, ut Nicomediam ad Maximianum adducantur. Veniunt Ancyram, ibique a Lucio, obtruncatur. Sed dum iterum, eorum tormenta recitat; in varietate, & multiplici tormentorum genere, & annorum ſpatio viginti & octo, in queſtionibus; evidentiſſime apparet, fabulam confictam Conſtantinopoli. In ea enim eorum ſynaxis agitur, in Eccleſia eorum martyrio dedicata, prope poſiti ἐν τοῖς Εὐδοξίου ἐπίκλην Ἀνάπλου, *Ædes Eudocii, in Anaplo*: ac præterea in Eccleſia antiqua, & junioris ſanctæ Irenis. Ea ibi magis ſunt deformata paulo poſt Metaphraſtem. Bailletius cum Baronio, ea rejicit, & meram fabulam cenſet.

Eadem

Eadem die fit commemoratio ſextæ Synodi generalis, habitæ Conſtantinopoli contra Monotheletas, ſub Conſtantino Pogonato, patre Juſtiniani Rinotmeti.

DIE VIGESIMAQUARTA.

Ruthenè: Xenia. Xenæ.
Græce: Τῆς ἁγίας μητρὸς ἡμῶν Ξένης: *ſanctæ matris n. ſ. ræ Xenæ.*

COMMENTARIUS.

Romana ex illuſtri loco, dum a parentibus matrimonio deſtinatur, cum duabus ancillis per mare fugiens, Mylaſſum venit urbem Cariæ; & hinc Alexandriam. Ubi Paulo monacho duce, parvum oratorium, ad nomen ſancti Stephani protomartyris conſtruens, ibi cum ancillis, aliiſque virginibus, ſanctiſſimam vitam ducit; ac tandem obit. Ancillarum una, vitam hanc ejus & genus narrat: & quoniam Euſebia nomine dicebatur, ſed ut lateret, *Xenem* (*Peregrinam* nempe) ſeipſam dixerat.

Menologium Baſilii ait, ipſam Alexandriæ primum, anguſtam domum ſubiiſſe: hinc a Paulo ductam Mylaſſum, urbem prope Cariam (quæ erat patria monachi) & in Eccleſia ſancti Stephani, quam ipſe exſtruxerat, collocatam. Dicit eam, Euſebiam prius dictam, defuga a nuptiis miracula ſilet alia. Menologium Græcorum de ea agit die decimoctava hujus menſis. Acta ejus ab æquali authore Cyrillo Mylaſſi Epiſcopo ſcripta Bollandus edidit, quæ apud ipſum lege, qui ea ſæculo ſexto figit. Mylaſſe, Bollando in Caria, inter Miletum & Halicarnaſſum. Romana ſancta: non de Roma veteri ego puto, ſed de nova Roma Conſtantinopoli; quod oſtendit etiam, ejus fuga. Epheſinæ autem Eccleſiæ hic Paulus, Epiſcopus fuit poſtea.

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè: Grigorii.
Græcè: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου Ἀρχιεπισκόπου Κπόλεως τοῦ Θεολόγου: *ſancti Patris noſtri Gregorii, Archiepiſcopi Conſtantinopoleos, Theologi nuncupati.*

COMMENTARIUS.

Acta nota Nazianzeni; tum ex Præfationibus eorum, qui ejus opera ediderunt, tum ex Tillemontio, & Hermantio, cum ex Dupinio, aliiſque qui ejus opera, in ſcriptoribus Eccleſiaſticis, retulerunt. Bollandus, & Bailletius, de eo late agunt, cum latinis, Maii menſis die 9.

DIE VIGESIMASEXTA.

Ruthenè: Xenophontu. Maria. Xenophontis. Mariæ.
Græce: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ξενοφῶντος καὶ τῆς συμβίου αὐτοῦ Μαρίας· καὶ τῶν τέκνων αὐτοῦ Ἀρκαδίου καὶ Ἰωάννου. *Sancti Patris noſtri Xenophontis, & uxoris ejus Mariæ, & filiorum ejus, Arcadii & Johannis.*

COMMENTARIUS.

Xenophon e Patria ſua Conſtantinopoli, filios Berytum mittit, ut ſtudeant ibi Juri. Hi naufragium patiuntur (id a ſervo parentis didiciſſe, cognoviſſe, ait Baſilii Menologium) Pater & mater, procedunt eos quæſitum, inveniunt factos monachos Hieroſolymis. Fiunt & ipſi pater & mater monachi; & ita finem ſanctum imponunt vitæ. Quinto ſæculo, quo Euthymius, & Xene illa vixerunt. Actorum author ita incipit: *Xenophon ex ea civitate oriundus eſt, quæ a Conſtantino magno, primo inter Chriſtianos Imperatores; qui veræ fidei profeſſione, ac religioſa confirmatione, clariſſimus fuit: eoque tanquam conditore ſuo Eccleſia gloriatur.*

De his Bailletius nihil habet: Bollandus vero dat etiam Acta ex Græcis, quæ falſo quis tribuerit Metaphraſti; ſunt enim ferme ab æquali, non quinti, ſed ſexti ſæculi.

Eadem die fit commemoratio magni terræmotus, qui hac die accidit, extremis Theodoſii minoris, filii Arcadii, & Eudoxiæ; die Dominica, ſecunda diei hora.

DIE VIGESIMASEPTIMA.

Ruthenè: Drenefenie Moſtei Sviatsho Joanna Zlatonſtho: Translatio corporis ſancti Johannis Chryſoſtomi.
Græce: Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου, τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου: *Repoſitio reliquiarum ſancti Patris noſtri, Johannis Chryſoſtomi.*

COMMENTARIUS.

Acta nota. Facta eſt autem hæc translatio, quarto anno Pontificatus S. Procli Patriarchæ Conſtantinopolis, olim diſcipuli & miniſtri ejus, ſub Theodoſio Arcadii Filio, Auguſto. Corpus moveri non poteſt. Imperator, hanc ſcribit epiſtolam: Τῷ οἰκουμενικῷ Πατριάρχῃ, καὶ διδασκάλῳ καὶ πνευματικῷ πατρὶ, Ἰωάννῃ τῷ Χρυσοστόμῳ, Θεοδόσιος βασιλεύς. Νεκρὸν ὁμοίως τοῖς ἄλλοις τὸ σῶμα τὸ σὸν εἶναι νομίσαντες, πάτερ τίμιε, μετακομίσαι αὐτὸ ἁπλῶς πρὸς ἡμᾶς καὶ ἀγαγεῖν ἠβουλήθημεν· διὰ τοῦτο καὶ τοῦ ποθουμένου δικαίως διημάρτομεν· ἀλλὰ σύγε, πάτερ τιμιώτατε, σύγγνωθι ἡμῖν μετακαλουμένοις, ὁ τὴν μετάνοιαν πᾶσι διδάξας, καὶ ὡς παισὶ φιλοπάτορσιν, ἀπόδος ἐν ἡμῖν σεαυτὸν, καὶ τοὺς ποθοῦντάς σε, διὰ τῆς παρουσίας εὔφρανον. Tunc ſe duci, ſanctum ſiviſſe. Fabula Græculorum: quam ne dignatur quidem Bailletius, meminiſſe; ego vero nec eam latine vertere. Tum ſcribit iter, & reliqua, & hæc vera. Translatio iſta facta eſt anno 438,

Meno-

Menologium Baſilii ait, eam factam trigeſimo tertio anno poſt ejus obitum: ſubditque, urnam, in qua corpus ejus erat, reſerari non potuiſſe. Hinc ſcriptam epiſtolam, quam non affert: & facile eſt illa, quam modo ex Menologio Græcorum attulimus. Antiqua ergo eſt hæc epiſtola: & quando efficta, ſic deprehendimus, ex ejus feſtis. Electio ad Epiſcopatum facta eſt decimaquinta die Decembris. Sed die 26. Februarii eſt conſecratus. Primum ejus exſilium, die nonodecimo menſis Martii. Revocatio, decimotertio Novembris ejuſdem anni. Exſilium ſecundum, die vigeſima Januarii. Ejus condemnatio & depoſitio facta ad Quercum; die quinta Maii. Obitus ejus, Septembris die decimaquarta. Tranſlatio hæc Conſtantinopolim die 27. Januarii anno 438. Repoſitio earumdem reliquiarum, facta eſt ſequenti die 28. Aliud ejus feſtum, ob, pro tribus doctoribus, controverſiam; ſit vel adhuc, die trigeſima hujus menſis. Cum ergo hæc concertatio facta ſit ſub Alexio Comneno (ut mox videbimus) deciduo undecimo ſæculo, vel ſub initia duodecimi: & cum præterea Baſilii Menologium, eam epiſtolam meminerit, nono ſæculo; confictam eam ducimus, non ipſo quinto, nec ſexto; ſed in tenebris ſeptimi ſæculi, vel ſæculi octavi init is; ab iis quorum intererat, Conſtantinopoli (ubi ejus fiebat ſynaxis hujus tranſlationis) in magna Eccleſia.

DIE VIGESIMAOCTAVA.

Ruthenè: Ephrumu. Ephræmi.
Græce: Τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Ἐφραὶμ τοῦ Σύρου: *ſancti Patris noſtri Ephræm Syri.*

COMMENTARIUS.

Ephræm monachus tempore Theodoſii magni: nota reliqua, etiam ab authoribus, qui de ſcriptoribus agunt Eccleſiaſticis, dum ejus opera excutiunt. Mortuus eſt, anno circiter 381. De eo agunt Bollandus, Bailletiuſque die prima Februarii, ubi legendi ſunt. Menologium Baſilii dicit eum patria Edeſſenum. Teſtamenti autem ejus Tabulæ, quæ leguntur inter opera Niſibeni; ſunt pium opus, & legendæ. Vitam autem ejus, & opera, clariſſimus modo Syrus edidit Aſſemanus. Fuit tantum diaconus, non vero presbyter; ut in Actis Pſeudo Amphilochii.

DIE VIGESIMANONA.

Ruthenè: Ignatii.
Græce: Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου, τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου. *Repoſitio reliquiarum ſacroſancti martyris Ignatii, Theophori nuncupati.*

COMMENTARIUS.

Diſcipulus cum Polycarpo Prohedro Smyrnarum, Apoſtoli & Evangeliſtæ Johannis, ſecundus factus Antiochenus Epiſcopus; adducitur ad Trajanum (anno Chriſti CVII. L. Soſio Senecione, quartum, & L. Licinio Sura, tertium Conſulibus) poſt multa tormenta pro fide, Romam mittitur cum beſtiis pugnaturus, ibique martyrium facit. Chriſtiani quidam corpus Romana dvehunt Antiochiam, & donant fratribus illis: qui cum honore *ſub terra* (ὑπὸ γῆς) illud componunt: & rei memoria hac die agitur. Hæc vera (etiam Tillemontio tomo 2. pag. 625. qui etiam de 2. tranſlatione anni 440. agi putat); haud vero illa, quæ Menologium narrat Baſilii: *cum pompa & honore,* Roma Antiochiam tranſlatas, *& tota civitate obviam procedente, cum cereis, hymnis, & canticis ſuſceptas*: manifeſte ex fabula; præſertim ibi, *in honorifico & magnificentiſſimo ſepulchro conditas eſſe.* Nam ſunt imagines temporis Acritici. Acta ejus a diſcipulis ejus Philone, Cajo, & Agathopode, apud Ruinartium in ſinceris, ab omnibus probantur. Accuratiſſime omnium Bailletius. B. Hieronymus de eo in ſcriptoribus verba fecit.

Eadem die, cum ſynaxariis propriis agitur de Barſimæo Epiſcopo Edeſſeno, & Sarbelo, qui ex Idolorum Sacerdote, Chriſtianus ab eodem Epiſcopo baptizatus, una cum Bebæa ſorore ejus; ſub Lyſia duce, martyrium paſſi ſunt Barſimæus verbera & carcerem ſub eodem (ἡγεμόνι Λυσίᾳ) Lyſia paſſus: ἀπὸ γραμμάτων βασιλικῶν καταφοιτησάντων, παύσασθαι τὸν διωγμὸν, ἀπολύσῃ τῆς φρουρᾶς, καὶ ἐν τῇ ἰδίᾳ γενομένου ἐκκλησίᾳ. *Poſtea Imperatoriis tabellariis ſuccedentibus, cum literis jubentibus, ut a perſecutione ceſſaretur; ipſe e vinculis eſt ſolutus, & dum in propria Eccleſia verſaretur; in pace Domini requievit.*

Ita ceſſavit perſecutio ſub Conſtantino; verum recruduit ſub Licinio. Interea ne, ego quæro, an poſt Licinium requievit? Ante Licinii rabiem, opinor: quod ibi adhuc Lyſias erat dux. Cur die ſequenti agitur denuo de Barſimæo, cum ſynaxario prorſus proprio, etſi parvo: Barſimæus Epiſcopus Edeſſenus a Valente Imperatore hæretico Ariano (non autem Valentiniano) in exſilium eſt ejectus anno 413. die decimoquinto Octobris? Num duo Barſimæi, & ambo Epiſcopi Edeſſeni? De Barſimæo uno Theodoretus, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 4. capite decimoquinto. Menologium Baſilii ait: ἔτι παυσαμένου μικρὸν διωγμοῦ: *inde perſecutione paululum quieſcente.* Et verum fortaſſe ſit, Conſtantino reddente pacem Eccleſiæ; & paulo poſt, Licinio eam turbante iterum. Hoc paulum habet etiam ſynaxarium, die trigeſimo: *exiguo tempore. Sarbel* autem in Menæis, dicitur die quarta Septembris, Ζάρβηλος. An idem, ac noſter hic? Neutiquam. Ille namque, ſub Hadriano, moritur lapidatus ab Augaro Toparcha. Videtur confundi cum Thatocle, qui item ex idolorum ſacerdote, & fratre Bebyæ, ibi martyrium conſummavit. Tu conſule de his Bollandum, qui erudite quidem, ſed timide de his agit.

DIE

Die trigesima.

Ruthenè: Hippolytu. Baſilii. Hippolyti. Baſilii.

Græce: Τῦ ἁγίυ ἱερομάρτυρος Ἱππολύτυ Πάπα Ῥώμης: *ſacroſancti Hippolyti Papæ Romæ.*

Eadem die: Τῶν ἐν ἁγίοις πατέρων ἡμῶν, καὶ οἰκουμενικῶν διδασκάλων, Βασιλείυ τοῦ μεγάλου, Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου, καὶ Ιωάννου τοῦ Χρυσοςόμου. *Sanctorum Patrum noſtrorum, & univerſalium Magiſtrorum mundi, Baſilii Magni, Gregorii Theologi, & Johannis Chryſoſtomi.*

COMMENTARIUS.

Cauſa feſti ſub Alexio Comneno, qui (poſt depoſitum Nicephorum Botaniatem) Imperavit ab anno 1081. ad 1118. inter eruditos ſeditio facta eſt; aliis Baſilium, aliis Chryſoſtomum, aliis Theologum Gregorium, eorum alteri præferentibus: ita ut hi Johannitæ, illi Baſilitæ; alii Gregoritæ appellarentur. Sancti primum ſinguli, hinc omnes tres una, Johanni Exhegumeno Euchaitarum (Trypnologium Ruthenum, ait *Johanni* jam Metropolitæ) viro non indocto, ſed pio & ſancto, apparent; eique dicunt, ſe, ut videbat, apud Deum, nec ullum inter ſe diſſidium eſſe: ſed unumquemque eorum, ſuis temporibus ad ſalutem hominum, ea ſcripſiſſe, quæ Spiritui Sancto viſa fuerant. Inter ſe non eſſe primum & ſecundum. Dum ſurgeret itaque, ſuo nomine præciperet diſſidentibus, ne pro ipſis amplius pugnarent: quod ſibi in vita & poſt tranſitum, ſola pax erat. Unum proinde ſibi, eadem die feſtum iis indiceret: promitteretque ſe ſuo nomine, pro acquieſcentibus ſalutem, ſingulariter apud Deum interceſſuros. Johannes ergo ita exſequitur, eiſque quietem facit. Cumque inveniret, die prima Januarii de ſancto Baſilio agi, die 25. de S. Gregorio, de S. Johanne Chryſoſtomo 27. agi die; rurſus omnibus ipſis, trigeſimam attribuit, una diem. Deſcribuntur, dum viverent, imagines ſingulorum, ab Chryſoſtomo, ducto initio: quem annos vixiſſe dicit, ſexaginta tres, annos vero ſediſſe ſex. Hinc Baſilium deſcribit, quem annorum quadraginta, ait factum Archiepiſcopum, & ſediſſe annos quinque. Gregorium tandem deſcribit, aitque eum vixiſſe annos octoginta & amplius dicit; annos vero ſediſſe duodecim. Omnes laudantur inter hæc dicta; ſed impenſe in primiſque Chryſoſtomus ab authore. Laudo & ego induſtriam Euchaitæ: ſed vereor ne ex præjudiciis picturarum, eorum imagines deſcribat.

Eam & cauſam ſub Alexio Comneno, & Johanne jam Epiſcopo Euchaitarum, in Prætermiſſis hac die, refert Bollandus. Refert & Bailletius ſupra die 27. in S. Johanne Chryſoſtomo. Ergo Johannes ex Abbate, factus eſt metropolita Euchaitarum. Hinc mihi fit conjectura, dum adhuc erat Abbas & Hexhegumenus, ſuis monachis hoc feſtum impoſuiſſe: & poſtea factus metropolita Euchaitarum; lapſu temporis dilatatum ſit feſtum, etiam Conſtantinopoli, circa ſœculi illius finem; anno circiter 1100. etſi Uſtavum Ruthenum dicat, eadem hac die, *ab eo inſtitutum anno 1086. ſub Alexio Comneno.* Hic enim annus, facile apparitioni concedi poteſt, ſed nondum Conſtantinopoli, & uſque ad Ruthenos pervaſerat hoc feſtum.

Die trigesimaprima.

Ruthenè: Joanna. Johannes.

Græcè: Τῶν ἁγίων, καὶ θαυματουργῶν ἀναργύρων, Κύρου καὶ Ιωάννου: *ſanctorum, & Thaumaturgorum anargyrorum, Cypri, & Johannis.* Καὶ τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἀθανασίας, καὶ τῶν τριῶν αὐτῆς θυγατέρων καὶ παρθένων, Θεοδότης, Θεοκτίςης, καὶ Εὐδοξίας: *& ſanctæ martyris Athanaſiæ, & trium filiarum ejus, & virginum, Theodotæ, Theoctiſtæ, & Eudociæ.*

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano, Cyrus Alexandrinus, & Johannes Edeſſenus: ille fugit ad locum ad mare Arabicum, ibique *monachus* induitur: hic Alexandriam petit e Hieroſolymis; atque *ex famæ virtutum, miraculorumque Cyri, non inventum, proficiſcitur ad ipſum*: Arte medici ſatis celebres, ſancte vivunt, & ſine pretio omnes medentur, in ea charitate, & beatiſſima amiſthia; interea Athanaſia, & tres filiæ comprehenduntur, ut Chriſtianæ: ipſique veriti, ne quid paterentur, quod fœminæ pati ſolent, accurrunt, & eas in Chriſto confidere exhortantur. Tunc & ipſi comprehenduntur; unaque omnes, poſt tormenta, martyrium patiuntur. Nil apparet in his Actis, quod oleat falſitatem. Nævos attamen aliquos in ipſis invenit Bailletius. Cyrum non *monachum,* ſed *militem* dicit Bailletius; & Johannem, caſu in Cyrum incidiſſe videtur dicere: nec idcirco, aut ex ejus fama feciſſe iter: etſi mutato habitu, egerit ſolitarium. Idem Theodatam facit ſecundogenitam; primogenitam vero, & annorum quindecim Theotiſtem, & Eudociam, *Eudoxiam* dicit. Idem, ſub Maximino Daza, anno 311. Canopi, docet.

Acta, quæ habentur apud Bollandum, & a Bailletio referuntur (qui verſionem antiqnam eſſe Anaſtaſiii Bibliothecarii paſſus eſt) a S. Sophronio ſcripta ſunt: quod Bollandus & Henſchenius ignorarunt. De Sophronio autem hoc eſt judicium Bailletii, eum fuiſſe ſimplicem, facilem, & credulum: & tercentum annos, poſt facta ſcribere. Monſtra Bailletio ſunt parvi pretio.

MENSE FEBRUARIO.

Die prima.

Ruthenè : Triphonu . Triphonis .

Græcè : Προεόρτια τῆς ὑπαπαντῆς τοῦ Κυρίου, καὶ Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Τρύφωνος: *Dies ante feſtum occurſus Domini, Dei, & Salvatoris noſtri, Jeſu Chriſti: & ſancti martyris Tryphonis.*

COMMENTARIUS.

Sub Gordiano (anno 295. ab Imperio Auguſti) Tryphon Lampſacenus, in Provincia Phrygiæ; adhuc puer paſcebat *anſeres* (χῆνας). Ex eo tempore, impletur Spiritu Sancto, ſanat infirmitates, expellit dæmones. Filiam Imperatoris liberat a dæmone; quem ut *nigrum canem* adſtantibus oſtendit: (hoc ſaltem adjectum eſt a fabulatore) quorum idcirco multi Chriſti fidem amplectuntur. Sub Decio (qui Philippo, deceſſori Gordiani ſucceſſerat, ab Aquilino *Præfecto Prætorio Orientis* (ἐπάρχου τῆς Ἀνατολῆς) comprehenditur ut Chriſtianus, ductuſque Nicæam coram Imperatore; poſt multa tormenta (in quibus etiam fabula debacchatur) martyrium paſſus eſt. In ejus martyrio, quod eſt in Apoſtolio ſancti Johannis Theologi, prope magnam Eccleſiam (S. Sophiæ) fiebat ejus ſynaxis. Ibi ergo, ex ignorantia martyrii, & genio mythico clericorum, quorum intererat cultus & fama martyris ſui; cuſæ & natæ ſunt iſtæ fabulæ. Nam præter martyrium, reliqua pura commenta ſunt.

Cæterum modo habemus, Acta Tryphonis vera, etſi non primigenia, nec Præſidialia; quæ in ſanctis Siciliæ edidit Octavius Cajetanus e ſocietate Jeſu. Tu vide Tillemontium tomo 3. Baronium, qui viderat hæc Acta, ut conſtat ex ejus notis ad Martyrologium Romanum. In his Actis *Aquilinus* dicitur *Tib. Gracchus Claudius Aquilinus*. Anno paſſum 251. dicit Bailletius; qui de eo cum latinis, die Novembris decima.

Eadem die in Menologio Græcorum, agitur de S. Petro in Galatia. Hinc ortum nomen pagi, ſancti Petri in Galatia, vel Galatina, in Regno Neapolitano, a Græcis (qui ibi ſunt) eo corpus ejus advectum eſt.

Ortus in agro Ancyrano, Hieroſolyma pergit, hinc Antiochiam migrat: floret miraculis: & ſanat, inter alios, matrem Theodoreti Epiſcopi Cyri; oculis, hinc mortali morbo laborantem. Vixit ipſe annos 92. & hinc ejus ætas apparet. De eo nihil toto opere Bailletius.

Die secunda.

Ruthenè : Tritenic Hoſpodne. Occurſus Domini.

Græcè : Ἡ ὑπαπαντὴ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ὅτε ἐδέξατο αὐτὸν εἰς τὰς ἀγκάλας αὐτοῦ ὁ δίκαιος Συμεών: *Occurſus Domini noſtri Jeſu Chriſti; quum eum juſtus Symeon excepit in ulnas ſuas.*

COMMENTARIUS.

Poſt quadraginta dies a nativitate, adductus Jeſus in Templum eſt: ſuſcepit in ulnas Symeon, & hinc obit. Hæc ſynaxis agitur in Blachernis.

Die tertia.

Ruthenè : Symeon. Anna. Symeonis. Annæ.

Græcè : Τοῦ ἁγίου καὶ δικαίου Συμεὼν τοῦ Θεοδόχου, καὶ τῆς Ἄννης τῆς προφήτιδος: *ſanct. & juſti Symeonis, qui excepit Deum in ulnas ſuas: & Annæ propheteſſæ.*

Commentarius. Tota narratio ex Evangelio.

Eadem die : Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Βλασίου, τοῦ Βουκόλου: *ſancti martyris Blaſii, qui & Bucolus* appellatur.

COMMENTARIUS.

Blaſes. Blaſius dictus Græce, natus Cæſareæ in Cappadocia, ex parentibus opulentis, ſed ex vulgari genere Paſtoritio (ἐκ τῆς τῶν βοσκημάτων πληθύος) ubi perſecutio ſupervenit, comprehenditur ut Chriſtianus, & poſt multa tormenta, & prodigia (in quibus fabula maxime ſe intrudit) in fide conſtans martyrium conſummavit. Nec Præſes, nec Imperator: ſub quibus paſſus ſit, nominatur. Egoque reor Bucolum noſtrum eundem eſſe, ac illum, de quo mox, die ſexta agitur, ut de Epiſcopo Smyrnarum: vel ſanctum Blaſium Epiſcopum & martyrem Sebaſtenum, ſub Licinio. Vide, & infra die ſexta: & die undecima. Reapſe de S. Blaſio Epiſcopo, latina Eccleſia tertia hac die agit.

Bailletius ait, quatuor Acta diverſa Blaſii, quæ produxit Bollandus, ne dum non eſſe ſincera, ſed nec ferenda. Diſſertationem vero Bollandi Præliminarem, eſſe locupletiſſimam, & loco habendam, optimi de Blaſio monumenti. Rutheni de Bucolo die ſexta, de Blaſio undecima die agunt.

Die quarta.

Ruthenè : Iſidoru. Iſidori.

Græce : Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰσιδώρου, τοῦ Πηλουσιώτου. *Sancti Patris noſtri Iſidori Peluſiotæ.*

COM-

COMMENTARIUS.

Ægyptius & *conſanguineus* (συγγενὴς) Theophili & Cyrilli Alexandrini, fuit Iſidorus Peluſiota. Fit monachus. Scripſit multa; ac *traditur* (λέγεται) epiſtolas ejus eſſe, *ferme numero decem millia* (ὡσεὶ χιλιάδες δέκα). Menologium Baſilii, *decem millia* (δέκα χιλιάδας) rotunde dicit. Ex ejus epiſtolis, vitam edidit Duſoſſæus. Henſchenius, pro ejus memoria, luculentam ſcribit, diſſertationem Præliminarem. Tu præter eam, præterque nuperos Scriptorum Eccleſiaſticorum Authores Bibliothecarios, lege omnia diligentiſſime digerentem Bailletium, die iſta.

Eadem die in Menologium Græcorum agitur de ſancto Nicolao Studita: qui Theophanem conſanguineum ſuum videre cupiens, pergit Conſtantinopolim, repertoque eo facto Studita monacho; idem ipſe amplectitur inſtitutum. Ibi cum ſancto Theodoro Abbate loci; ſub Leone Armeno, & Michaele, & Theophilo, ob ſacras imagines fit extorris. Ceſſata perſecutione, & quiete facta ſub Theodora matre Auguſta, & filio, revocatus in monaſterium; ſub Baſilio Macedone (qui Menologium conſcripſit) Abbas Studii factus eſt. Hac die moritur, annorum 75. anno 868. Vitam ejus ab æquali ferme ſcriptam (editam modo græcolatine, inter opera, ni fallor, S. Theophanis) ut optimam laudat Bailletius. Eam primo Bollandus cum notis Henſchenii, dedit, tantum latine: hinc Combeſiſius Græce tantum. Bailletius ex Vita S. Theodori Studitæ, & ex Baronio eam illuſtrat magis.

DIE QUINTA.

Ruthenè: Agathia. Agathæ.
Græcè: Τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἀγάθης. *Sanctæ martyris Agathæ.*

COMMENTARIUS.

Panormitana (Catanenſes civem ſuam eſſe volunt) ſub Decio, & Proconſule Quinctiano; comprehenſa ut Chriſtiana, traditur Aphrodiſiæ (meretrici ſcilicet) ſubvertenda. Ex Actis non authenticis iſta, & reliqua. Dicitur in ejus tumulo, ab angelo poſitam fuiſſe marmoream Tabulam; cum hac inſcriptione: Νοῦς ὅσιος αὐτοπροαίρετος, τιμὴ ἐκ Θεοῦ, καὶ πατρίδος λύτρωσις. *Mens ſancta* . . . . . *honor ex Deo, & patriæ liberatio.* Menologium Baſilii, nomen ſilet Proconſulis, & hos verſus. Bailletius uſque ad Severum Auguſtum, Siciliam a Proconſulibus, hinc a Conſularibus rectam dicit. Meliora, vel non pejora, ſunt Acta latina Græcis, quæ indubie ſunt Metaphraſtis. Ita & illa, quæ in Menæis, Græca antiquiora ſancto Methodio, qui ſuam Homiliam edidit his conformem. Videndus in primis Bollandi maximus labor, in diſſertatione pæliminari: Thillemontius tomo 3. & ipſe Bailletius, qui certiora refert ex Carmine Papæ Damaſi. Bailletius ſane ait, quod Catanenſes inſcriptionem ſe habere credunt, & venerantur; & tacito ridet naſo. Cæterum anno 251. dicitur paſſa.

DIE SEXTA.

Ruthenè: Bicylu. Bucoli.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Βουκόλου ἐπισκόπου Σμύρνης. *Sancti Patris noſtri Bucoli Epiſcopi Smyrnarum.*

COMMENTARIUS.

A pueritia Bucolus ſe ſanctificans; Smyrnarum a Johanne Theologo fit Epiſcopus. Incumbit ipſe Ethnicorum converſioni: & ante mortem, ſucceſſorem ſibi deſignat Polycarpum. Ad ejus tumulum planta naſcitur, qua multi curantur morbi. Utrumque Menologium habet eadem. Et illud Baſilii addit ſolum: eum cum Theologo fuiſſe prius Epheſi commoratum, & futura multa prædixiſſe. Acta, ad oculum ſunt commentum. Johannem Apoſtolum, primum conſtat, ex Euſebio Cæſarienſi, B. Hieronymo, aliiſque, conſtituiſſe Epiſcopum Smyrnenſis Eccleſiæ Polycarpum. Acta ejus genuina martyrii Ruinartius in Sinceris. Mihi dumtaxat Bucolus, eſt Blaſius, hoc agnomine nuncupatus. Vel ex eorum inſcriptione, *S. Patris noſtri*, ubi ὅσιος, olet monachum, Smyrnarum Epiſcopum, temporum ſequiorum. Ipſum certe non dicunt martyrem, vel Hieromartyrem. Ubi tuto figat pedem, alius inveniat. Ego meam dixi ſententiam.

DIE SEPTIMA.

Ruthenè: Partheniu. Lyca. Parthenii. Lucæ.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Παρθενίου ἐπισκόπου Λαμψάκου· καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Λουκᾶ, τοῦ ἐν τῷ Στειρίῳ τῆς Ἑλλάδος. *Sancti Patris noſtri Parthenii, Epiſcopi Lampſaci; & ſancti Patris noſtri Lucæ, qui vixit in Sterio Helladis.*

Parthenius, ſub Conſtantino Magno, filius diaconi *Chriſtophori* (quem *Chriſtodulum* eſſe dicunt Melitopolitam) a Philippo Epiſcopo Melitopoleos, ſuo tempore fit presbyter; & hinc ab Achille Cyziceno Metropolita, Epiſcopus fit Lampſaci. Poſt vitam exactam ſancte, & poſt multa miracula, diem obiit. Ejus Acta Græcolatina apud Bollandum, optima etiam, alibi Bailletio, utpote a Criſpo ejus diſcipulo ſcripta ſunt. Αχιλλίου; recte & cum Actis. Male vero quæ Ασχολίου, *Aſcholii*, ut habet Baſilii Menologium: licet & nomen *Aſcholius* habeatur, aliis multis uſurpatum. Acta primum dedit Lipomanus, tum Surius; & verſa ab Herveto Bollandus, qui ea maxime illuſtravit.

Natus in Hellade Lucas ex parentibus Æginetis (in quam inſulam ob Agarenos fugerant) non ſolum carne, ſed caſeo etiam abſtinuit, panem veſcens hordaceum, & aquam bibens: fit monachus, & ſancte obit. Acta Græca Combeſiſius invenit in Regia Medicea, & communicavit Bollando die 19. Novembris 1651. Ea autem Græcolatine dedit Bollandus, & ſunt ſincera, quod ea

 ſunt

ſint a diſcipulo, & comite itinerum ejus. Menologium Baſilii Lucam iſtum non habet, quodſit anterius ipſo. Tres ſanctos Lucas accurate diſcriminat Bollandus: Siculum ad montem Ætnam; qui obiit anno 828. die 6. Novembris. Lucam hunc juniorem, qui hac die obiit, anno 945. & alterum eo juniorem, qui Stylita obiit, anno 946. die undecima Decembris.

DIE OCTAVA.

Ruthenè: Theodoru. Zacharia. Theodori. Zachariæ.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Θεοδώρου τοῦ στρατηλάτου· καὶ τοῦ ἁγίου προφήτου Ζαχαρίου· *Sancti magnique martyris Theodori Stratelatæ: & ſancti Prophetæ Zachariæ.*

COMMENTARIUS.

Theodorus genus ducens ex Euchaitis, *in Heraclea Ponti* habitat ſub Licinio: τὸ γένος ἕλκων ἐκ τῶν Εὐχαΐτων, τὴν οἴκησιν ποιούμενος ἐν τῇ πρὸς Πόντον Ἡρακλείᾳ. Menologium Baſilii eadem ita habet: τὴν μὲν οἴκησιν ἔχων ἐν τοῖς Εὐχαΐτοις, διατρίβων δὲ εἰς Ἡρακλείαν τοῦ Πόντου. In longo Synaxario, & in Bollando habetur, ut paſſus eſt. Acta ejus interpolata, & ſub nomine edita Augari Tachygraphi, & oculati teſtis martyrii ſancti, & ex juſſione martyris conſcripta, jure ſpernit ea Bailletius. Antiquiora iis, quæ Neapolitanus noſter Diaconus Bonites vertit & amplificavit, anno 1046. Non ſunt meliora, & Metaphraſtæa: multa enim alter alteri mutuatur: & Metaphraſtes late genio indulſit ſuo.

Zacharias, quem interpretantur Μνήμη Θεοῦ: *Memoria Dei*. Reliqua e ſcriptura: præter prophetiam, quam dat de Cræſo Lydorum Rege: quod Menologium Baſilii non habet.

DIE NONA.

Ruthenè: Nikiphoru. Nicephori.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Νικηφόρου: *ſancti martyris Nicephori.*

COMMENTARIUS.

Sub Valeriano & Gallieno Nicephorus idiota, amicus presbyteri Sapricii, loco ejus a Deo, palma martyrii eſt dignatus: e qua ille merito excidit; quia ob levem offenſam, Nicephoro etſi amico, mordicus parcere recuſavit; relictus a Dei gratia, thura idolis incendit, dum ad martyrium ducebatur. Utrumque Menologium idem habet ad verbum. Acta ejus, inter ſincera Ruinartius numeravit. Bollanduſque & Tillemontius ipſa illuſtrant. Bailletius autem veretur, ne ſint hæc Acta tribuenda Metaphraſti, qui interpolarit antiquiora, nec Johannes Epiſcopus Sardium ea prodidit. Parænesim ego puto, a bono viro propoſitam ad exemplum, ex pæna illata, ſed ficta ab eo, ut inimicis injurias facilius condonemus. Ex levi offenſa, & ab vulgi homine, inveriſimilis eſt durities, in Chriſtiano, qui jam ducitur ad martyrium. Et nomina ipſa, meam juvant ſuſpicionem. Dictus idcirco *Nicephorus*, quia *Victor* deſignatur. Dictus *Sapricius* (nomen cæteroqui quod proprium, numquam tradit antiquitas) quia anima erat *corruptus & marcidus*: quæ ſignificatio eſt vocis σαπρός. Induſtriam laudo hominis, ſed non auſum.

DIE DECIMA.

Ruthenè: Charalampii. Charalampi.

Græce: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Χαραλάμπου: *ſancti martyris Charalampi.*

COMMENTARIUS.

Sub Severo Imperatore, & Luciano Præſide Magneſiæ; presbyter Charalampus, & viam docens Chriſti, comprehenditur; & poſt multa tormenta, una cum Porphyrio & Bapto carnificibus (δημίοις) & tribus mulieribus, martyrium paſſus eſt. Illud vanum; Præſidem, dum intenderat ipſis manus; manibus miraculo excidiſſe, & precibus ſancti ſanatum eſſe. Eoque factum, ut carnifices, & illæ feminæ, quæ adſtabant, fidem amplexæ fuerint. Omnes gladio obtruncantur. Menol. Baſilii ſolum Porphyrium dicit δήμιον: & *Baptum*, appellat, *Dauctum* (Δαῦκτον) ad verbum reliqua. Acta indigna, & penitus fabuloſa: quæ ex Codice Regio, primus omnium dedit Bollandus, ſcripta ſœculo barbaro. Diu ſane poſt quam a Juliano apoſtata, *Chriſtiani*, dicti ſunt *Galilæi*. Hac enim voce, ſæpe pſeudus iſte Author utitur. Equus militi Armene loquitur. Diabolus formam aſſumit ſenis, dicitque Severo Auguſto, Regem ſe eſſe Scythiæ. Invecta ejuſmodi. Galeria, ipſi eſt filia Severi Auguſti; eaque *ſancta*. Ut dent gratiam ſuo nomini; & ubi ſuæ reliquiæ, non ibi peſtem, nec morbum ingredi datum eſſe, quod ſalutem eorum impetrabit. In fine Chriſtus inducitur, cum angelis omnibus apparere, ab eoque martyr, orare pro ipſis dicitur. Fruſtra ergo Bollandus Acta iſta illuſtrare conatus eſt.

DIE UNDECIMA.

Ruthenè: Blaſii.

Græce: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Βλασίου: *ſacroſancti martyris Blaſii.*

COMMENTARIUS.

Blaſius ſub Licinio Epiſcopus Sebaſtenus, motu perſecutionis habitat in quadam ſpelunca montis. Callens medicinam, multos ſanat, etiam miraculoſe. Comprehenditur tandem, duciturque ad Præſidem Agricolaum; eumque ſeptem ſecutæ feminæ, ipſæ ante omnia, ob fidem obtruncantur. Blaſius virgis cæſus, & æquuleo tortus, & hinc in profundum *lacus* (λίμνης) projectus, & evaſus; una cum duobus pueris, qui eadem ex cauſa, cum eo fuerant in cuſtodia, capite

pite obtruncatur. Ita & Menologium Baſilii; quod addit; Blaſium projectum, e lacu *ad terram ſiccis pedibus evaſiſſe*: καὶ ὡς διὰ ξηρᾶς, πρὸς τὴν γῆν ἐξῆλθε. Dicitur (λέγεται) ipſum Teſtamentum ſcripſiſſe (διέταξε) magni martyris Euſtratii, dum iſte martyrium fecit: hæc, & ſequentia, Baſilii Menol. non habet. Sicut in *vetuſta tela* (ὑφάσματι, *velo*) invenitur depictus. Ipſe medius inter quinque martyres, prope S. Euſtratium viſitur; e cujus manu accipit *Tabulas Teſtamenti* (τὸν νόμον τῆς διαθήκης) Ejus Synaxis fit in martyrio ejus, quod eſt prope Eccleſiam ſancti Philippi Apoſtoli, in Ædibus Miltidi. Hæc fucinula additionum. Tu confer allata ſupra, die tertia hujus menſis.

DIE DUODECIMA.

Ruthenè: Meletii.

Græcè: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Μελετίου Ἀρχιεπισκόπου Ἀντιοχείας. *Sancti Patris noſtri Meletii, Archiepiſcopi Antiochiæ magnæ*, quod in rubrica ante Synaxarium additur: τῆς μεγάλης.

COMMENTARIUS.

Ordinatus Meletius, vix triginta ſederat dies; quum Imperator ab inimicis veritatis ſtimulatus, eum ejicit ſua ſede. Ita pluſquam duos annos Conſtantinopoli eſt moratus. Hinc ab Imperatore, una cum aliis Epiſcopis in Thraciam accerſitus, in ſua Eccleſia eſt remiſſus: indeque in pace obiit. Chryſoſtomus, & Gregorius Nyſſenus, ſuis Encomiis eum ornant. Meletium hac die non habet Menologium Baſilii. Melitenis Armeniæ fuit civis. Vulgo mortuus dicitur anno 381.

Sed vitam ejus, collectam e Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Philoſtorgio, & aliis: & e Chryſoſtomo, Gregorio Nyſſeno; & e Baſilii literis, & Nazianzeni verſibus, vide apud Hermantium, etiam in Athanaſio, in Baſilio, & Chryſoſtomo; & apud Tillemontium tomo 5. Vide Bollandum, & Bailletium; qui prius factum dicunt, Epiſcopum Sebaſtenum in Armenia; hinc ex cauſa Arianorum illius populi, in ſolitudinem receſſiſſe; ac inde veniſſe Bæream Syriæ; hincque poſt Arium ejectum, Antiochiam veniſſe anno 361. Jure ergo Bailletius miratur, a Pagio anno 360. dici, tunc ex Epiſcopatu Sebaſteno, a Conſtantio Auguſto Meletium in exilium eſſe ejectum.

DIE DECIMATERTIA.

Ruthenè: Martinianu. Martiniani.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μαρτινιανοῦ. *Sancti Patris noſtri Martiniani*.

COMMENTARIUS.

Palæſtinus e Cæſarea, dum in ætate eſt decem & octo annorum, vitam in ſolitudinibus & montibus, amplectitur Aſceticam, obduratque cum aliis, annos vigintiquinque. Tunc *meretrix* (ἑταίρα) quædam ad montem pergit, veſtita tamquam paupercula: erat veſpera, & ne a beſtiis ea nocte voretur, hoſpitium quærit. Ipſe charitate ductus ſuſcipit, ſed in animo ſuo cum ea peccat. Sequenti die, qua illa ſe ornavit, eſſe novit meretricem: cætera nota ſunt. Vita ſcripta ab æquali, affertur apud Bollandos, ſed cum Metaphraſtis auctario, ſubdit Bailletius.

Menologium Græcorum, hac eadem die agit, cum Synaxario, de ſancto Eulogio Alexandrino.

DIE DECIMAQUARTA.

Ruthenè: Auxentii.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Αὐξεντίου: *ſancti Patris noſtri Auxentii*, τοῦ ἐν τῷ βουνῷ, additur in rubrica Synaxarii.

COMMENTARIUS.

Auxentius originem ducens ex Oriente, ſub Theodoſio minore (an. 432.) ex Scholaſtico (Palatino), in monte qui eſt, *e regione* (ἄντικρυ) montis *Oſejæ* (Ὀξείας) vitam amplectitur ſolitariam. Eutychis, & Neſtorii hæreſes odit plurimum; & Chalcedonenſem Synodum ſuſcipit. Poſt vitam ſanctam, & miracula, in domino requieſcit; & in Oratorio quod ipſe exſtruxerat, deponitur. Ejus Synaxis fit *in Calliſtrati* monaſterio: τῶν Καλλιστράτου. Ejus vita ab æquali, & diſcipulo ſcripta fuit.

Eadem die, Menologium Græcorum agit de ſancto Marone ſolitario, & de ſancto Abrahamo Cyprio, item ſolitario, ſub Theodoſio magno. Sed de Cyrillo nihil, quem noſtræ habent Ruthenæ Tabulæ.

DIE DECIMAQUINTA.

Ruthenè: Cyrilu. Cyrilli. De quo nihil utrumque Menologium. Hac vero die agunt, cum ipſis ſequenti die.

Ruthenè: Oniſimii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ὀνησίμου: *ſancti Apoſtoli Oneſimi*. In rubrica Synaxarii additur: μαθητοῦ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Παύλου: *diſcipuli ſancti Apoſtoli Pauli*.

COMMENTARIUS.

Oneſimus Philemonis (quem Menolog. Baſilii die præcedenti, Epiſcopum Gazæ dicit) civis Romani ſervus, de quo meminit, Paulus, ad dominum ejus ſcribens (cujus & ipſe fuit diſcipulus & miniſter) mortuo Paulo, & Chriſtianus comprehenditur, & adducitur Tertullo Urbi Præfecto (ἐπάρχῳ: Menologium: Baſilii; τῆς Ῥώμης ὑπάρχῳ dicit. differt autem ἔπαρχος ab ὑπάρχῳ. Ille *Præfectus eſt Romæ*: iſte Prætorio Præfectum ſignat), a quo Puteolis (ἐν Ποτιόλοις) virgis cædi jubetur, & hinc ei *confractis* (κατεαγεὶς) cruribus, vitam iſtam reliquit. Etſi nihil inveriſimile in his ſit; attamen nihil tutum. Confuſi ſunt, Oneſimus diſcipulus Pauli, & Oneſimus Epiſcopus Epheſiorum, poſt Timotheum, & Epiſtolam Ignatii martyris anno Chriſti 107.

DIE

Die decimasexta.

Ruthenè : Pamphilu . Pamphili .
Græcè : Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Παμφίλου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ. *Sancti Pamphili martyris, & ſociorum ejus.*

COMMENTARIUS.

Ipſe & ſocii ſexto perſecutionis Diocletiani anno, paſſi ſunt. Acta nota ex Euſebio Cæſarienſi, in martyribus Palæſtinæ. Eorum nomina, in Rubrica dicuntur, Paulus, Valens, Silvanus, Porphyrius, Julianus, Theodulus, Helias, Hieremias, Eſajas, Samuel, & Daniel. Cum eo, ſunt duodecim.

Eadem die fit de S. Marutha Epiſcopo, qui ſub Theodoſio magno, ad Perſarum Regem legatus, reliquias ibi martyrum collegit, & conditam urbem, Martyropolim eam dixit. Quod factum hac die eſt, in qua poſt annum obiit. Poſt *ſex annos* mavult Baſilii Menologium.

Die decimaseptima.

Ruthenè : Theodoru. Tironu. Theodori. Tyronis.
Græcè : Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Θεοδώρου τοῦ Τύρωνος. *Sancti magnique martyris Theodori Tyronis*. In rubrica Synaxarii eſt Τήρωνος : *Teronis*. Menol. Baſilii habet Τύρωνος. *Tyronis*.

COMMENTARIUS.

Amaſenus civis, ex loco *Chæmialorum* (Χαμιαλῶν) *ſub Imperatoribus Maximiano & Maximo* (ἐπὶ Μαξιμιανοῦ καὶ Μαξίμου τῶν βασιλέων. forte cum Baſilii Menologio, ſic legendum eſt Μαξιμίνου) inter Tyrones allectus miles, ſub *Præpoſito Brynga* Πραιποσίτου Βρύγκα. Baſilius legit Κρίγγα, *Cringa*) a quo, Chriſtum confeſſus, ad ſuas rrogationes ſuas eſt conſtitutus. (εἰς ἐξέτασιν κριτήν) Ad reſipiſcendum ei datur tempus. Sed ipſe idolum matris Deorum conflat, & fatetur, ſe id feciſſe. Acerrime inde cæditur, tum in ardentem caminum injectus, in eo martyrium conſummavit. In ejus martyrium, quod eſt in Ædibus Phoracii, fit ejus Synaxis, ſabbato primæ jejuniorum hebdomadæ. Qua die miraculum factum eſt, τῶν κολύβων, ῥυσαμένου τὸν ὀρθόδοξον λαὸν ἐκ τῆς μιαιασμένης βρώσεως τῶν εἰδωλοθύτων : *dum orthodoxum populum retraxit, a contaminato eſu idolothytorum*. Miraculum illud & dies κολύβων, dicebatur. Κόλλαβος autem & κόλλαβος, quædam ſpecies erat panis; *offula*; & *buccella*. Κόλυβος item ſumitur pro *ſpecie quadam bellariorum*. Utraque idem judico.

De loco, & nomine, ejus natali, nihil mutit Baſilii Menologium : addit vero prope Euchaitides, Draconem olim protenſæ magnitudinis fuiſſe, ſecumque reputabat, ſi Draconem occideret, diabolum etiam, ſe fore ſuperaturum. Occidiſſe. Fanum idolorum incendiſſe, non ſolum Matris Deorum ſimulacrum. Dum in fornacem injicitur, in amicum Cleonimum incidiſſe, eique dixiſſe, te expecto. (nempe ad martyrium) De miraculo τῶν κολύβων nihil prorſus; aut quid aliud de hac re. In ejus Eccleſia, natæ hæ fabulæ. *Draco* ille, magna erat Deorum mater.

Eadem die in Menol. Græcorum agitur de Marciano, & Pulcheria Imperatoribus; quorum ait Synaxim fieri, Conſtantinopoli in magna Eccleſia.

Die decimaoctava.

Ruthenè : Leu. Leonis.
Græcè : Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Λέοντος Πάπα Ῥώμης. *Sancti Patris noſtri, Leonis Papæ Romæ*.

COMMENTARIUS.

Ob eminentem prudentiam & puritatem creatus Papa, ſuum ſancte paſcit ovile, hæreticoſque perſequitur & oppugnat. Chalcedone, quarta habetur; ipſe, ſupplicante Synodo univerſa rogatus, & diebus multis jejunio, & humi cubatione, & continua oratione, precatus Dominum; reſpondet Synodo, tanquam ac ſi ex ore Dei vocem audiſſet, & decidit. In profunda ſenectute, ſancte in Domino requievit. In Menologio Græcorum hoc eſt incommodi, quod ipſum, ait, & Synodum pugnaſſe in *Monotheletas*, *ac Synodum fuiſſe ſexcentum triginta Patrum*. Ταύτης τῆς συνόδου τῶν ἑξακοσίων τριάκοντα πατέρων ἐν Χαλκηδόνι συγκροτηθείσης, contra τῶν μίαν ἐνέργειαν καὶ θέλησιν ἐπὶ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν φληναφούντων, *eos, qui unam operationem & voluntatem in Chriſto Deo noſtro comminiſcebantur*. Sexta Synodus habita fuit in Monotheletas, & Epheſina, tertia Generalis, fuit Patrum ſexcentum triginta & octo. Confudit forte, duos Leones, primum, & ſecundum : quod, adhuc falſum eſt in Rubrica. In Menologio Baſilii, hæc incommoda nulla apparent. Loquitur enim de ſolis *Monophyſitis*; etſi retineat numerum 630. Patrum. Idem Menologium Baſilii ait de Synodo : Placuit Patribus, ut quidquid Leo ſanctiſſimus Romæ Epiſcopus dixiſſet; id ratum firmumque habeatur. Rogatus itaque a Patribus, Deumque precatus, Epiſtolam conſcripſit.

Eadem die in Menol. Græcorum agitur, de ſanctis Leone & Paregorio, qui Pataræ in Lycia decertaverunt. Acta e Synaxario videntur genuina, & ea ipſa, quæ Ruinartius in ſua Sinceris immiſit. Cæterum nulla hic mentio, ſub quibus Imperatoribus, nec ſub quo Præſide : Græcis contentis, tantum dicere : Τῷ τῆς πόλεως ἐπιτρόπῳ παρέστη *Civitatis Curatori eſt præſentatus*.

Die decimanona.

Ruthenè : Archippu. Archippi.
Græcè : Τῶν ἁγίων ἀποστόλων, Ἀρχίππου, Φιλήμονος, καὶ Ἀπφίας. *Sanctorum Apoſtolorum, Archippi, Philemonis, & Apphiæ*.

COM-

COMMENTARIUS.

Sub Nerone diſcipuli Pauli Apoſtoli, dum Ceteris feſtum agitur Coloſſis in Phrygia, Deo & ipſi in Eccleſia Doxologiam faciunt. Superveniunt Idololatræ; aliiſque fugientibus, ipſi ſoli comprehenduntur. Ducti ad Androclem; Archippus verberatur; & hinc infoveam uſque ad umbilicum (ὀμφαλοῦ) injicitur, tum lapidatur, antea a pueris (γραφίσι κεντηθεὶς) *graphiis lancinatus*; Philemon & Apphia varie cruciati, vitæ finem impoſuerunt. In his nil mali. Interim nihil etiam certi eſt. Menologium Baſilii, de his nihil.

DIE VIGESIMA.

Ruthenè: Leu. Leonis.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ θαυματουργοῦ Λέοντος ἐπισκόπου Κατάνης. *Sancti Patris noſtri, & Thaumaturgi Leonis Epiſcopi Catanæ.*

COMMENTARIUS.

Ravennas Leo hic noſter, poſt omnes gradus Eccleſiaſticos emenſos, *divino judicio, Catanenſium metropoleos Antiſtes renuntiatur.* (θείᾳ ψήφῳ πρόεδρος τῆς Καταναίων μητροπόλεως ἀναδείκνυται) adeo virtutibus floret, ut oratione ſola, idoli ad terram, dejecerit ſimulacrum. Idem magnum ſanctæ Luciæ Templum erexit. Confundit celebrem magum Heliodorum; ſacra ſua ſtola ἱερῷ ἐπιτραχηλίῳ δήσας, ligatum ipſum, ſecum trahit in ardentem fornacem ingreſſus, ex ipſa Leo ſalvus evadit, Heliodorus vero exuſtus moritur. Audiunt hæc Imperatores Leo & Conſtantinus eumque ad ſe acceſſant, & ejus pedibus provoluti καὶ τῶν ποδῶν αὐτοῦ ἥπτοντο ſupplicant, ut pro ſe oret. Moritur deinde, & miraculis floret, uti & in vita, ita & poſt mortem. Fabula eſt idolum, forſan & illa fornax. Tempus elucet octavi ſæculi, ex Leone & Conſtantino Imperatoribus. Menologium Baſilii ſilet nomina Imperatorum, tantum dicens: οἱ βασιλεῖς Ῥωμαίων ἀκούσαντες. *Romani Imperatores hæc audientes.*

Acta hujus ſancti Leonis, in Cod. Membranaceo Græco, Vaticano num. 866. quorum initium: Πατέρες, τέκνα, καὶ ἀδελφοὶ &c. ajunt, *poſt mortem Epiſcopi Sabini* (ἐπεὶ δὲ συνέβη Σαβῖνον τελευτῆσαι) fuiſſe Leonem hunc Ravennatem electum; ipſumque impleviſſe (τὸν τοῦ ἁγίου Κυρίλλου, τοῦ ἀρχιεπισκόπου θρόνον) *ſancti Cyrilli Archiepiſcopi thronum.* Quo Cyrillum hunc primum Catanæ Epiſcopum facit. Nepos Leonis dicitur Chryſes; Præfectus Catanæ Lucius: qui Leoni ſcribit & Conſtantino Imperatoribus, in magum Heliodorum, filium Barbaræ Patritiæ. Pag. vero quinta atergo, ait Syracuſas, Metropolim Siciliæ. Pag. 6. Sed Catanæ Archiepiſcopatus honorarius eſt, nono & decimo ſæculo: unde Author poſt ſæcula iſta, ſcripſerit oport t. Obiter ex hoc Codice habeo ex Actis S. Maſſiani Epiſcopi Syracuſanorum & martyris. Pag. 43. ait ipſum convertiſſe ſanctum Peregrinum, & ſanctum Libertinum Epiſcopum Agrigenti: & cum his paſſum eſſe. *Sub Valeriano & Gallieno*: Οὐαλεριανοῦ, καὶ Γαλλιηνοῦ κρατούντων. Fabulæ ergo, S. Marianum, a ſancto Petro Apoſtolo, ordinatum. Author nominat Theodoſium Epiſcopum Syracuſarum: τοῦ ἐν ὁσίᾳ τῇ μνήμῃ (*ſanctæ memoriæ* pag. 45. & pluries deinceps. Scripſit ergo poſt hunc. Vide num ex Roccho Pyrrho eluceat hujus ætas.

DIE VIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Timothei. Euſtathii.
Græcè: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Τιμοθέου τοῦ ἐν συμβόλοις. *Sancti Patris noſtri Timothei, qui in Symbolis nuncupatur.*
Eadem die: Τοῦ ἐν ἁγίοις, πατρὸς ἡμῶν Εὐσταθίου, Πατριάρχου Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης: *ſancti Patris noſtri Euſtathii, Patriarchæ Antiochiæ magnæ.*

COMMENTARIUS.

Timotheus, a teneris unguiculis, ſolitariam amplexus vitam; in montibus, & Eremis uſque ad mortem, virgo habitans, vitam ducit & lacrymarum miraculorumque dono illuſtris; tandem ad Dominum perrexit. Hæc tantum habet Menologium Græcorum, ſed de tempore nihil mutit.

Sub Conſtantino Magno Euſtathius, Nicæna prima in Synodo, veritatem divinitatis Chriſti propugnans, in odium incurrit hæreticorum: præcipue Euſebii Nicomedienſis Epiſcopi, Theognidis Nicæni, & Euſebii Cæſarienſis. Hi corrumpunt muneribus mulierculam meretricem; quæ diceret, ex Euſebio ſe puerum concepiſſe; idque jurejurando firmaſſe. Hæc Scribunt Imperatori; qui in exſilium per Thraciam, Philippos Macedoniæ Urbem, eum ejicit, ubi vitam finivit. Poſt centum annos, ſub Zenone, ejus reliquiæ revelantur, & Antiochiam transferuntur: occurrente plebe, ad decem & octo paſſum millia, cum hymnis & luminibus, & thymiamatis. Encomium Chryſoſtomus ei facit. *Dicitur* (λέγεται) mulier quæ calumniam ſancto ſtruxerat, in morbum difficilem incidiſſe; omnemque machinam revelaſſe: & quod ex quodam Euſtathio alio ærario (χαλκέως) qui eam corruperat, puer ille natus erat. Menologium Baſilii, neminem horum ſanctorum habet. Die namque 21. de ſancto agit Papa Agathone; & die 22: ſine Synaxario, ſanctum habet Athanaſium Confeſſorem. De S. Euſtathio noſtro omnes antiqui, & recentiores ſcribunt, cum Bailletio, & Latinis die 16. Julii. In quibus omnia congruunt cum narratis a Menol. Græcorum.

DIE VIGESIMASECUNDA.

Ruthenè: Obritenie Syiathic mucenic. Inventio SS. Martyrum.

Græcè: Ἡ εὕρησις τῶν λειψάνων τῶν ἁγίων μαρτύρων, τῶν ἐν τοῖς Εὐγενίου. *Inventio reliquiarum ſanctorum Martyrum, quæ ſunt in Ædibus Eugenii*. In Rubrica Synaxarii, additur: ἅτινα εὑρέθησαν ἐν τοῖς χρόνοις Ἀρκαδίου τοῦ βασιλέως: *quæ inventæ ſunt temporibus Arcadii Imperatoris*. His Menol. Baſilii, nihil addit.

COMMENTARIUS.

Sub Thoma Patriarcha Conſtantinopolis, ſub terra inventæ ſunt, qui eas honorifice condidit. interim miracula multa fiunt. Poſt multorum annorum tranſitum, divinitus revelantur: & iterum cuidam Clerico Nicolao Calligrapho, inter eas eſſe illas Andronici & Juniæ; quorum meminit Paulus in epiſtola ad Romanos. Nihil hic olet falſi, ſed neque tuti. De his nihil habet Baſilii Menologium.

DIE VIGESIMATERTIA.

Ruthenè: Polycarpu. Polycarpi.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Πολυκάρπου ἐπισκόπου Σμύρνης. *Sacroſancti martyris Polycarpi Epiſcopi Smyrnarum*.

COMMENTARIUS.

Johannis Apoſtoli diſcipulus; poſt Bucolum, a ſuffraganeis conſecratur, Smyrnarum Archiepiſcopus. Sub perſecutione Decii comprehenſus, *Proconſuli* (Ἀνθυπάτῳ) & agonem ſuum ita per ignem conſummavit. Ante Epiſcopatum mulieri, quæ horreum ſuum in pauperes diſtribuerat oratione reddidit plenum iterum. Extinxit incendium. Imperat terræ pluviam, & pluviam ipſam poſtea coercuit. Ita prorſus & in Baſilii Menologio. Mulieremque ait, quæ ipſum enutrierat, nutricem dicit ſancti Polycarpi. Non dicit *horreum*, ſed *penu*; neque ab ea in pauperes diſtributum: nec coercitum præſtat imbrem. Mihi ſolum vera & tuta, quæ, ex Euſebio Cæſarienſi habet Ruinartius, probatque Tillemontius & Bailletius.

DIE VIGESIMAQURTA.

Ruthenè: Obritenic hlav: Prediteci. Prima inventio capitis Præcurſoris.

Græcè: Ἡ εὕρησις τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ ἁγίου προφήτου, προδρόμου καὶ Βαπτιστοῦ Ἰωάννου. *Inventio pretioſi Capitis ſancti Prophetæ, Præcurſoris, & Baptiſtæ Johannis*.

COMMENTARIUS.

Primum inventum eſſe a duobus monachis, in domo Herodis, qui Hieroſolyma ſepulchrum Domini venerant adoratum. Illud a monachis ſuſcipit quidam figulus, qui ipſum Emeſam ducit, & occulte honorat. Is moriens tradit ſorori ſuæ, *imponens ei ne hæc revelet, ſed tantum colat*. Menologium Baſilii ita ſilet Multi poſt hanc mulierem poſſederunt, & coluerunt. *Tandem in manus cujuſdam monachi venit Euſtathii presbyteri Ariani*, qui in ſpeluncam ſuam illud adduxit, ut ejus miracula, ſuæ hæreſeos adſcriberet veritati. Morienſque ipſum ibi relinquit. Manſit ita caput, uſque ad tempora Marcelli Archimandritæ, ſub Valentiniano juniore Imperatore, & Uranio Epiſcopo Emeſeno. Tunc ex relatione multis facta, in Hydria inventum eſt, & ab Uranio in ſuam Eccleſiam eſt inductum; ubi multa beneficia & miracula operatur. *In ipſius ſanctiſſimo Prophetio, fit ejus Synaxis; quod in Ædibus eſt Phoracii*. Ante hæc, fit Rubrica: *ſi hæc inventio incidat in Dominica Phariſæi, vel filii prodigi, vel Apocrei, vel Tyrinæ*. Si accidat in hebdomada τῆς Τυρινῆς. Si accidat ſabbato τῶν ψυχῶν. Si accidat Sabbato Tyrophagiæ. Si accidat Dominica prima Quadtageſimæ. Si accidat primo Sabbato Jejuniorum. Si accidat prima Dominica jejuniorum. Si accidat Dominica Adorationis Crucis: quomodo officium, & Synaxis ejus, ſint ordinanda. Ac *tandem* uſque ad finem, de his nihil habet Baſilii Menologium: pro quibus tamen dicit. Sub Michaele Imperatore, eſſe reſtitutam orthodoxiam; & ſancti Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolis; corpus ex Emeſa Conſtantinopolim tranſlatum in ejuſdem Civitatis præſidium. Priora Menol. Græcorum ſunt mere fabula, a monachis Arianis, ad fœminam & figulum, & iterum a monachis & fictis anonymis nugivendis: paſſæ tenebræ & retrimenta mendaciorum; quæ obruunt, (ſi quæ unquam fuit) veritatem omnem hujus inventionis. Quanta itinera Crypteranea!

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè: Taraſii.

Græcè: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ταρασίου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως: *ſancti Patris noſtri Taraſii Archiepiſcopi Conſtantinopoleos*.

COMMENTARIUS.

Pugnavit pro ſanctis Imaginibus. Ultra montis anguſtias monaſterium conſtruxit, ac monachis replevit: Pater pauperum, ſedit annos 22. menſes duos. Sepultuſque eſt in illo ſuo monaſterio. Menologium Baſilii addit, fuiſſe dignitate a Sceretis Imperatoris. Idem hac die agit de S. Alexandro, qui martyrium fecit in Thracia ſub Maximiano Imperatore, & Tiberiano *Præſide*: ἡγεμόνι. Qui fortaſſe idem ſit *Tiberianus* (*C. Junius Tiberianus*) qui anno Chriſti 291. cum Caſſio Dione, Dionis F. proceſſit Conſul. Dicitur Puteolanæ Urbis civis, apud Romam. Patitur equuleum. Iterum Carthagine, ubi itidem deportatur. Tractus Marcianopolim, foribus in facie cæditur. Poſt alios cruciatus, in Thracia decollatur. Putem hæc ſeparatim, & ſub diverſis Præſidi-

ſidibus ; & variis vicibus ſubiiſſe. Tandemque ſub Junio Tiberiano P.V. olim, aut ſub ejus filio, in Thraciis Præſide, paſſum eſſe.

DIE VIGESIMASEXTA.

Ruthenè: Porphirii. Porphyrii.
Græce: Τοῦ ἁγίου Πορφυρίου ἐπισκόπου Γάζης. *Sancti Porphyrii Epiſcopi Gazes.*

COMMENTARIUS.

Theſſalonicenſis Porphyrius proficiſcitur Hieroſolymam, ubi fit presbyter: hinc a *Praulio* (vel *Praylio*) Patriarcha, & a Johanne Epiſcopo Cæreæ Palæſtinæ, Gazæ Epiſcopus ordinatur. Pergit Conſtantinopolim, & a Chryſoſtomo ad Amantium adducitur, cubicularium Imperatoris, qui eum ad Imperatricem inducit; & hæc ad Imperatorem. Prophetat filium parituram, qui Theodoſius fuit Junior. Reverſurus, obtinet, ut Gazæ hæreticos perſequatur; & ab Eudocia Auguſta, pro conſtruenda Eccleſia, duo obtinet centenaria aureorum. Idolorum evertit Templa, illudque Marnæ Idoli incendit. Sanctiſſime tandem obit. Menologium Baſilii, a Praylio presbyterum, a Johanne Archiepiſcopo Cæſareæ Philippi, Gazæ Epiſcopum ordinatum fuiſſe ait. Sed male illud *Archiepiſcopo*, pro Johanne *Epiſcopo* Cæſareæ. Reliqua illud ſilet. Acta tu legito apud Bollandum. Sunt enim genuina, eaque a Marco Synchrono ſcripta ſunt.

DIE VIGESIMASEPTIMA.

Ruthenè. Procopii.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Προκοπίου τοῦ Δεκαπολίτου. *Sancti Patris noſtri Procopii Decapolitæ.*

COMMENTARIUS.

Solitarius vitam ſanctam gerit. Acta genuina. Sed in Synaxario, ejus ſiletur tempus. Menologium Baſilii, de utroque agit hac die, ſub unico Synaxario, ex quo item, tempus expiſcari non licet.

DIE VIGESIMAOCTAVA.

Ruthenè: Baſilii.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου συναθλητοῦ τοῦ ἁγίου Προκοπίου. *Sancti Patris noſtri Baſilii, qui una cum ſancto Procopio decertavit.*

COMMENTARIUS.

Sub Leone Iconomacho, mundum reliquit, & induit monachum. Pro Imaginibus certat egregie, una cum ſancto Procopio, Truditur in carcerem: & mortuo Tyranno ſolvitur; & vitam ſanctam ducens, etiam in aliorum profectum, obit. Eadem paſſum Procopium, ac tandem cum Baſilio ſolutum, narrat Baſilii Menologium.

DIE VIGESIMANONA.

Ruthenè: Caſianu. Caſſiani.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν, καὶ Ὁμολογητοῦ Κασσιανοῦ, τοῦ Ῥωμαίου. *Sancti Patris noſtri, & Confeſſoris, Caſſiani Romani.*

COMMENTARIUS.

Romanus ex parentibus illuſtribus, eruditus etiam in Aſtronomia, relinquit Patriam, proficiſcitur Schetin, induitque Monachum. Omnia viſitat monaſteria Ægypti, Thebaides, Montis Nitriæ (vel Netriæ) Aſiæ, Ponti, & Cappadociæ, & Orientis. Deſcripſit omnium vitas, & inſtituta. Ejus opera proſtant. Poſt ſanctam vitam, objit in Deo. Menol. Baſilii, de Caſſiano nihil hac die, vel præcedenti. Sed die 28. agit de S. Neſtore martyre ſub Decio Imperatore, & Publio Præſide Pamphyliæ: de quo forte mentio, die quinta Martii infra in Menol. Græcorum. Eadem vero die, de S. Thallelæo, ſancta Marana, & Cyra, & S. Domnina agit. Quos omnes habet & Menol. Græc. eadem die.

MENSE MARTIO.

DIE PRIMA.

Ruthenè: Eudocia. Eudociæ.
Græcè; Τῆς ἁγίας ὁσιομάρτυρος Εὐδοκίας, τῆς ἀπὸ Σαμαρειτῶν, τῆς ἑταιρίδος. *Sacroſancta martyris Eudociæ, quæ fuit Samaritana, & meretrix.*

COMMENTARIUS.

Hæc fuit ex Provincia Libaneſiæ Phœniciæ, civis Helioplis ſub Trajano. Primum vixit luxurioſe: poſt a quodam Monacho, Germano nuncupato converſa. Baptiſmum ſuſcepit a Teodoto Epiſcopo, ex viſione: quod ab angelo ei apparente, in cælum duci viſa eſt, & angelis occurrentibus ei congauderi. Nigrum vero quendam & horrendum viſu hominem, conclamantem, velut injuſtum, ſi hæc ipſi eriperetur. Suas divitias dat pauperibus: ingreditur Monaſterium. Hinc Imperatori defertur Aureliano, ab illis, qui prius eam amaverant. Suſcitat mortuum filium Imperatoris: ipſum ad fidem in Chriſtum Impera-

rato-

ratorem adducit. Secutis temporibus, adducitur iterum *Diogeni Præſidi* (ἡγεμόνι) *Heliopoleos & iterum, miracula patrans, dimittitur. Sub Vicentio vero, qui Diogeni ſucceſſerat, gladio obtruncatur.* Signata ultima Menologium Baſilii non habet. Portenta, & in veris fabulæ. Monachiſinus. A Trajano ad Aurelianum: mortuum ſuſcitatum: Imperatorem converſum: alia. Vera tantum, Eudociam converſam ad pænitentiam: fortaſſe baptizatam, ſi erat ethnica, ab Epiſcopo Theodoto. Sua dediſſe pauperibus: ingreſſam in Monaſterium, quinto vel ſexto ſæculo. Conficta alia ſemel, & iterum, ut martyrem eam facerent. Vox ὁσία, innuit monialem. Heliopolitam dixit Nicephorus Calliſtus: ſed Menologium Baſilii *Civem Samariæ* eam dicit.

Die secunda.

Ruthenè: Theodoti.
Græcè: Τοῦ ἁγίου Ἱερομάρτυρος Θεοδότου ἐπισκόπου Κυρηνίας. *Sacroſancti martyris Theodoti Epiſcopi Cyrenes.*

COMMENTARIUS.

Sub Licinio Imperatore, & Sabino Præſide Cypri, pro Chriſto comprehenſus, adducitur Præſidi: cæditur taureis: in equuleo torquetur; in craticula imponitur; uritur, ſed miraculoſe ſervatur: clavis ei pedes transfiguntur, & cogitur ita incedere. Truditur in carcerem. Sub Conſtantino, quieſcente perſecutione, e carcere liberatur, die decimanona Januarii, qua die commemorationem ejus facimus. Poſt unum & alterum annum, moritur die ſecunda Martii: non vera omnia, neque nihil hic falſum duco. Quin *ex equleo in carcerem*, ſola vera; reliqua ficta & falſa. De Theodoto noſtro, non aliud habet Baſilii Menologium, præter quam iſta: Ἄθλησις τοῦ ἁγίου Ἱερομάρτυρος Θεοδότου ἐπισκόπου Κυρηνίας. *Certamen ſacroſancti martyris Theodoti Epiſcopi Cyrenenſis.*

Die tertia.

Ruthenè: Eutropii. Cleonicu. Baſiliſcu. Eutropii, Cleonici. Baſiliſci.
Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Εὐτροπίου, Κλεονίκου, καὶ Βασιλίσκου: *ſanctorum martyrum Eutropii, Cleonici, & Baſiliſci.*

COMMENTARIUS.

Milites, & Theodori Tyronis conſanguinei, ſub Maximiano Imperatore, Cappadoces, Aſclepiodoto Præſidi (ἡγεμόνι) præſentantur. Acriter verberantur, Eutropius colaphis cæditur, quod Præſidem injurioſe habuiſſe crederetur (ἐξύβρισεν) In equuleum aguntur: apparentque eis Chriſtus, & martyr Theodorus, & eos ſanant. Multi ex hoc convertuntur, & ſuſcipiunt martyrii palmam. Cleonicus varie tentatur, blanditiis & promiſſis: ipſe oratione Idolum dejicit Dianæ; dum Idolis agitur Sacrificium. Ex tribus lebetibus, picem & aſphaltem urentes, in eos jaciunt. Ipſi tamen incolumes, ſed miniſtri comburuntur. Cleonicus & Eutropius in Crucem aguntur. Baſiliſcus reductus in carcerem poſt aliquod tempus, ibi & ipſe obit. Acta poſſunt eſſe ſincera, aut modice interpolata. Præſidis nomen non habet Baſilii Menologium.

Die quarta.

Ruthenè: Geraſimu. Geraſimi.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Γερασίμου. *Sancti Patris noſtri Geraſimi.*

COMMENTARIUS.

Geraſimus induens Monachum, interiorem Thebaidem ingreditur, *ſub Conſtantino nepote Heraclii Imp. Pogonato*; Leonem manſuetum habet miniſtrum; qui aſinum, quo ad aquam vehendam utebatur, agebat, & reducebat. A mercatoribus iter agentibus, dormiente leone, furtum fit aſini. Ipſe Leone deſide, ad aquam utitur. *Redeunt viatores illi mercatores: aſinus a Leone recognoſcitur, & in fugam mercatores aguntur, & aſinus recuperatur: qui a Leone cum alligato camelo, adducitur ad Geraſimum. Ipſe a ſene in libertatem aſſeritur, & montem petit: ſed ſemel in hebdomada, venit Monachum ſalutatum.* Moritur Geraſimus: Leo ab ejus diſcipulo, diſcit mortem; *& poſt lamenta redit ad montem.* Signata non habentur in Baſilii Menologio: *ſed uſque ad obitum Senis*, ait, *leonem eo in opere ſerviſſe, & ſuper ejus tumulo, Leonem exanimatum.*

Die quinta.

Ruthenè: Cononu. Cononis.
Græcè: Τοῦ ἁγίου ὁσιομάρτυρος Κόνωνος. *Sacroſancti martyris Cononis*: τοῦ ἐν Ἰσαυρίᾳ, *Iſauri*: ſuppleo ex Rubrica.

COMMENTARIUS.

Temporibus Apoſtolorum, ex pago *Biſdane* filius Neſtoris, & Nadæ (Νάδας) Conon, qui cum *Anna*, ei data uxore, in virginitate manſit. *Dicitur* (λέγεται) Michael Archangelus, eum de fide docuiſſe & baptizaſſe; & ſacra ei myſteria tradidiſſe; ac miraculorum poteſtatem præbuiſſe. Ipſe patrem & matrem ſuam baptizavit, & pater pro Chriſto martyrium fecit. *Dæmonem Conon in antro quodam clauſit: qui publice faſſus eſt, unum eſſe Deum, illum Cononis; ſe vero non eſſe Deum*; unde multos ethnicos convertit. Martyrium autem ita fecit: Ex Imperatorum, *Magno* (Μάγνῳ) Præſidi præſentatus, Chriſtum palam confitetur: cæditur acriter. Populus quærit ad necem Præſidem: hic fugit, & martyr ſolvitur. Curatur in domo ſua, & poſt annos duos moritur. *Ajunt* (φασὶ) poſt ejus mortem, domum illam, in Eccle-

cleſiam verſam eſſe. Alia prætermittuntur; & ſubduntur portenta & fabulæ; quæ aliarum rerum, forſan, veritatem, ſuffocarunt. Menologium Baſilii ſilet *Annam*. Illud *dicitur* (λέγεται) non habet. Patrem, hic dicit *Neſtorem*, & non prius. De Dæmone clauſo in antro, & ejus confeſſione, nihil habet: nec ethnicos convictos a martyre, alia voce Chriſtum confeſſos. De *Magno* Præſide nihil, nec ejus fugam; nec de domo in Eccleſiam verſa.

De Neſtore martyre agit Menol. Baſilii die 28. Februarii: aitque eum paſſum ſub Decio Imperatore, & Publio Præſide, Perge, in Pamphylia. Sed dicitur natus ex parentibus chriſtianis; & ab Irenarcho (ἄρχοντος) *Magiſtratu* comprehenſus, ductuſque ad Præſidem. Dubitem jure, an ſit idem Neſtor. Tempora non conveniunt; nec pagani parentes noſtro. Quid moror? efficta puto: etſi unum & idem ſint:

Eadem die; Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Κόνωνος τοῦ κηπουροῦ. *Sancti martyris Cononis, hortulani.*

COMMENTARIUS.

Nazaræus Galilææ ſub Decio venit *in urbem Mandrorum* (Μάνδρων) *quæ eſt* in Pamphilia, *habitat ibi in loco dicto Carmela* (Κάρμηλα) colens hortum, indeque vivens, homo ſimplex. Quærentibus eum comprehendere juſſu *Publii* Præſidis, ſe patefacit, reſpondetque: Quid me opus habet Præſes? præſertim cum ego ſim chriſtianus? *Advocet, qui idem ac ipſe ſenſiunt, & ſunt ejuſdem cum eo, fidei.* Vinctus ad ipſum adductus, jubetur thurificare. *Irridet. Clavis ferreis, pedibus perforatus, ante currum currere cogitur. Quamobrem animo deficiens, & genuflexus, orans, Deo Spiritum reddidit:* ἥλοις σιδηροῖς τοὺς πόδας κατθλασθεὶς, τρέχειν ἔμπροσθεν τοῦ ἅρματος ἀναγκάζεται· ὅθεν λειποψυχήσας, καὶ ἐπὶ γόνυ κλιθεὶς, προσευξάμενος τῷ Θεῷ, τὸ πνεῦμα παρέδωκε. *Urbem Mandrorum, & Carmela* ſilet Menologium Græcorum. *Publium* non dicit Præſidem. Illud *advocet* &c. ad *fidei*, idem Menologium non habet: nec illud *irridet*, ſed ejus loco, βαθὺ στενάξας: *altum ingemuit*. Pro τοὺς πόδας, habet τοὺς ἀστραγάλους: *talos perforatus*: & ἐπὶ γόνυ κλιθεὶς, *& genuflexus, inclinatus*, prorſus ſilet. Ni alia, quæ ſint ignota in Actis habeantur; in ipſis nequidquam arrodendum videtur: ſunt genuina.

DIE SEXTA.

Ruthenè: Sviatich Czetiri deſiat dua mucenic. Pheodora &c. *Sanctorum quadraginta duorum martyrum. Theodori* Calliſti, Theophili &c.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων, τῶν ἐν Ἀμορίῳ ἀθλησάντων, Θεοδώρου, Κωνσταντίνου, Καλλίστου, Θεοφίλου, Βασσόη, καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς. *Sanctorum martyrum, qui in Amurio certarunt, Theodori, Conſtantini, Calliſti, Theophili, Baſſois, & aliorum cum eis.*

COMMENTARIUS.

Capta Amurio ab Agarenis, ſub Theofilo *Iconomacho* (ait Menolog. Baſilii) Imperatore, hi Duces, & tribuni militares, & nobiliſſimi cives, captivi abduuntur; & poſt longa tormenta & tentamina, ob fidem ab Agarenis obtruncantur. Præter horum nomina, nullius alius nomen, in toto Canone apparet. Menologium Baſilii, ſolum nominat *Conſtantinum*, & non alium; ne in Rubrica quidem. Menologium Baſilii item ait fuiſſe 42. Ita & Menol. Græcor. in verſibus ante ſiynaxarium; uti & in principio Canonis, & poſt Staurotocion: & Ode 1. Tropario 4., Ode 3. ad Theotocion: Ode 5. Tropario 3., Ode 9. Tropario 3. Amicus Matthæus Ægyptius, Regis noſtri Bibliothecarius in ſua Chronotaxi ad an. 838. anno X. Theophili, ponit eorum nomina, *Theodorum* Cranterum, *Conſtantinum* Drungarium, & alios ſilet, tantum inquiens, *& alios* 40. *primores milites Græcos*, paſſos anno 842. Menol. Baſilii addit Amiram veniſſe cum ſuis e Syria. Deſperamus aliorum nomina (præter dicta) expiſcari.

Eadem die in Menologio Græcorum habetur: Ἡ εὕρεσις τοῦ τιμίου σταυροῦ, ὅτε εὑρέθη ἀπὸ τῆς μακαρίας Ἑλένης. *Inventio pretioſæ Crucis, quando inventa eſt a B. Helena.* Item: Ἡ εὕρεσις τῶν τιμίων ἥλων. *Inventio pretioſorum Clavorum.* Utraque ſine Synaxario, & cum ſuo Diſticho. De qua re Menol. Baſilii nihil habet.

DIE SEPTIMA.

Ruthenè: Vaſilu. Ephremu. Capitonu. Baſilei, Ephræmi. Capitonis.

Græcè: Τῶν ἁγίων ἱερομαρτύρων τῶν ἐν Χερσῶνι ἐπισκοπησάντων, Ἐφραὶμ, Βασιλέως, Εὐγενίου, Ἀγαθοδώρου, Καπίτωνος, καὶ Αἰθερίου. *Sacroſanctorum martyrum, qui in Cherone Epiſcopi fuerunt, Ephraim, Baſilei, Eugenii, Agathodori, Capitonis, & Ætherii.* In principio dicitur: Καὶ τῶν λοιπῶν; *& reliquorum*: etſi *Ætherium* ibi ſolum omittat. In primo Ὁμοίῳ, nominatur etiam *Elpidius*. Reapſe in Acroſtichide, S. Joſeph poeta, *ſeptem* fuiſſe dicit: Τὸν ἑπτάριθμον ποιμένων χορὸν σέβω. *Paſtorum veneror ſeptenarium chorum.* Et Menologium Baſilii idem concinit, ſine tamen Synaxario: Τῶν ἁγίων μαρτύρων ἑπτὰ τῶν ἐν Χερσῶνι: *ſanctorum ſeptem martyrum in Cherſona.* Hæc ſolum de his hac die habet: ſequenti vero die, Synaxarium eorum habet.

COMMENTARIUS.

Septimodecimo anno Diocletiani Imperatoris, ab Hermone Sanctiſſimo Epiſcopo Hieroſolymæ, ad incerta loca ordinati Epiſcopi, *mittuntur ad Tauroſcythas.* Ephraim venit *in Scythiam*, Baſileus in Cherſonam. Baſilius verberatur, & eiicitur civitate. Κωμάρχοντος, *ſubpræfecti*, & primi civitatis puer moritur; *& dum effertur, defunctus loquitur, ut ejectum revocent, & ſuſcipiant*

ejus fidem. Supplicent, ut pro ſe oret, & futurum ut ſe ſuſcitet. Id fit: ipſe, & parentes omnes baptizantur, propinqui. Sed qui reſtant increduli, a Judæis irritati, trahunt per urbem ſanctum, qui patitur ſic martyrium. Poſt ejus cædem, Cherſonam veniunt Eugenius, Agathodorus, Elpidius, ab eodem miſſi Epiſcopo. (Menologium Baſilii, addit *Capitonem*: ſed male, ut infra, ex Græcorum Menologio apperebit) & a civibus crudeliſſime occiduntur, (*poſt annum a morte Baſilei*) *die ſexta Martii*. *Poſt annos aliquot*, mittitur eodem Ætherius, qui videns Populi feritatem, Byzantium venit, Imperatorem irritans contra eos: qui tunc erat Conſtantinus: & ab eo mittitur cum aliis in Cherſonam. Verum Ethnici, dum iter cum eo agunt, eum in Danubium proiiciunt; *& ita obit ſexta die Martii*. *Tum Cherſonenſes legatos mittunt ad Conſtantinum, Epiſcopum ſuſcipiunt Capitonem*, cum fidelium gaudio, & dolore Ethnicorum: qui in ſignum veritatis petunt, ut in ardentem caminum ingrediatur. Capito ingreditur, cum *epitrachelio*, (ſtola) & manet ibi ad multam horam incolumis. Exit inde, in *phelonio* (*penula*) carbones accenſos habens: illique omnes ſuſcipiunt baptiſmum: ipſe ſuo tempore in pace obit, *die* 22. *Decembris*: τῇ εἰκοστῇ δευτέρᾳ Δεκεμβρίου μηνός.

Ex his, Ætherius intereſt 2. Concilio Æcume- Conſtantinopoli anno 381., & Capiton, ejus ſucceſſor fuit. Menol Baſilii, ait, ſub Diocletiano, ſilet ſignata omnia: Scythiam, dicit Τουρκίαν, *Turcia*: filius ἄρχοντος, *Principis*, vel *Præfecti* tantum ſuſcitatur. Narrat, Ætherium rogaſſe Imperatorem Conſtantinum, ut Idololatræ ex urbe Cherſona ejicerentur: id contigiſſe. Ædificaſſe Eccleſiam. In reditu, a Conſtantino, cui gratias egerat, in Danaptin fluvium, eſſe projectum.

Eadem die agitur ſolo diſticho de Sanctis Neſtore, & Arcadio Epiſcopis Trimithuntis, qui in pace obierunt. Etiam in Menologio Baſilii, nullum habet Synaxarium.

DIE OCTAVA.

Ruthenè: Theophilactu. Theophylacti.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοφυλάκτου ἐπισκόπου Νικομηδείας. *Sancti Patris noſtri Theophylacti Epiſcopi Nicomediæ*.

COMMENTARIUS.

Natus in Oriente, venit Conſtantinopolim, miniſtrat S. Taraſio Patriarchæ, tunc a ſecretis Imperatoris. Patriarcha factus Taraſius (quod Paulus Cyprius Sedem hanc abdicavit) ad fauces Ponti Euxini ædificat monaſterium, in quo præponit Theophylactum, & Michaelem. Paulo poſt eos advocat, ordinatque Michaelem Synadis Epiſcopum, & Nicomodiæ Theophylactum. Virtutibus Theophylactus floret & ſignis. Taraſius poſt decem & novem Sedis annos obit; eique Sapientiſſimus (πάνσοφος) Nicephorus ſuccedit. Tum Leo (Armenius, addit Baſilii Menologium) ſuſcipit Imperium, ſacras Imagines perſequitur: & Nicephorus advocat Epiſcopos, *Æmilianum Coſzici*, *Euthymium Sardorum*, *Joſephum Theſſalonicæ*, *Eudixium Amorii*, *Michaelem Synadis*, Theophylactum noſtrum, & alios; adit Imperatorem, & *ex Scripturis conatur oſtendere veritatem*. Surdus Imperator, & tanquam aſpis. Silent alii. *Theophylactus ſolus reſpondet, eique annuntiat malam mortem*. Omnes in exſilium aguntur. Nicephorus in Thaſſum inſulam, *Michael in Eudociadem*; alii alia; Theophylactus *in Strobetum* (Στρόβηλον, Menol. Baſilii vero Στρόβιλον) *quod maritimum eſt Caſtellum Cyberteotarum*. Ibi *triginta annos* extorris *agens* moritur. *Sub Theodora Auguſta, & Methodio Patriarcha, reliquiæ ejus Nicomediam advehuntur, & in Eccleſia ab eo conſtructa, reconduntur*. In Meuologio Baſilii ſubſignata ſilentur: quod vero, Michaelem fuiſſe Epiſcopum Synadis, ait quidem, ſed a *Taraſio ordinatum* non dicit.

Eadem die: Ὁ ἅγιος μάρτυς Δίων μαχαίρᾳ τελειοῦται. *Sanctus martyr Dio, machæra conſummatur*. Præter diſtichon, aliud non habet.

DIE NONA.

Ruthenè: Sviatich mucenic Czetiri deſiat: *Sanctorum quadraginta martyrum*. Menol. Baſilii de his agit die ſequenti.

Græcè: Τῶν ἁγίων μεγάλων μ' μαρτύρων, ἐν τῇ λίμνῃ Σεβαστείας μαρτυρησάντων: *Sanctorum magnorum quadraginta martyrum, qui in lacu Sebaſteno martyrium ſubjerunt*. In Rubrica Synaxarii dicitur: τῶν ἐν Σεβαστείᾳ τῇ πόλει μαρτυρησάντων, *in Civitate Sebaſtena paſſorum*.

COMMENTARIUS.

Poſt primum Theotocion, in Tropario, omnium ipſorum nomina apponuntur. Eaque ſunt: Heſychius, Meliton, Heraclius, Smaragdus, Domnus, Eunoicus, Valens, Bibianus, Claudius. Priſcus, Theodulus, Priſcus, Eutychius, Johannes, Kanthias, Helianus, Siſinius, Corin, Aggias, Ælius, Flavius, Acarius, Ecdicius, Lyſimachus, Alexander, Elias, Gorgonius, Theophilus, Domitianus, Cajus, alter Gorgonius, Eutyches, Athanaſius, Cyrillus, Sacerdon, (ὧν) Nicolaus, Valerius, Nicolaus, Philoctemon, Severianus, & Chudion.

Ex diverſis patriis militantes, deprehenſi Chriſtiani, & quæſtioni ſubditi, nolunt diis thurificare. Lapides *in eorum ora, pectus, & collum jaciuntur: ſed lapides, non ipſos offendunt, ſed jacientes*. Hinc hyemis tempore, nudi damnantur, *in lacus medio* (μέσον τῆς λίμνης) pernoctare; qui eſt apud urbem Sebaſtenam. Eorum unus deſpondens animum, *in proximum balneum* (εἰς τὸ πλησίον βαλανεῖον) proripit: & ἅμα τῇ προσβολῇ τῆς θέρμης διαλυθέντος, *mox calore balnei exanimatus*. Tunc *ſatelles* (δήμιος) pro deficiente, ſeſe ſubſtituit: quia lucem inter martyres vidit. & coronas triginta novem, in eorum quemquam deſcenden-

dentem. Ut autem illuxit dies, ſemimortuis crura franguntur, & ita obeunt. *Unus eorum, junior, excipitur; quod Tyrannus ſperabat futurum, ut ſententiam permutaret. Sed mater ipſum ſecus hortatur, cui Meliton erat nomen.* Reliqua, ut jam ſunt edita. Cineres projecti in fluvium; *in montem coeunt*, & a Chriſtianis afferuntur, & condiuntur. Ipſorum Synaxis, fit in martyrio eorundem, quod eſt prope æneum Tetrapylon. In Menologio Baſilii, deſunt hæc ſubſignata. Ideo ait, *ipſorum* tantum *ora pertuſa eſſe*. Hinc habet: *In rigenti, congelatoque ſtagno* (ἐπὶ τῆς λίμνης τῷ κρύει πηκτωθείσης, καὶ κρυσταλλωθείσης.

Die decima.

Ruthenè: Codratu. Quadrati.

Græcè: Τῶ ἁγίω μάρτυρος Κοδράτω, καὶ σὺν αὐτῷ Κυπριανῶ, Ανέκτω, καὶ Κρήσκεντος. *Sancti martyris Quadrati, & ſociorum ejus, Cypriani, Arecti, & Creſcentis.* Menologium Baſilii ait: Cypriani, *Dionyſii*, Arecti, *Pauli*, & Creſcentis.

COMMENTARIUS.

Sub Decio & Valeriano, hi Corinthii, ſub Jaſone *Præſide* (Ηγεμόνι) Helladis paſſi ſunt. Quadratus a matre obeunte relictus infans, miraculoſe nutritur; nebula ad eum ferente cibum. Adhuc puer cum his, qui ejuſdem erant ſententiæ, poſt verbera, pro Chriſti fide capite obtruncantur. Turbat veritatem nebula nutrix. An Νέφη, *Nephe* nomen propium fuerit ejus, quæ ipium nutriit?

Die undecima.

Ruthenè: Sophronii.

Græcè: Τῶ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Σωφρονίυ Πατριάρχυ Ιεροσολύμων. *Sancti Patris noſtri Sophronii Patriarchæ Hieroſolymorum.*

COMMENTARIUS.

Ex Damaſco, ubi natus pater, matre Myrus, Alexandriam pergit, *ibique ſapientis cujuſdam Joannis conſuetudine utitur*. Fit Epiſcopus Hieroſolymæ: civitas diruitur a Perſis: ipſe proficiſcitur Alexandriam, ad Johannem Eleemoſinarium Patriarcham: *quo mortuo, vitam ejus ſcribit Encomiaſtice*. Ipſe revertitur Hieroſolymam; ubi inter alia, vitam ſcribit ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ. *Poſt tres annos a reditu*, in domino obdormivit. Acta nota. Signata non habentur in Baſilii Menologio.

Die duodecima.

Ruthenè: Theophanu. Grigori. Theophanis. Gregorii.

Græcè: Τῶ ὁσίω πατρὸς ἡμῶν Θεοφάνους τῶ ὁμολογητῶ τῆς Συγγρανῆς. *S. Patris noſtri Theophanis Confeſſoris, cognomento Singrianæ.*

Eadem die: Τῶ ὁσίω πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίω Πάπα Ρώμης. *Sancti Patris noſtri Gregorii Papæ Romæ.*

COMMENTARIUS.

Theophanes, mortuo patre *Iſaaco*, ſub matre *Theodota* enutritur: duodennis uxorem ducit, cumque ea, octo agit annos virgo. *Mater moritur, & propinquus jubet conſumari & perfici matrimonium.* Ipſe ad virginitatem, uxorem inducit: *& conſanguineus, & Leo, hæreticus Imperator, propoſitum ægre ferunt. Dumipſe vigeſimum agit annum; Leo moritur Imperator, & regnat Irene;* ſua omnia dat pauperibus, & monachum induit, *in Monaſterio Principis: quod eſt in Inſula Calomynoi. Uxori, nomen ex Megaicis, in Irenem mutat; eique dat multas opes.* Hinc Inſingrianæ montem pergit. *Quinquageſimum agens annum, lithiaſim morbum patitur, eumque ducit per totam vitam An.813. Sceptra ſuſcipit Leo Armenius;* qui ſceleſtus Servo Dei mandat, *ut pro ſe in barbaros pugnaturo, Deum oret: & ſi impetret victoriam, bona; ſin verò, crucem, lignum ei minatur Imperator; traditque eum Johanni vati* (μάντει) *ejuſdem & ipſe hæreſis Iconomachæ: qui eum in Monaſterio Sergii & Bacchi* (*quod eſt Hormiſdæ, prope Palatium*) *claudit. Sed fruſtra frequentibus colloquiis, ſanctum fatigat. Refert Imperatori, ſe ferrum potius in ceram, quam hominem poſſe flectere. In tenebricoſum carcerem ergo truditur, ibique biennium agit;* & hinc ejicitur in exſilium, in inſulam Samothraciæ: in qua, *poſt dies viginti tres*, diem ſanctus claudit extremùm. Signata ſilet Baſilii Menologium, quod ait, Sanctum Conſtantinopolim advocatum, tentatumque carcere, ut ſuæ hæreſi aſſentiretur, nec flexum; in Samothraciam relegatum.

Gregorius Papa ſub Juſtiniano, prius monachus, & Hegumenus Monaſtreii ad *Clivum ſcauri* (Κλιωσκαύρως) miſericos in pauperes, etiam ex miraculis, fit Papa. Multa ſcribit. *Petrus ejus Archidiaconus teſtatur, ſe vidiſſe columbam albam ejus ori, dum ſcribebat, quid inſudiſſe. Tunc ad fidem Saxones* (τὸ τῶν Σαξόνων γένος) *ſunt converſi.* Sancte obit. Pro Gregorio, non egemus Græcis teſtibus. Signata non habet Baſilii Menologium. Monaſterium illud πλησίον Ρώμης, dicit, ſed fallitur hoc Menologium.

Die decimatertia.

Ruthenè: Prenefenie Moſthey Sviatiho Nichifori Patriarchi. *Tranſlatio Corporis Sancti Nicephori Patriarchæ.*

COM-

COMMENTARIUS.

Mortuo impio Theophilo, ſceptra ſuſcipiunt Theodora & Michael piiſſimi Principes; qui impium & Apoſtatam Johannem, a Sede Patriarchali ejicentes, Methodium conſtituerunt; qui hortatus Imperatores, corpus Nicephori ex loculo, ubi per novem & decem annos jacuerat in Eccleſia S. Theodori, triremi impoſitum Imperatoriæ, Conſtantinopolim, occurrentibus Imperatoribus tribus, cum clero, monachis & populo, & luminibus, in magnam Eccleſiam, loco decentiſſimo collocarunt: & hinc die ſequenti, in ſanctorum apoſtolorum Eccleſia, die 13. Martii: qua die in exilium ejectus fuerat.

DIE DECIMAQUARTA.

Ruthenè: Benedictu. Benedicti.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Βενεδίκτου. *Sancti Patris noſtri Benedicti.*

COMMENTARIUS.

Nurſinus patria, puer relinquit omnia, & in parva heremo ſe abdidit. Floret virtutibus, ſignis & miraculis; ſancte obit. Diſcipuli duo vident illam celebrem viſionem, in ejus obitu. De Sancto Benedicto, *Archimandrita Romæ*, Menol. Baſilii agit, cum Latinis, die 21. Martii; eumque dicit, patria *Romanum*. Hic autem habet Sanctum Eſchemonem Epiſcopum Lampſaci, tempore Iconomachorum. Noſtræ vero Ruthenæ Tabulæ, poſt Benedictum habent eadem die S. Alexandrum martyrem & presbyterum tempore Aureliani Imperatoris.

DIE DECIMAQUNITA.

Ruthenè: Agapii.
Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀγαπίου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, Πουπλίου, Τιμολάου, Ἀλεξάνδρων δύο, καὶ δύο Διονυσίων. *Sancti martyris Agapii, & ſociorum ejus, Publii, Timolai, duorum Alexandrorum, & duorum Dionyſiorum.*

COMMENTARIUS.

Sub Dioletiano, & Urbano Præſide, apud Cæſaream Paleſtinæ, Agapius Gazenſis, Timolaus Ponticus, duo Dionyſii Tripolitani, Phæniciæ. Romulus Subdiaconus Dioſpoleos; Publius, & duo Alexandri Ægytii, ſibi manus alligant, & ita Præſidi ſeſe ſiſtunt, Chriſtianos ſe profitentes. Præſes, ubi nihil cum ipſis proficit, eos percuti jubet gladio. Acta vera, & apud Euſebium Cæſarienſem leguntur. De *Publio* nihil mutit Baſilii Menologium. In Acroſtichide Menol. Græcorum, canitur ἑπτὰ μάρτυσι, *ſeptem martyribus*. *Romulus* autem nominatur etiam in Ode 6., Trop. 3. *cum ſex aliis*: *duo* Alexandri, *duo* Dionyſii, *Agapius*, *Timolaus*, & *Romulus*: ſed *Publius* ſiletur.

De S. Bucolo, nihil hac die Menol. Grecorum habet: ſed de S. *Ariſtobulo* Epiſcopo Britanniæ, fratre *Barnabæ* Apoſtoli: Sancto *Nicandro* martyre Ægyptio, ſub Diocletiano; & S. *Menigno* fullone, mart. ſub Decio.

DIE DECIMASEXTA.

Ruthenè: Sabinu. Sabini.
Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Σαβίνου: *ſancti martyris Sabini.*

COMMENTARIUS.

Genere illuſtris ex Hermopoli Ægypti; ſub Diocletiano; ex latebris, ubi cum aliis extra urbem manebat, comprehenditur, & ducitur ad *Arrianum* Præfectum. *Patitur equuleum, & lampades*: tandem ſaxo ad collum alligato, in flumen Sermandrum mergitur; & coronam accipit martyrii. Menologium Baſilii ſilet ſignata; de eo agit die hujus decimotertio; & a mendico, cui victum dabat, eum proditum dicit. Die hac agit de S. Juliano Cilice, S. Apoſtolo Ariſtobulo, & de Sanctis Menigno, & Romano.

DIE DECIMASEPTIMA.

Ruthenè: Alexiu. Alexii.
Græcè; Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀλεξίου τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ. *Sancti Patris noſtri Alexii, hominis Dei.*

COMMENTARIUS.

Ex patre Euphemiano, & matre Aglaide Romanus: & reliqua, quæ ſunt nota. Fugit Edeſſam, Poſt decem & octo annos venit *Tharſum* hinc Romam. Mortuus dat chartam, ubi ſcripſerat ſua omnia; Honorio Imperatore. Ejus reliquiæ in Eccleſia ſancti Petri ſunt collocatæ. Adhuc cum eruditis vereor, ut Alexius idem ſit, ac Johannes ille celebris calybita; & Roma nova, non vetus, nec Honorius Imperator, quem fabula huc intruſit; ſed Theodora ejus mater. Menologium Baſilii ipſum ſilet.

Eadem die incidit memoria Terræmotus; ex quo Dei miſericordia nos liberavit. Accidit autem ſub Conſtantino Imperatore. Sub quo tamen Conſtantinorum?

DIE DECIMOCTAVA.

Ruthenè: Cirilu. Cyrilli.
Græcè: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν, Κυρίλλου ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων. *Sancti Patris noſtri Cyrilli Archiepiſcopi Hieroſolymorum.*

COMMENTARIUS.

Res ejus geſtæ, ſunt notæ; & præcipue apud Bollandum, Hermantium, & Tillemontium: a quibus non diſſonant, quæ ex Menol. Græcorum hic habentur.

Eadem

Eadem die fit commemoratio Mariæ Sororis Lazari, quando pedes Domini nardo unxit, & capillis terſit.

Die decimanona.

Ruthenè: Chriſanthu. Daria. Chryſanthi. Dariæ.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Χρυσάνθου, καὶ Δαρείας: *Sanctorum martyrum Chryſanthi & Dariæ.*

COMMENTARIUS.

Sub Numeriano Imperatore, Chryſanthus, ex patre Polemone Senatore Alexandrino, deſpondetur Dariæ Virgini Athenienſi; cui baptiſmum perſuadet. Vivunt in virginitate. Delati & comprehenſi apud Celerinum *Præfectum* (ἔπαρχον) a Claudio Præfecto & Tribuno (ἐπάρχῳ καὶ Τριβούνῳ) quæſtioni applicantur. Qui poſt multa tormenta ipſis illata; ex eorum conſtantia & ipſe credit, uxorque ejus Hilaria, & duo filii. Jaſon & Macarus, & qui ſub eo milites erant. Hi die decimanona Martii coronantur. Claudius vero, lapide ad collum alligato, in mare mergitur; filii & milites decollantur. Chryſanthus & Daria in foveam conjecti, terra obruuntur. Cur de Hilaria nihil dicitur? In Rubrica ſequenti habemus: *ſancta martyr Hilaria uxor ejus gladio conſummatur.* Ἡ ἁγία μάρτυς Ἰλαρία ἡ τούτου σύζυγος ξίφει τελειοῦται. Menol. Baſilii de his, nihil: & hac die de ſanctis agit monachis Sabbaitis: de quibus Menol. Græcorum ſequenti die.

Eadem die, cum longo Synaxario, agitur de S. martyre *Panchario* (Παγχαρίου) & acta videntur deſumpta ex Præſidialibus, cum interrogationibus & reſponſionibus ſuis.

Die vigesima.

Ruthenè: Ubienich uo Obriteli Savi. Monachorum in monaſterio Sabbæ.

Græcè: Τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν, τῶν ἐν τῇ μονῇ τοῦ ἁγίου Σάββα ἀναιρεθέντων. *Sanctorum Patrum noſtrorum, qui in monaſterio ſancti Sabbæ fuerunt interfecti.*

COMMENTARIUS.

Æthiopes prædæ ſpe ducti, veniunt: nil inveniunt: ex rabie omnes occidunt monachos. Καὶ τὸ μαρτύριον τῆς ἀθλήσεως, προθύμως ὑπέμειναν: *& martyrium certaminis alacriter ſubjerunt.* At ego quidem, martyrium in his non cerno: quod non cauſa fidei paſſos video, ſed rabie, quod prædam non inveniſſent. In Rubrica Synaxarii, dicitur: Τῶν ἁγίων Ἀββάδων &c. *Sanctorum Patrum, Abbatum,* ὑπὸ τῶν Ἀράβων &c. *ab Arabibus &c.* Menologium Baſilii, ait *ab Æthiopibus &c.* Idem hac die, agit *de ſancta Photina Samaritana, & ſociabus martyribus.*

Die vigesimaprima.

Ruthenè: Jacobu. Jacobi.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν, Ἰακώβου ἐπισκόπου, καὶ ὁμολογητοῦ: *ſancti Patris noſtri Jacobi Epiſcopi, & Confeſſoris.*

COMMENTARIUS.

Multa paſſus, ſub Iconomachis, in fame, & ſiti animam Deo tradit. Alia non addunt. Ubi natus, cujus loci fuerit Epiſcopus &c. etiam in toto Canone ſiletur. Silet quoque Baſilii Menologium.

Die vigesimasecunda.

Ruthenè: Baſilii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Βασιλείου πρεσβυτέρου τῆς Ἀγκυρῶν ἐκκλησίας. *Sacroſancti martyris Baſilii, presbyteri Eccleſiæ Ancyranæ.*

COMMENTARIUS.

Sub Juliano apoſtata, & Saturnino *Præſide* (ἡγεμόνι) Ancyrano patitur equuleum, & lateribus laceratur. Ex carcere, poſt tormenta alia, iterum in carcerem. Julianus Ancyram venit: ſanctus producitur, traditurque Comiti *Flaventio* (Φλαβεντίῳ) per lora excoriandus. Martyr lorum unum in Præſidis faciem jacit: qui idcirco cum ignitis ſubulis uri jubet, & ventrem ejus, & νῶτα, & πάσας τὰς ἁρμονίας, *juncturas omnes.* Quo facto, ſanctus ſpiritum Deo reddit. Menologium Baſilii, ſine Synaxario, ipſius meminit: agit hic autem de ſancto Artemone Epiſcopo Seleuciæ, a ſancto Apoſtolo Paulo, ordinato: de quo infra die 24. Menologium Græcorum.

Die vigesimatertia.

Ruthenè: Nicon iize Snim. Niconis & ſociorum.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Νίκωνος, καὶ τῶν αὐτοῦ μαθητῶν ρθʹ. (ἐνενήκοντα ἐννέα) *S. Patris noſtri Niconis, & centum nonaginta novem diſcipulorum ejus.*

COMMENTARIUS.

Neapolitanus ex patre Ethnico, matre Chriſtiana, miles; ſub Quintiano *Præſide* (Hegemone) in Sicilia, cum diſcipulis, gladio martyrium facit. Ipſe in bello, ſigno ſe crucis muniens, vincit inimicos. Revertitur in patriam: *& hinc in partibus Conſtantinopolis militat.* Inde in inſulam Chion pergit: ejus montem aſcendit, & ibi ſeptem dies jejunio, & humi dormitione, & oratione moratur. Angelus ei præcipit, ut ad littus deſcendat, cum virga quam ei dedit. *Deſcendit, aſcendit navem; & poſt dies duos,* petit Gani montem. Ibi in monachi ſchemate Epiſcopus, in ſuam ſpem, ipſum inducit, catechizat, baptizat, & ſancta myſteria tradit. *Poſt tres annos.*

nos, presbyterum, eum ordinat: & poſtmodum Epiſcopum. Centum nonaginta ad eum concurrunt monachi: eorum regimen ipſe ſuſcipit (ab Epiſcopo illo ei traditum, & monachorum ducentum nonaginta novem, dicit Baſilii Menologium) Mitylinem cum ipſis venit, hinc in Italiam, videt matrem, poſt cujus mortem, funus ejus curat. Proficiſcitur in Siciliam, ſemper cum tota turba, ac Tauromenii montem, *cum novem aliis* habitat. Hegemon ubi hæc novit; & reliqua. In veritate, tanta eſt rerum farrago, & fabula; tanta itinera, & temporum inverſio, a perſecutionum ævo, ad tempora monachiſmi, & Saracenorum in Sicilia, ut veritas penitus appareat ſuffocata: nec quomodolibet diſtricanda. In Italia vidit matrem. Ergo vere fuit noſter civis Neapolitanus: hinc Siciliam venit. Bollando ſunt Acta; Sed e quibus hæc ſunt educta. Signata in Menologio Baſilii non habentur.

DIE VIGESIMAQUARTA.

Ruthenè: Artemii. Zacharii, Iſacii. Artemii. Zachariæ. Iſancis.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀρτέμονος ἐπισκόπου Σελευκείας τῆς Πισιδίας. *Sancti Patris noſtri Artemonis, Epiſcopi Seleuciæ. Piſidiæ.* *Piſidiam* ſilet Baſilii Menologium; ſcribitque Ἀρτέμωνα.

COMMENTARIUS.

A Paulo Apoſtolo Seleuciam adventante, civis ipſe Epiſcopus ordinatur, Patriæ ſuæ. Virtutibus omnibus, & ſignis clarus, in extrema ſenectute, vitam in pace obit.

Eadem die: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀρτέμονος πρεσβυτέρου. *Sancti martyris Artemonis presbyteri*.

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano, *& Patricio Comite*, in partibus Laodiceæ, cum Siſinio loci Epiſcopo, in Templum *Artemidis noctu* ingreſſi contriverunt idola omnia, & combuſſerunt. Artemon multa tormenta patitur (in quibus fabula debacchatur) ac tandem uterque in pace ſua defungitur. Dignum patella operculum.

Eadem die: Ὁ ὅσιος Ζαχαρίας ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται: *ſanctus Zacharias in pace obit*. Sine Synaxario, ſolum diſticon. Ex titolo ὁσίου, vel monachum puta, vel ſolitarium. Num *Papa* Zacharias? De ſancto Iſaacio, nihil; niſi lateat, in his martyribus Palæſtinæ, qui eadem hac die, ſolo diſticho celebrantur: Οἱ ἅγιοι μάρτυρες, οἱ ἐκ Καισαρείας τῆς Παλαιστίνης, ξίφει τελειοῦνται: *ſancti martyres, ex Cæſarea Paleſtinæ, gladio conſummantur*. Agitur etiam de ſancto Nicandro Ægyptio, martyre ſub Diocletiano, cum Synaxario. Et de ſancto Martino Thebano (cum ſolo diſticho) qui *in pace requievit*.

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè: Blagoviſanie Bogorodici. Annunciatio Deiparæ.

Græcè: Ὁ εὐαγγελισμὸς τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. *Annunciatio ſanctiſſimæ Reginæ noſtræ, Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ*.

COMMENTARIUS.

Omnia e Scriptura. Joannes Phoca, monachus ſeculi duodecimi ſub Manuele Comneno, & anno 1180. deſcribens iter ſuum per loca ſancta editum tomo ſecundo Maii Bollandiani in principio ait, Nazareth, antiqua pictura, Virginem ab Angelo ſalutatam, dum lanificio erat addicta, & præ timore, quaſi purpuram, ei manu ex cidentem. Ambroſius lectioni ſcripturarum vacaſſe tunc in penetralibus domus dicit Virginem. Illud eſt congruentius; moribus eorum temporum, etiam conſuetum, mulieribus primi generis: præcipue paupertati, humilitatique Beatæ pauperi fabro deſponſæ Virginis.

DIE VIGESIMASEXTA.

Ruthenè: Sobor Gabriila. Feſtum Gabrielis Archangeli.

Græcè: Ἡ σύναξις τοῦ Ἀρχιστρατήγου Γαβριήλ. *Synaxis militiæ cæleſtis Ducis, Gabrielis*.

COMMENTARIUS.

Quod ſexto menſe, poſt Eliſabet, Beatam Virginem ſalutarit.

DIE VIGESIMASEXTA.

Ruthenè: Matrona. Philetu. Matronæ. Phileti.

Græcè: Τῆς ἁγίας Ματρώνης, τῆς ἐν Θεσσαλονίκῃ. *Sanctæ Matronæ Theſſalonicenſis*.

COMMENTARIUS.

Serva cujuſdam Pauſillæ Hebreæ, uſque ad Synagogam, dominam ſequitur; hinc in ipſam ingredi nolens, interea vadit ad Eccleſiam Chriſtianorum. Ad quatriduum verberatur, & in carcere jejuna clauditur: producitur, flagellatur, & reducitur in cuſtodiam: ibique poſt multos dies, ſpiritum Deo reddit. Tempus, & alia ſilentur; & hinc multa, de veritate Actorum hæſitatio,

Eadem die, cum ſolo Hexaſticho: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Φιλητοῦ τοῦ συγκλητικοῦ, καὶ Λυδίας τῆς αὐτοῦ γυναικός, καὶ τῶν τέκνων αὐτῶν, Μακεδόνος, Θεοπρεπίου, Κρονίδος, Κομενταρησίου, καὶ Ἀμφιλοχίου Δουκός: *ſanctorum martyrum Phileti viri Senatorii, & Lydiæ uxoris ejus; & filiorum eorum, Macedonis, Theoprepii, Cronidis Commentarienſis, & Amphilochii Ducis*. De ipſis autem cum Synaxario agitur intra ſequenti die 28.

Eadem

Eadem hae die fit, *de ſancto Patre noſtro Paulo, Epiſcopo Corinthi, fratre Petri ſanctiſſimi Epiſcopi Argi, ſignis clari.*

DIE VIGESIMAOCTAVA.

Ruthenè: Stephanu. Stephani. De hoc nihil habent utraque Menologia. In Menologio vero de S. Hilarione juniore, ſcil.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἱλαρίωνος τοῦ νέου: *ſancti Patris noſtri Hilarionis junioris.* In rubrica ſolius Triſticni additur: Ἡγουμένου μονῆς τῆς Πελέκητος: *Abbatis monaſterii Pelectæ.*

COMMENTARIUS.

Sanctus Macarius (de quo prius dicto Chriſtophoro, die ſeptima Aprilis agitur) fuit Abbas ejuſdem Monaſterii, ſub Taraſio Patriarcha, uſque ad Michaelem Traulum Imperatorem. Ex quo apparet *Pelecton* (Πελέκητος) fuiſſe non longe a Conſtantinopoli.

Hac etiam die, Philetus & ſocii Synaxarium ſuum habent, quod eſt hujuſmodi.

COMMENTARIUS.

Sub Hadriano Imperatore, traditur cum ſociis torquendus Duci Amphilochio. Poſt tormenta (inter quæ Commentarienſis Cronidas credit) in carcerem truduntur; etiam Commentarienſis: ubi eos noctu ſolantur angeli, & hortantur. Sequenti die in lebetem conjiciuntur, ferventem oleo & reſina. Lebes autem mox frigeſcit. Stupefactus Dux, ingreditur & ipſe lebetem dicens: Deus Chriſtianorum adjuva me: & vox auditur: exaudita eſt oratio tua; veni ad me. Imperator in Illyricum venit, & ſeptiduum oleo lebetem accendi imperat. In eum omnes projiciuntur, & omnes iterum incolumes. Imperator rubore ſuffuſus, diſcedit; & martyres in oratione, vitæ finem impoſuerunt. Ergo omnes exulti ſunt, En miraculum. Pleraque igitur falſa, & ſuſpecta omnia.

DIE VIGESIMANONA.

Ruthenè: Marcu. Cyrilu. Marci, Cyrilli.

Græcè: Τοῦ ἁγίου Μάρκου ἐπισκόπου Ἀρεθουσίων; καὶ Κυρίλλου διακόνου, καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς. *Sancti Marci Epiſcopi Arethuſiorum, & Cyrilli diaconi; & ſociorum eorum.* In rubrica ſynaxarii dicitur: Τῶν ἁγίων μαρτύρων &c. διακόνου, καὶ ἑτέρων πολλῶν. *Sanctorum martyrum &c. diaconi, & aliorum multorum.*

COMMENTARIUS.

Sub Conſtantino Magno, zelo Dei, multas Idolorum aras evertit; Eccleſiaſque erigit. Sub Juliano apoſtata, idcirco acriter verberatur; pueris traditur, graphiis compungendus. Soli, nudus æſtate, garo, & melle unctus, apibus & muſcis exponitur. Cyrillo ejus Diacono, ob eandem cauſam venter aperitur, & interiora extrahuntur. In Aſcalone, & Gaza virginibus ſacris, & ſacris hominibus venter item aperiebatur, ibique immiſſum hordeum, porcis edendum tradebatur. Ita & ſancti noſtri conſummantur.

DIE TRIGESIMA.

Ruthenè: Joanna. Johannis.

Græce: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ συγγραφέως τοῦ κλίμακος. *Sancti Patris noſtri Johannis, qui ſcripſit Climacem.*

COMMENTARIUS.

Annorum ſexdecim, in Sina Monte monachum induit. Poſt multa virtutum & ſignorum curricula, fit Abbas ſancti montis Sinai, & ſcripta Scala, ſpiritum Deo reddit. Tempus ſiletur: ſed notum eſt eruditis, fortaſſe objiſſe, anno 580. circiter ætate annorum ejus 75. Memoratur etiam hac die, ſine diſticho, *ſanctus Pater noſter Zoſimus Epiſcopus Syracuſius.*

DIE TRIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Hypatii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος, καὶ θαυματουργοῦ Ὑπατίου Ἐπισκόπου Γαγγρῶν. *Sacroſancti Martyris, & Thaumaturgi Hypatii, Epiſcopi Gangrorum.*

COMMENTARIUS.

Cilix & Archiepiſcopus Gangrorum, Nicenæ Synodo interfuit. Sub Conſtantino Conſtantini filio, in Regio Ærario Draco quidam apparet. Inops conſilii Conſtantinus filius, ſe ſancti commendat precibus; ipſe in foveam eum ducit; in qua ille longus ſexaginta cubitis (πήχεις) obit. Imperator jubet ſancti imaginem ſibi fieri. Novatiani vero revertentem ad propria, variis armis, & lapidibus eum obruunt: projiciuntque in flumen, ac ſemimortuum, Novatiana, lapide ipſum impetit; & tandem ſic ille obit. Omnes percuſſores, a malis ſpiritibus poſſidentur: reliquias martyris in Acherona quodam occultant. Cujus erat ἀγρῷ Ruſticus, ibi cæleſtium ſpirituum audit cantum, & novit factum. Gangrenſes veniunt, & cum fletu, ejus referunt corpus in ſuam urbem, & condiunt loco optimo. Mulier illa, & reliqui percuſſores; in depoſitione corporis ſanantur omnes. Sola fabula in Dracone.

Eadem die, fit de ſancto Patre noſtro Acacio Epiſcopo Melitenes, confeſſore. Sub Decio Imperatore, & Marciano *Conſule* (ὑπάτῳ). Poſt multa tormenta, in pace moritur. Scriptum, reor, pro Ἀνθυπάτῳ: *Proconſule.*

MENSE APRILI.

Die prima.

Ruthenè: Maria. Mariæ.
Græcè: Τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Μαρίας τῆς Αἰγυπτίας. *Sanctæ Matris noſtræ Mariæ Ægyptiæ.*

COMMENTARIUS.

Acta nota, & optima, etſi quædam aliquibus ſint ſuſpecta.

Die secunda.

Ruthenè: Titu. Titi.
Græcè: Τῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν, καὶ θαυματουργῦ Τίτυ. *Sancti Patris noſtri, & Thaumaturgi Titi.*

COMMENTARIUS.

Ab ineunte ætate abit in Monaſterium, & virtutibus adeo floret, ut factus ſit Abbas: ac tandem in Domino ſancte obierit. Nec locus, nec tempus, nec alia narrantur, unde quid expiſcari poſſit.

Die tertia.

Ruthenè: Nikita. Nicetæ.
Græcè: Τῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν, καὶ ὁμολογητοῦ Νικήτα, Ἡγουμένου μονῆς τῆς Μηδικίου. *Sancti Patris noſtri, & Confeſſoris, Nicetæ Abbatis Monaſterii Medecii.* In rubrica Synoxarii: Μηδικίου *Medicii.*

COMMENTARIUS.

Abbas, ſub Iconomachis multa patitur, ejicitur in exſilium: ſancta mors. Alia non narrantur.

Eadem die: Τῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωσὴφ τοῦ Ὑμνογράφου. *Sancti Patris noſtri, Joſeph Hymnographi.*

COMMENTARIUS.

Siculus, ex patre Plotino, matre Agathe; poſt excidium patriæ ab Agarenis, *cum matre & fratribus, venit Peloponneſum.* Hinc Theſſalonicam, ubi fit monachus. Floret virtutibus. Eſt calligraphus. Fit presbyter. Non multo poſt, cum Gregorio Decapolita fit amicus: venit Conſtantinopolim, *& cum eo in Eccleſia ſancti martyris Antipæ, ſe claudit.* Orta hæreſi Iconomachiæ, profectus Romam, capitur a barbaris, & vinctus in Cretam ducitur. *Ibi apparet ei quidam vir habitu Epiſcopali: ex Myris Lyciæ, inquiens, huc veni; ſed accipe hunc* κουκούλιον *(hoc caputium) Qua accepta, legebat ſimul, & canebat: Accelera & feſtina miſericors in adjutorium noſtrum, quoniam potes, ſi vis. Quod & die ſequenti accidit. Reſtituuntur Imagines.* Liberatus venit Conſtantinopolim: *a quodam habet corpus ſancti Bartholomæi; ad cujus nomen, & ſancti Gregorii, Eccleſiam conſtruit: in cujus laudem, & geſta, plura canit. Habet Apoſtoli viſionem. Fit a ſancto Ignatio Patriarcha,* Scevophylax, *a Photio relegatur in Cherſona: eoque mortuo,* a Teodora Auguſta revocatur. Hymnis pangendis interim incumbit, ac tandem moritur ſancte, in Monaſterio, in quo manebat.

Ex aſteriſco *, Menologium Baſilii (quod ſilet ſignata omnia) ita ſequitur; *Poſt mortem vero Theophili Iconomachi e carcere ereptus, ope ſancti Nicolai; denuo Conſtantinopolim rediit: ubi calumniis & conviciis affectus relegatus eſt in Cherſonam. Inde autem revocatus, rurſum Byzantium profectus eſt, & factus fuit, ſacrorum vaſorum, magnæ Eccleſiæ cuſtos.* Τῦ ἁγίυ . . . . . . ejus Acta habet Bollandus, ad diem iſtam. In noſtris Ruthenis Tabulis, de ipſo, & Georgio agitur, die ſequenti.

Die quarta.

Ruthenè: Joſiphu. Georgii. Joſephi Georgii.
Græcè: Τοῦ ὁσίου, &c.

COMMENTARIUS.

Menologia nos coegerunt, ut de Joſepho, mox ſuperius loqueremur. Sed de Georgio, (de quo die quarta noſtra) Menolog. Græcorum habet: Τῦ ἁγίυ πατρὸς ἡμῶν Γεωργίυ, τῦ ἐν τῷ Μαλαίῳ. *Sancti Patris noſtri Georgii, qui vixit in Malæo:* quod eſt Promontorium Peloponeſi. Ætatem ejus autem, non habemus; carentes ejus Synaxario. Vide infra, die 7.

Cæterum, die quarta incipit confuſio & inverſio in Menologiis, loco iſto, dum noſtræ Tabulæ ſcribunt.

Die quinta.

Ruthenè: Theodulu. Agathopodu. Theoduli. Agathopodis.
Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Θεοδούλου, καὶ Ἀγαθόποδος: *Sanctorum Martyrum Theoduli, & Agathopodis.*

COMMENTARIUS.

Theſſalonicenſes, Theodolus lector, junior, Agathopus ſenex & Diaconus, ob Chriſti fidem, Fauſtino præſentantur, ſed conſtantes in confeſſione, in mare merguntur. Viſio ipſis prius hæc facta; videbantur ipſi ingredi navem, eaque naufragium paſſa, ſoli ſervari, montemque aſcendere.

dere. *In ſomnis etiam viderat Theodulus, quendam ſibi, dare annulum, arrabonem*: quæ omnia, martyrium ſignificabant. Signata ſilentur in Menologio Baſilii.

De his autem agit Menologium Græcorum, die quarta: ſed die quinta, de ſequentibus agit, quos noſtræ Tabulæ penitus non habent: & Menologium Baſilii die iſta, ſolum *ſanctam martyrem Pherbutham* habet, *& ejus ſocios*. Menol. Græcorum, ita die.

Τῶν ἁγίων μαρτύρων Κλαυδίου, Διοδώρου, Οὐίκτορος, Οὐικτωρίνου, Παππίου, Νικηφόρου, καὶ Σεραπίωνος: *Sanctorum Martyrum Claudii, Diodori, Victoris, Victorini, Pappii, Nicephori; & Serapionis*. De his noſtræ Tabulæ nihil habent; & Menologium, ſolum Triſtichon affert.

DIE SEXTA.

Ruthenè: Eutychii.

Græcè: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Εὐτυχίου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως. *Sancti Patris noſtri Eutychii Patriarchæ Conſtantinopoleos*. Menol. Baſilii dicit: Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως: *Archiepiſcopi Conſtantinopoleos*.

COMMENTARIUS.

Acta pretioſa, & ſcripta a diligentiſſimo & fideliſſimo, ejus diſcipulo Cyrillo, habentur apud Bollandum græcolatine.

DIE SEPTIMA.

Ruthenè: Georgii.

Græcè: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γεωργίου Ἐπισκόπου Μιτυλήνης. *Sancti Patris noſtri Georgii, Epiſcopi Mytelines*. In Rubrica alius Canonis, eadem die, dicitur: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν, Γεωργίου Μητροπολίτου Μιλιτίνης. *Sancti Patris noſtri Georgii Metropolitæ Militinæ*. Menol. Baſilii ſcribit: Μιτυλήνης: *Mitylenes*.

COMMENTARIUS.

A teneris unguiculis, Chriſti amator, ſuo tempore induit monachum. Miſericors in pauperes; fit Epiſcopus Melitinæ. Iconomachorum tempore, multos in ſalutis viam retrahit: tandem in pace obit. Ejus reliquiæ, ſunt, fons miraculorum.

Eadem die agitur de ſancto martyre Calliopio, qui natus Perge in Pamphylia, a ſe ipſo proditus, ſub Maximiano Imperatore, & Maximo Præſide, apud Pompejopolim; feria quinta majoris hebdomadis martyrium facit, & feria ſexta, circa horam tertiam, crucifixus defunctus eſt. Agitur & de ſancto martyre & Diacono Rufino, de ſancta martyre Aquilina juniore, & de 200. martyribus Sinopis, qui omnes ſola diſticha habent, & non Synaxaria. In Menologio Baſilii, Rufinus habet & ipſe Synaxarium.

DIE OCTAVA.

Ruthenè: Irodionu. Agabu. Herodionis. Agabi.

Græcè: Τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα, Ἡρωδίωνος, Ἀγάβου, Ῥούφου, Φλέγοντος, Ἀσυγκρίτου, καὶ Ἑρμοῦ. *Sanctorum Apoſtolorum e ſeptuaginta, Herodionis, Agabi, Rufi, Phlegontis, Aſyncriti, & Hermæ*.

COMMENTARIUS.

Herodion, Neopatrenſis Epiſcopus, Agabus prædicator per Orbem, Rufus Epiſcopus Thebarum, apud Helladem. Alii, prædicatores, hi ex Hebræis; hi, ex Ethnicis; per tormenta varia conſumuntur. In his autem narrationibus nihil certi. Menol. Baſilii hac die agit de ſancto martyre Pauſolypo, ſub Hadriano, in Regione & Provincia Europæ: & de ſancto Papa Cœleſtino.

DIE NONA.

Ruthenè: Eupſychii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Εὐψυχίου, τοῦ ἐν Καισαρείᾳ. *Sancti Martyris Eupſychii Cæſarienſis*.

COMMENTARIUS.

Cappadox, *& uxori alligatus*, Templum Fortunæ a fundamentis, zelo ductus evertit: in quod Julianus apoſtata. Re cognita; perſecutio in Chriſtianos alios, ipſi gladius. Signata ſilentur in Menologio Baſilii.

DIE DECIMA.

Ruthenè: Terentii. Pomphii. Terentii. Pompeii.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Τερεντίου, Πομπηΐου, Μαξίμου, Μακαρίου, Ἀφρικανοῦ, καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς. *Sanctorum Martyrum Terentii, Pompeii, Maximi, Macarii, Africani, eorumque Sociorum*.

COMMENTARIUS.

Africani ſub Decio Imperatore, & *Fortuniano* Præſide, primi in carcerem compinguntur: qui vero cum Zenone, Alexandro & Theodoro, per varia tormenta, gladio denique obtruncantur. Producti hinc, qui cum Terentio tenebantur, per varios & multos cruciatus, *& feras beſtias*, capite itidem obtruncantur. Nil tuti in his Actis, quæ ſunt ſaltem interpolata, ob prodigia, quæ in ea ingeruntur. In Rubrica Synaxarii, dicitur; καὶ ἑτέρων τριάκοντα ἕξ, τῶν περὶ τὸν μακάριον Ζήνωνα, καὶ Ἀλέξανδρον, καὶ Θεόδωρον: *& aliorum triginta ſex, qui fuerant, cum beato Zenone, & Alexandro, & Theodoro*. Menologium Baſilii ſilet nomen Præſidis: dicit: Ἡγεμόνος Ἀφρικῆς, quod vertendum eſt, *Proconſul Africæ*, non vero Præſes Africæ. Silet, & feras beſtias; & prodigia multa habet: nec

nec diviſionem illam martyrem per claſſes, & capita. Menologium Baſilii hac die agit, etiam de S. Agabo Apoſtolo.

DIE UNDECIMA.

Ruthenè: Antipu. Antipæ.
Græcè. Τῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἀντίπα ἐπισκόπου Περγάμου. *Sacroſancti martyris Antipæ, Epiſcopi Pergameni.*

COMMENTARIVS.

Synchronus ſanctorum Apoſtolorum, ab ipſis ſub Domitiano Epiſcopus Pergami ordinatur: quum Johannes Theologus & Evangeliſta in Patomo inſula exſulabat. Proditur a dæmoniis: a Præſide multis argumentis tentatur: reſpondet irridenter: in æneum ignitum bovem injicitur, *oransque pro ſuis perſecutoribus, & pro aliis; proque iis, qui ſui meminerint; ut a dentium doloribus liberentur*, obit: conditur. *Pergami fit ejus Synaxis, in Eccleſia S. Johannis Apoſtoli & Theologi, prope magnam Eccleſiam.* Signata ſilentur in Menologio Baſilii. Nihil tuti, nec veriſimilis, præcipue ille *taurus ignitus*, & illi *qui meminerint ſui*: quæ impoſtorum aperta ſigna.

DIE DUODECIMA.

Ruthenè: Baſilii.
Græcè: Τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου Ἐπισκόπου Παρίου. *Sancti Patris noſtri Baſilii Epiſcopi Parii.*

COMMENTARIVS.

Tempore Iconomachorum fit Epiſcopus Parii; & quod juxta divinum Paulum, eorum errorem ſequi reſpuebat, ſed etiam in ipſos ſcripſit, multa paſſus, tandem in pace obit. Ita & Menologium Baſilii, die ſequenti 13.

Eadem die, cum ſolo diſticho: Τῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἀρτέμωνος. *Sacroſancti martyris Artemonis.* De eo noſtræ Ruthenæ Tabulæ, die ſequenti agunt: in qua nihil ejus habet Menologium Græcorum; ſed die iſta: & hic e re eſto, ut ejus apponatur

COMMENTARIVS.

Presbyter Laodicenus, ſub Diocletiano, cum Siſinnio ſuo Epiſcopo, Fanum ingreſſus, idola ſubvertit: & Cæſareæ Cappadociæ, idcirco aſſatus moritur. Duæ Aquilæ in lebetem, pro martyre paratum, apprehenſum Præſidem attollunt, & injiciunt: & ita obit. Quanta fabula! *non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirundo.*

DIE DECIMATERTIA.

Ruthenè: Artemonu. Artemonis. De quo, die præcedenti dictum eſt.

DIE DECIMAQUARTA.

Ruthenè: Martinu. Martini.
Græcè: Τῦ ἁγίου Μαρτίνου Πάπα Ῥώμης. *Sancti Martini Papæ Romæ.*

COMMENTARIVS.

Acta nota. Sub Conſtantino Pogonato, quod in Sergium, Pyrrhum, & Theodorum, fulmen ſententiæ, cum ſua Romana Synodo contorſit, Conſtantinopolim accerſitus; *in Cherſonam Urbem* (ἐν Χερσῶνι τῇ πόλει) ab hæretico Imperatore relegatur: ubi reliquum vitæ ducens, ſancte obit. De ipſo Menol. Græcorum agit die præcedenti.

DIE DECIMAQUINTA:

Ruthenè: Ariſtarchu. Pudu. Trophimu: Ariſtarchi. Pudentii. Teoplimi.
Græcè: Τῦ ἁγίων Ἀποστόλων ἐκ τῶν ό., Ἀριστάρχου, Πούδη, καὶ Τροφίμου. *Sanctorum Apoſtolorum e ſeptuaginta, Ariſtarchii, Pudentis, & Trophimi.* De his noſtræ Ruthenæ Tabulæ agunt die ipſa. Menologium vero Græcorum, die decimaquarta.

COMMENTARIVS.

Diſcipuli Beati Apoſtoli Pauli, ejuſque comites & ſocii paſſionum; poſt ejus mortem, ſub Nerone paſſi ſunt: ſicut Dorotheus Romæ, latina lingua, de ipſis, reliquiſque Apoſtolis ſcripſit: ſcripſiſſe dicitur, & de aliis ſanctis & prophetis: ſed oppido nutant omnia hodie apud eruditos, quæ ſub ejus nomine circumferuntur.

Hac die 15. Menol. Græcorum agit, de ſancto martyre Creponte, nobili cive Myrorum Lyciæ; qui poſt multa tormenta, in igne paſſus eſt: ſub Hegemone anonymo, loco incerto, & ſine nota Imperatorum. In Menologio Baſilii de eo agitur die decimatertia. Agitur hic & de *Leonide Epiſcopo Athenarum*, cum ſolo diſticho. Ejus Synaxarium habet Menol. Baſilii, ſed dignitatem ſilet, & locum Epiſcopatus. Ait paſſus ipſo Reſurrectionis die, Corinthi, eo ab Athenis adductum ſub Præſide Anonymo, & poſt tormenta, cum aliis in mare projectum.

DIE DECIMASEXTA.

Ruthenè: Agapia. Itina. Chionia. Agapii. Irenis, & Chioniæ.
Græcè: Τῶν ἁγίων γυναικῶν Εἰρήνης, Ἀγάπης, καὶ Χιονίας. *Sanctarum mulierum Irenis, Agapis, & Chioniæ.* Menolog. Baſilii iſta hic ſilet.

COMMENTARIVS.

Quo tempore Chryſogonus, martyr ſub Diocletiano, capite obtruncatur, prope ſtagnum, ad quod tres hæ ſorores habitabant, cum Zoilo quodam ſervo Dei; Zoilo Chryſogonus apparet,

eique

eique pandit Anaſtaſiam, cum tribus his ſororibus paſſuram. Id reſcit Anaſtaſia, Zoilum ſequitur, ſalutat ſorores domi, eiſque præſtat ſervitutem ſuam. Diocletianus comprehenſas tradit Præſidi Provinciæ, qui in cuſtodiam ipſas claudit. Siſinnius Præſes ejus ſucceſſor, Agapem & Chioniam igni tradit; & Irenem militi, qui ſagitta emiſſa, eam configit. Ex Actis iſta ſuſpectis: genuina apud Ruinartium: in quibus Præſes ſemper dicitur Dulcetius, ac Irene, ignem item paſſa eſſe; ut frigus, ejus ſorores; & non ſagittam.

DIE DECIMASEPTIMA.

Ruthenè: Symeonu. Acaciu. Symeonis. Acacii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Συμεὼν τοῦ ἐν Περσίδι, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ: *Sacroſancti martyris Symeonis Perſæ, & ſociorum ejus*. In Rubrica Synaxarii, poſt Symeonem dicitur: Ἐπισκόπου Περσίδος, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, Ἀβδελλᾶ πρεσβυτέρου, Χουσδαζὰτ, Φουσὲκ, καὶ ἑτέρων, χιλίων ἑκατὸν πεντήκοντα: *Epiſcopi Perſidis, & ſociorum ejus, Abdella presbyteri, Chuſdazat, Phyſec, & aliorum mille, centum quinquaginta*. Menologium Baſilii, in ſeparato Synaxario, non *Chuſdazat*, ſed *Azat* habet Eunuchum

COMMENTARIUS.

Hi, dum Cteſiphon, & Salec, per Urbes Perſiæ Præſidatum gerunt; ſub Sapore Perſarum Rege, ad ipſum comprehenſi mittuntur. Symeon apoſtatam *Chuſdazat* convertit, & iſte patitur. *Phaſec erat Curopalata Regis; & quod damnatorum uni, timido animum fecerat, proditus, amittit linguam & pellem, quæ ei detracta fuit, & hinc moritur*, Reliqua turba, cum ſuo Epiſcopo, capite obtruncantur.

Menologium Baſilii, ait Azat, ab die magnæ Paraſceves, per decem dies factam hanc mortem. Phoſic, & reliqua penitus ſilet. In ſequenti vero Synaxario, *Phoſic, cum filia ſanctimoniali, dicitur feciſſe animum præsbytero Abdellæ; capite obtruncatur poſt tormenta*, omiſſo nomine *Chuſdazat*, *Præpoſitum* eum dicit. Narrat, poſt necem Azat, & aliorum, Saporem mortis Azacis pænituiſſe; & lege lata caviſſe, ne quis in poſterum, ut Chriſtianus occideretur: & reapſe, ad aliquod tempus, id obſervatum. Idem habet, martyres *ſolos centum quinquaginta*, abſque *mille: cum presbyteris & Diaconis, & aliis centumquinquaginta*. In ſequenti tamen Synaxario agit; *de ſanctis martyribus mille, & Azat Eunucho*. Cæterum ſignata alia, in Menologio Baſilii deſiderantur; nec quid habetur de ſancto *Acacio*.

DIE DECIMAOCTAVA.

Ruthenè: Joanna. Johannis.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου, μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Δεκαπολίτου. *Sancti Patris noſtri Johannis, Diſcipuli Sancti Gregorii Decapolitæ*.

COMMENTARIUS.

Synaxarium hic non habet noſter Johannes, ſed ſolum Canonem, Habet autem Menologium Baſilii, ſed alibi, die 15.

Eadem die: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Σάββα τοῦ στρατηλάτου. *Santi Martyris Sabbæ, magiſtri militum*.

COMMENTARIUS.

Sub Valentiniano Magno, & *Valente* Imperatoribus, Gotthus, ex Patria a civibus ſuis, ob fidem ejicitur. Tandem ſub Athanarico flagellatur; & poſt alia, apud flumen Muſæum, ad palum alligatus ſuffocatur; trigeſimum octavum ſuæ ætatis agens annum. Menologium Baſilii ſilet *Valentem*, & ſanctus dicitur, χρόνον ὑπάρχων τριάκοντα καὶ ἑνός; paſſus, *trigeſimum primum agens annum*. Vide infra die 24. Sabbam alium & Stratelatem, & Gotthum, & martyrem, ſub Aureliano Imperatore. Agitur, & hac die, de ſancto Coſma Archiepiſcopo Charthaginis, qui cum Auxentio, pro imaginibus paſſus eſt.

Eadem die agitur: Τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Ἀθανασίας. *Sanctæ matris noſtræ Athanaſiæ*.

COMMENTARIUS.

Nata in Ægina inſula, a parentibus invita marito traditur; qui poſt ſexdecim dies, a barbaris adventantibus, occiditur. Exit Imperatorum edictum, ut innuptæ & viduæ omnes nubant. Cogitur hinc & ipſa, & ad ſecunda convolat vota. Sed poſt aliquod tempus, marito novo etſi barbaro perſuadet, ut fiat monachus. Fit, & ſuo tempore in pace obit. Ipſa incumbit liberius ſanctæ vitæ: largius pauperibus donat ſua, quam antea, & cum aliis in Aſceterium convolat. In jejuniis vita aſperrima. Fit Hegumena poſt annos quatuor. Regit ad quatuor item annos: tum quietis amore egreditur Aſceterio, & Matthæo cuidam ſancto monacho, ſui curam committit. Pergit Conſtantinopolim, ubi Ignatio presbytero & Eunucho, denuo ſe committit, quod Matthæus miraculis & ſignis clarus, ad Dominum jam objerat. Ibi in Aſceterio alio manet ad annos ſeptem. Prioris Aſceterii jam ſollicita, & eo ex revelatione revocata. Duodecim dies ante, ſuum obitum præcognoſcit: Hegumenam poſt ſe futuram deſignat, & tandem obit. Energumeni, infirmi, ægri in ejus depoſitione, gratiam obtinent. Ex piis Actis; ſed quæ manum redolent, a qua ſcripta ſunt, mulierum. Rerum tempus nullibi apparet.

DIE DECIMANONA.

Ruthenè: Joanna. Johannis.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ Παλαιολαυρίτου. *Sancti Patris noſtri, Johannis Palæolauritæ*.

COM-

COMMENTARIUS.

Hac die Menologium Græcorum agit de ſancto Theodoro Tyrone, de S. Paphnutio in ſolo Canone: de ſanctis martyribus Socrate & Diotuſſio lancea transfverberatis, de ſancto Georgio Epiſcopo Piſidiæ (Piſidiam ſilet Menologium Baſilii, & dicit *Antiochiam*, ſcilicet Piſidiæ) confeſſore ſub Iconomachis; & de S. Tryphone Patriarcha Conſtantinopolis. De S. Johanne aliquo nulla mentio. Sequenti vero die agunt de ſancto Johanne Palæolaurita noſtro: qui forſan noſter eſt, de quo noſtræ Ruthenæ Tabulæ.

Relicta patria, quæ ſiletur, pergit in exteram & incognitam Regionem, venit ad ſancta loca, ingreditur Monaſterium beati Charitonis: ibique ſe ſanctificans magis; ad Deum tandem abiit. Baſilii Menologium eſſe idem ac ille diſcipulus S. Gregorii Decapolitæ; poſt cujus mortem, peregre profectus, in Beati Charitonis Laura ſe receperit. Fruſtra ergo eum bis dicit & dividit ut duplicem, Menologium hic Græcorum.

DIE VIGESIMA.

Ruthenè: Theodoru. Theodori.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοδώρου τοῦ Τριχινᾶ. *Sancti Patris noſtri Thedori Trichinæ.*

COMMENTARIUS.

Theodorus Trichina Synaxarium habet breve, ſine alio ejus vitæ, quam quod (καὶ κρύει καὶ παγετῷ πηγνύμενος, τριχίνοις, καὶ ἀδιαλείπτως ἀπαύστως ... ἐκαλύπτετο· ὅθεν καὶ τοῦ τριχινᾶ μετέσχεν ὀνόματος) *in frigore & glacie obluctatus, aſperitatibus & ciliciis circumjectis, carnem operiebat. Quamobrem Trichinæ nomen eſt aſſecutus.* Sancte demum obivit; in vita terribilis in Dæmones, & poſt mortem, myron e ſuo ſepulchro emittens. Non alia, nec tempus habet: & Menologium Baſilii, *eum natum ait Conſtantinopoli*; & de *myro* ſilet.

DIE VIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Jannuarii. Januarii.
Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἰαννουαρίου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ. *Sacroſancti martyris Januarii, & ſociorum ejus.* Qui in Rubrica Synaxarii, afferuntur ſub nomine: Προβούλου, Σώσσου, καὶ Φαύστου διακόνων, Ἀντιδόχου ἀναγνώστου, Εὐτυχίου, καὶ Ἀκουτίωνος: *Probuli, Soſſi, & Fauſti diaconorum: Deſiderii lectoris, Eutychii, & Acutionis.* Sed errat valde in nominibus; quæ ſunt, *Proculus, Soſius, Feſtus, Eutyches, & Acutius.*

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano Imperatore, & Timotheo Campaniæ Conſulari, alii poſt alios, & tormenta varia decollantur. Januarius in ardentem caminum projicitur; & ex ea incolumis, nervis contuſus, tandem & ipſa, gladio obtruncatur. Ejus miraculum poſt mortem recitatur, in filio viduæ Maximinæ, qui mortuus ad vitam, ex palliolo cum ſancti effigie ei ſuperpoſito, ſuſcitatur. Conſularia ejus Acta, græcolatina habentur, ſed aliquantulum vitiata. Nec ea, quæ ſub nomine monachi Emmanuelis leguntur, ab interpolatione noni ſœculi ſunt immunia. Nos utraque dedimus, in ſancti hujus, & ſociorum vita & martyrio: iterum vero, Deo dante, ad ſecundas curas, examinanda. Menologium Baſilii, quod eſt antiquius illo Græcorum, eorum Athleſim habet, cum Actis & Latina Eccleſia ad diem 19. Septembris: non vero hac die 21. Aprilis. Et nos remur, hac die factum miraculum, ſuſcitati filii ſanctiſſimæ Viduæ Maximinæ; (*Maximam* dicunt Acta) quod in Ænaria inſula factum habent Acta (quæ protulimus pag. 148. & 155.) oſtendentes id accidiſſe nono ſœculo, ante medium. Hinc Baſilii Menologium, illico illius meminit, & hac die, qua ipſum patratum fuerat.

DIE VIGESIMASECUNDA.

Ruthenè: Theodoru. Theodori.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοδώρου τοῦ Συκεώτου, Ἐπισκόπου Ἀναστασιουπόλεως: *Sancti Patris noſtri Theodori, Sycootæ, Epiſcopi Anaſtaſiopoleos.*

COMMENTARIUS.

Galata ex loco Sycæo, ſub Juſtiniano natus ſeniore. Acta pretioſa jam dedit Bollandus, ad hanc diem. Ex ipſis, hæc Synaxarii ſunt educta.

DIE VIGESIMATERTIA.

Ruthenè: Georgii.
Græcè: Τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου μεγαλομάρτυρος Γεωργίου, τοῦ Τροπαιοφόρου. *Sancti, & magni, & glorioſi martyris, Georgii Triumphatoris.*

COMMENTARIUS.

Cappadox, ſub Diocletiano, inter Tribunos militum clarus, dignitate Comes; ſuborta perſecutione, Chriſtianum ſe declarat. Reliqua, ut in Actis: quæ monſtra ſunt & fabulæ, cuſæ Conſtantinopoli; *ubi fit ejus Synaxis, in ſanctiſſimo ejus martyrio, quod eſt in Deutero*: quæ deſunt in Menologio Baſilii. Sequuntur tria miracula, in tribus Synaxariis, ſeu capitibus diſtincta. Primum in Syria ad caſtrum Ramel. ſecundum in Mitylene, in puero inde ab Agarenis abducto. Tertium in Paphlagonia. Secundum, Græci ad verbum tribuunt etiam Nicolao. Nimirum fabulæ fabulis aggeruntur.

DIE VIGESIMAQUARTA.

Ruthenè: Sabba. Sabbæ.
Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Σάββα, τοῦ στρατηλάτου. *Sancti martyris Sabbæ magiſtri militum.*

COM-

COMMENTARIUS.

Gotthus gente, dignitate magiſter militum, Romæ ſub Aureliano Imperatore, proditur ut Chriſtianus, coram Imperatore Zonam projicit: torquetur: lampadibus uritur: in lebetem pice ferventi plenam injicitur: ſalvus: ſeptuaginta viri in Chriſtum credunt, & pro eo martyrium faciunt. In cuſtodia Sabbæ Chriſtus apparet, & eum roborat. Reproducitur: in flumen mergitur, *& in ætatis flore martyrium ſubit. Colore albus, vultu ruber, capillo flavus: barba, & oculis pulcher, ſed fortis, & miles optimus.* Vereor, ne idem ſit ac ille Sabba Gotthus, de quo ſupra, die 18. hujus menſis. De eo agit Baſilii Menologium, die 25. poſt *Marcum*, non autem merſum in flumen dicit, ſed gladio conſummatur; nec de ſtatua, & ſignatis loquitur.

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè: Marcu. Marci.
Græcè: Τῦ ἁγίου Αποςόλου καὶ Εὐαγγελιςῦ Μάρκου: *Sancti Apoſtoli, & Evangeliſtæ Marci.*

COMMENTARIUS.

Sub Tiberio Imperatore Chriſtum toti Ægypto, Libyæ, & Pentapoli prædicavit. Evangelium ſcripſit, dictante Petro. Cyrena in Pentapoli miracula multa egit. *Hinc venit Alexandriam, & rurſum hinc Pentapolim eſt reverſus, ubique Eccleſias, & Epiſcopos conſtituens, cleriſque* ordinans. Tum denuò veniens Alexandriam, & quoſdam fratres ad mare, *in domo Bucoli inveniens*, evangelizare & prædicare cum ipſis ſequitur. Id ægre ferentes Ethnici, funibus eum per terram trahunt, & carnes ejus per ſaxa elidunt. In carcerem poſtea ita truditur; ubi Dominus ei apparet, & ejus futuram oſtendit gloriam. Die ſequenti, iterum alligatus per plateas raptatur, & ſpiritum Deo reddit. Deſcribitur ejus forma & ſtatura: quæ ſunt omnia ex præconceptis opinionibus, ex picturis, quæ proſtabant dum ſcriptor pinxit. Agitur ejus Synaxis, in ejus Apoſtolio, quod eſt prope *Taurum* Conſtantinopoli. In Actis nil certi, aut certo ex fonte. Quarto ſœculo habebatur, ſediſſe, docuiſſe in Cathedra Alexandriæ. Et ſi interroger; mihi (poſt Valeſium, alioſque Doctores) videtur, Evangeliſtà fuiſſe, non vero primus Epiſcopus ejus loci. Decimus ſextus Alexandrinus Epiſcopus, ſanctus Marcus, primus loci Epiſcopus, ex Gentibus; ſub Hadriani extremis, & ſub Pii anno octavo; fucum feciſſe Græcis creditur; dum *Marcum Evangeliſtam, primum* obtruſerunt *Epiſcopum Alexandrinum*. Hallucinatio facillima; ex cognatione ejuſdem nominis in utroque.

DIE VIGESIMASEXTA.

Ruthenè: Baſilii.
Græcè: Τῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Βασιλείου Επισκόπου Αμασείας: *Sacroſancti martyris, Baſilii Epiſcopi Amaſiæ.*

COMMENTARIUS.

Sub Licinio Epiſcopus Metropoleos Aniſiæ fuit Baſilius iſte. A Conſtantino autem Magno Licinius miſſus, contra Maximianum, & ad regendam quandam Orientis partem; hic Nicomediæ poſitus, & Baſilium cum quadam puella Glaphyra, quæ apud eum *profugerat* (προσκεχορευομένης) imperat ad ſe adduci: quod puella, ſerva Conſtantinæ uxoris ſuæ, ab eo tentata ſtupri; a Conſtantina Auguſta, in Orientem cum auro miſſa fuerat; & tandem *ex locis multis*, Apameam venerat ad Baſilium; & Licinius id reſcierat. *Dedit autem Glaphyra, Epiſcopo aurum pro Eccleſia conſtruenda*. Quod autem ante juſſa, objerat mortem Glaphyra; Baſilius ſolus ducitur ad Licinium, & obtruncatur. Corpus in navi imponitur, ſeorſim a capite, & ejicitur: ſed miraculo; ſecundum phyſicam armoniam, iterum conveniunt membra, & cum capite colligantur. In Sinopis Sinu, *a Piſcatoribus in Sagena* reperitur, *duciturque ad terram* (πρὸς τὴν χέρσον) *ſicut angelus Elpidiphoro, qui prius Baſilium Nicomediæ exceperat, revelavit. Qui ſupervenieus cum Diaconis Theotimo & Parthenio, qui ex Apamea ſanctum ſequuti fuerant; eductum e Sagena, unguentis, & ſpiritualibus canticis ipſum honorantes*; Apameam invexerunt. In Menologio Baſilii ſignata deſunt: ait vero, *corpus undis ſupernataſſe: in Sinope urbe inventum; ac deinceps Amaſiam depoſitum fuiſſe*. Vide infra die 30. ubi de inventione agitur ejus reliquiarum. De Glaphyra hinc Menologium agit, cum ſola rubrica & diſticho: Ἡ ἁγία Γλαφύρα ἐν εἰρήνῃ τελευτᾷ: *ſancta Glaphyra in pace obit.*

DIE VIGESIMASEPTIMA.

Ruthenè: Symeonu. Symeonis.
Græcè: Τῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Συμεὼν, συγγενοῦς, τῦ Κυρίου. *Sancti Symeonis, Domini conſanguinei.* In Rubrica Synaxarii, additur; Επισκόπου Ιεροσολύμων: *Epiſcopi Hieroſolymæ*. De eo Menologium Baſilii, ne dum hac die, ſed & toto menſe ſilet.

COMMENTARIUS.

Filius ſancti Joſephi, Sponſi beatæ Virginis, & frater Jacobi, Sacerdos a Domino ordinatur Hieroſolymæ. Poſt multa, in crucem agitur, annum agens centeſimum vigeſimum. Audiebat idcirco Symeon, etiam frater Domini.

Die vigeſimanona, Menologium Baſilii agit, de ſancto Simeone Cananæo, qui poſt Chriſtum prædicavit Edeſſæ in Meſopotamia, & ibi tandem

dem in pace objit. Et hic Symeon non eſt ille hujus diei.

Eadem die 27. de ſanctis agitur Apoſtolis e 70. Ariſtarcho, Marco, & Zenone. Primus dicitur ab Apoſtolis ordinatus Epiſcopus *Apamiæ* Syriæ; ut & Marcus (qui & Johannes) Epiſcopus *Bibliopolis*; Zenon, Juriſperitus ille, (de quo Paulus ad Romanos) a beato Petro, primus ordinatus Epiſcopus *Dioſpoleos*.

Die vigesimaoctava.

Ruthenè: Jaſonu. Soſipatru. Jaſonis. Soſipatri.

Græcè: Τῶν ἁγίων ἀποστόλων, Ἰάσωνος, καὶ Σωσιπάτρου. *Sanctorum Apoſtolorum Jaſonis, & Soſipatri*. Menolog. Græc. de his agit die 29. & illud Baſilii die 27. Noſtris Tabulis nos ſervimus.

COMMENTARIUS.

Synaxarium longiuſculum, & plenum fabulis. Jaſon Tarſenſis, & Soſipater Athæus, a magiſtro Paulo Apoſtolo, ille patriæ, hic Iconii Epiſcopi ordinantur. Veniunt ambo Corcyram inſulam, ibique Eccleſiam erigunt Stephani Protomartyris. A Cercyllino Regulo (hinc incipiunt myſteria fabularum) in carcerem compinguntur: in quo latronum primates ſeptem, Saturninus, *Jaciſcholus*, *Fauſtianus*, *Januarius*, *Marſalius*, *Euphraſius*, & *Mamminus*, ab ipſis ad fidem convertuntur: qui hinc in ignitis lebetibus pice & ſulphure plenis, martyrium faciunt. Convertitur etiam cuſtos carceris: qui *manu & pedibus mutilatus*, capite obtruncatur. Sed ejus nomen ſiletur. *Apoſtoli Præfecto traduntur Carpiano, qui poſt interrogationem, in carcerem iterum eos claudit*. Cercyra filia Cercyllini, *id cernens, & cauſa intellecta*, Chriſtum fatetur, & ornatum dat pauperibus muliebrem. Pater eam carceri tradit, & Æthiopi corrumpendam exponit. A *fera* beſtia hic *laceratur, ſed ſuſcitat eum virgo*: unde & credit; *& poſt tormenta*, necatur. *In ignem injecta virgo, incolumis extrahitur, & multi convertuntur*: ipſa ligno alligata, fumo enecatur. Perſecutionem Regulus excitat in Chriſtianos: Apoſtoli in proximam parvam inſulam fugiunt; eoſque Regulus inſequitur, ſed mergitur ut Pharao; & apoſtoli ibi prædicant. Ejus ſucceſſor Regulus, eos *in dolium* (πίθον) *ferreum, pice plenum, reſina & cera* injicit. Sed ipſi a Deo incolumes ſervantur; *& infideles comburuntur*; alii *convertuntur*. A Jaſone convertitur & Regulus, & populus; & Regulus, Sebaſtianus dicitur in baptiſmo. *Non multo poſt, moritur hujus filia; & a Jaſone ſuſcitatur: & hinc pulcherrimæ Eccleſiæ eriguntur*. Tandem in bona ſenectute obit Apoſtolus. Ad nauſeam uſque congeſtæ fabulæ. Nec ſui memor eſt fabulator: dum in rubrica alia, de ſancta Cercyra agit, filia Reguli Cercyllini: Ἡ τοῖς βέλεσι κατατρωθεῖσα, τελευτᾷ, *quæ ſagittis confixa, diem claudit*. Supra dixerat, *fumo enecatam*: Καπνῷ πνιγομένη ἐκτίθεται, ἕως τὸ πνεῦμα αὐτῆς τῷ Θεῷ παρέθετο. *Fumo ſuffocanda exponitur, donec ejus ſpiritum Deo tradidit*. Nec de ipſa poſtea ſermo amplius. Menologium Baſilii, ſignata ſilet. Jaſonis *patriæ*, addit *in Athaja*; pro *Jaciſcholo &c.* dicit, *& ſociorum ejus*; ſcilicet *Saturnini*. *Cuſtodem carceris* dicit Antonium. *Feram* ait, *Urſam aliunde ſupervenientem*. Pro *dolio*, *in fornacem injectum* dicit; εἰς κάμινον. Idem Menologium narrat, *poſt Antonium* obtruncatum, ignem e cælo delapſum, duos Cercyllini filios & uxorem combuſſiſſe. Tum ſanctos ſolutos. Sed Carpianus Præſes inſulæ, juſſu Reguli Cercyllini, tormentis eos ſubjeciſſe. Cercyra hæc proſpiciens ex feneſtra; credit, & a patre traditur Præſidi, qui eam Æthiopi corrumpendam tradit. Hinc Urſa. Hinc ille credit, & obtruncatur: ſed fera non lacerat, nec ipſe prius ſuſcitatur. *Poſt ſummum* ait, *Cercyram ſagittis confixam, ac demum lapidibus eſſe obrutam*: qua ratione, procedunt recte. *Poſt Cercyræ martyrium, poſſos eſſe illos latrones*. Et tribus Synaxariis, de his agit. Cæterum Acta, & nomina Reguli, & filiæ, tota ſunt mera fabula. Vide de ſancto Patricio, die ſequenti.

Die vigesimanona.

Ruthenè: Doviat Muconu Cyſicina. Novem martyrum Cyſici.

Græcè: Τῶν ἁγίων ἐννέα μαρτύρων, τῶν ἐν Κυζίκῳ, Θεόγνιδος, Ῥούφου, Ἀντιπάτρου, Θεοστίχου, Ἀρτεμᾶ, Μάγνου, Θεοδότου, Θαυμασίου, καὶ Φιλήμονος. *Novem Sanctorum martyrum Cyzici, Theognidis, Rufi Antipatri, Theoſtichi, Artemæ, Magni, Theodoti, Thaumaſii, & Philemonis*.

COMMENTARIUS.

Sequimur noſtras Tabulas, quæ de ipſis hac die agunt: Græci vero die præcedenti. 28. Cæterum hi martyres, ex diverſis locis collecti, Cyzici ſub anonymo Præſide, ob Chriſti fidem, gladio feriuntur. Nec tempus, nec Imperatores memorantur.

Eadem die (nempe 28.) agitur in Menol. Gr. de ſancto Patricio martyre, & Epiſcopo Pruſæ, ad Olympum montem in Bithynia. Ex ejus Synaxario, tanquam martyris ſub Idololatris; verba illa educimus; quæ de Veſuvio monte habet. Ex quibus, ſexti ſæculi initiis opus eſſet, eum paſſum; quod, ipſum Neapoli noſtra, cum Stephano loci Epiſcopo, aſtruit adfuiſſe, dum ἐξελθὼν μετὰ λιτῆς, ἐδεήθη τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ πῦρ κατεπαύθη: *egreſſus cum ſupplicatione* (Stephanus ſanctiſſimus (ὁσιώτατος) Epiſcopus) *dum preſeus eſt; ac portinus fluenta ignis* (veſurii) *ſtetere*. Hoc accidit anno 512. Vide Patricii acta apud Ruinartium. Sed tempus martyrii ad ſextum ſæculum Pruſæ, & ab Ethnicis ibi facti, nobis penitus non probatur. Adjectum crediderim potius ejus Actis, ab inſcio; qui vero noverit illud incendium montis, & rem a Stephano geſtam; qui vere ſedebat Neapoli, anno 511. & 512. Patricius de Thermis, & ſubterraneis ignibus loquitur Julio Proco.

cos. Sub *Idololatris*: nec annum affigit Ruinartius. Hæc occaſio plaſti, dicendi de Ætnæ, & Veſuvii incendiis, tanquam diſſeratis a Patricio. Quod ipſe vera noverat, in os martyris appoſuit.

DIE TRIGESIMA.

Ruthenè: Jacobu. Jacobi.

Græcè: Τῦ ἁγίȣ ἀποςόλου Ἰακώβου, ἀδελφοῦ Ἰωάννου τῦ Θεολόγου. *Sancti apoſtoli Jacobi, fratris Johannis Theologi.*

COMMENTARIUS.

Filius Zebedæi, frater Johannis Theologi; poſt vocationem Andreæ & Petri, cum fratre ſuo a Domino vocatur: & reliqua e ſcriptura. Ab Herode, poſt mortem Stephani, gladio percuti juſſus eſt.

Eadem die; Ἡ εὕρεσις τῶν λειψάνων τȣ ἁγίȣ ἱερομάρτυρος Βασιλέως ἐπισκόπȣ Ἀμασείας. *Inventio reliquiarum, ſacroſancti martyris Baſilii; Epiſcopi Amaſiæ.* Solum diſtichon. Actum de ipſo ſupra, die 26. Menologium Baſilii, ait de ipſo: *Fratris Domini* (ἀδελφȣ̃ τȣ Κυρίȣ) & facit eum, filium Joſephi Sponſi, & fratrem Domini, ſecundum carnem, primumque Epiſcopum Hieroſolymæ, cognomento Juſtum; ab Anano Sacerdote (poſtquam Paulo Romam profecto, fruſtrati ſunt) e pinnaculo Templi detruſum, & a fullone, ligno inde peremptum. Confundit ergo ipſum, cum filio Zebedæi, & impie, filium etiam Mariæ, *ſecundum carnem*, ex matrimonio, cum ea genitum a Joſepho. Quæ fabula perdit ſcripturam. Ergo eſt impia & hæretica; & contra Αντηρθέιω.

MENSE MAJO.

DIE PRIMA.

Ruthenè: Jeremia. Hieremiæ.

Græcè: Τῦ ἁγίου προφήτȣ Ἱερεμίου: *Sancti prophetæ Hieremiæ.*

COMMENTARIUS.

Poſt multa, quæ e ſcripturis repetuntur, fabulæ efferuntur: ut quod Macedo Alexander, oſſa Prophetæ tranſtulit Alexandriam, & per circuitum mæniorum ſeminavit, ut aſpides exinde eliminaret: quod vivus Ægyptiis beneficium hoc contulerit: & mortuus, fidelibus, qui erant in eo loco, ut ab aſpidum ictibus liberarentur: & alia ejuſmodi anilia, quæ tædet, pudetque referre hic. Menologium Baſilii nil habet inſanum; & breve eſt.

DIE SECUNDA.

Ruthenè: Athanaſii.

Græcè: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου Πατριάρχου Ἀλεξανδρείας. *Sancti Patris noſtri Athanaſii, Patriarchæ Alexandrini.*

COMMENTARIUS.

Gregorius Theologus de eo ſcripſiſſe dicitur: & idcirco pauca inde excerpiſſe refertur. Baptiſmus infantium, & alia, quæ conflant longiuſculum Synaxarium. Tandem, & lege, quæ latiſſime de eo ſcribunt Bollandiani, Tillemontius, Hermantius, Patres ſancti Mauri, & Bailletius; apud quos maxime, rerum ejus veritas illuceſcit. Breve eſt in Menologio Baſilii Synaxarium: ubi etiam baptiſmus pueri, & puer eſt Athanaſius.

DIE TERTIA.

Ruthenè: Timothei. Maura. Timothei. Mauræ.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Τιμοθέου, καὶ Μαύρας. *Sanctorum martyrum Timothei, & Mauræ.*

COMMENTARIUS.

Timotheus, *ex clerico Vici Penapeorum* (πεναπέων ἐκ κώμης) cum uxore vix dies viginti agit, & Arriano Præſidi Thebaidis, defertur ut Chriſtianus. Jubetur tradere ſacros libros, & quod ipſe renuit; ignito in ejus aures immiſſo ferro; oculi ei erumpunt; hinc ei ad rotam alligato aſtragali applicantur: tormenta alia. Ut eum inducat, uxorem Mauram, viro jubet ſuadere. Illa autem, ne dum renuit, quin Chriſtianam ſe profitetur, & idcirco cruciatur; crines evelluntur, & *manuum ei digiti amputantur; & ardenti aqua eluitur; e quibus tamen incolumis evadit.* Poſt alia multa crucifiguntur, & ad novem dies in cruce vivunt: *ipſi invicem ſibi animos addunt*; & ſic in Domino moriuntur. *Mauræ, dum erat in Cruce, ut lucis angelus, diabolus apparet, eique, melle & lacte plenum calicem offert; quæ ſe non illum bibere reſpondet, ſed ex calice & aqua bibere, quæ dabit ei Chriſtus. Victo diabolo, apparet Mauræ bonus angelus, qui gloriam ejus, ejuſque viri, oſtendit Mauræ. Hæc angelus ei in Ecſtaſi. In ſanctiſſimo eorum martyrio fit Synaxis, quod eſt extra Conſtantinopolim, in Juſtinianæis Ædibus.* Si quid in longioribus Actis eorum, quæ non habemus, ſit fictonis, manui hæc tribuenda, & officinæ, eorum, qui Conſtantinopoli, *hoc martyrium* dirigebant. Menologium Baſilii, Timotheum, dicit *Lectorem*: crucifixos eos ait, ad parietem: & quæ ſignata ſunt, alte ſilet.

Die quarta.

Ruthenè : Pelagia . Irina . Pelagiæ . Irenis . Græcè : Τῆς ἁγίας μάρτυρος Πελαγίας . *Sanctæ martyris Pelagiæ* . Itemque : Τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος Εἰρήνης : *Sanctæ magnæque martyris Irenis* . Sed de hac, die ſequenti agit Menologium , tam Baſilii , quam Græcorum. Noſtræ Tabulæ die iſta : nos eas ſequimur .

COMMENTARIUS.

Tarſenſis ſub Diocletiano Pelagia , ex viſione ei facta in ſomnis , adit Epiſcopum , & baptizatur . *Filius Imperatoris eam deſpondens* (υἱὸς τοῦ βασιλέως ἁρμοσάμενος αὐτὴν) ubi norit eam baptiſmo tinctam , ex nimio mærore & dolore , ſe ipſum necat . Diocletianus , ubi ipſam a fide revocare non poteſt , in æneum ignitum taurum , eam injici jubet , & ita ipſa martyrium fecit . Fabula in amante , & dolore defuncto filio Imperatoris Diocletiani : fabula in Tauro candente , & in ipſum injecta martyre . Ubicumque hi Tauri , confeſtim apertæ fabulæ . Menologium Baſilii , de hac Tarſenſi Pelagia agit die 7. Octobris , ubi eadem narrantur . Vide Baronium ad hanc diem Martyrologii : & in diebus S. Antipæ , & Euſtathii , ſeu Euſtachii , & ſociorum : ubi ſunt iſti Tauri .

Irene *unigenita* filia Licinii *Reguli* (βασιλίσκου) & Liciniæ , ex urbe *Mageddo* Μαγεδὼν . Maggedo *urbs Palæſtinæ , in Samaria* . *Juvencus lib.3. Inde Mageddarum navi tranſcurrit in oras . Penelope antea a genitoribus appellatur* ; a patre , quod pulchra nimis erat ; in alta Turri , cum aliis puellis tredecim , annorum cum eſſet ſex , clauditur . Ibi ipſa dum a ſene quodam Apelliano , in literis inſtruitur ; quadam nocte , inviſione columbam aſpicit olivæ ramum , & aquilam , coronam ex floribus , ſub menſam ſibi afferentes . Ex porta alia *corvum* (κόρακα) & ſerpentem videt ingredi , & ſub menſam etiam ſeſe ſiſtere . Dum quid hæc ſibi velint , ſecum cogitat ; Apellianus ei aperit hæc arcana . *Columbam* ſcilicet *ſignificare ſcholam* (παιδευτήριον) *ſententiæ* (τῆς γνώμης) *olivæ ramum , ſignaculum actionum , & domicilium baptiſmi* (οἰκητήριον βαπτίσματος) : aquilam vero , reginam voluerum , per coronam ; electorum victoriam ſignificare : corvum & ſerpentem , tribulationem & mæſtitiam ſignificare : hæcque ei , pro Chriſto martyrium præſignare : quod ab angelo , *Irene* pro Penelope appellabitur : quod Timotheus diſcipulus Pauli Apoſtoli eam baptizabit .

Tunc ipſa conterit , & deorſum projicit Idola . Ubi pater rei fit conſcius , eam equis alligat ; quorum unus , calce manum ejus avellit , & occidit ; & humana voce , ſanctam , beatam prædicat . Ipſa ſoluta miraculoſe , a circumſtantibus commota , oratione fuſa patrem ſuſcitat . Qui cum uxore , & tribus millibus familiæ ſuæ , baptizatur ; relinquit Regnum ; & in Turri , in qua filiam clauſerat , ſe continet , uſque ad mortem . Pro eo Regnum ſuſcipit Sedecias ; qui martyrem iterum inſectatur . Patitur . In lacum plenum ſerpentium , inverſo capite poſita : ſed incolumis evadit . Poſt quatriduum educta , pedes perforantur : ſed angelus eam ſanat . Rotæ alligatur : quæ rotam volvebat aqua , rotam frangit , ipſa immobili . Eo miraculo , octo millia infidelium , Chriſto accedunt ; Regno ejicitur Sedecias ; & Soborio ejus filio (dum movet contra rebelles) Irene occurrit , & ipſum , & exercitum ejus omnem , cæcum reddit : tum ipſa orat , & iterum illi vident . Clavis igitur ei pedes transfiguntur , & ad tria milliaria raptatur . Terra hiſcit , & miniſtros Tyranni, & hominum decem millia abſorbet . Tunc triginta millia convertuntur . Tyrannus manet infidelis . Angelus , hoſtium transverberat quinque millia . In civitatem triumphabunda , redit Irene .

Ingreditur Turrim, in qua pater cum Timotheo presbytero degebat : & quinque millia hominum (qui ut docerentur , advenerant) convertit , & triginta cuſtodes Turris . Ipſa ducta ad urbem , in qua Imperator degebat Numerianus , & in tribus bobus æneis injecta , incolumis evadit . *Credunt fere centum millia* (σχεδὸν μυριάδες δέκα) Poſtea moritur Numerianus , ſed prius jubet ἐπάρχῳ , ut in eam animadvertat . Is eam in ignem mittit , ſed illa ſervatur . Eparchus , & alii , qui cum eo erant , convertuntur . Saborius Perſarum Rex, audita ejus fama jubet , ipſam capite plecti . Exſequuntur mandata : objit , & in monumento ponitur : ſed angelus eam *ſuſcitat* (ἀνίσταται) . Poſt ejus decollationem , & a mortuis reſurrectionem , *dicitur* (λέγεται) ingreſſa fuiſſe in Meſembriam, & viſa eſſe Imperatori , olivæ ramum in manu habens . Tunc illum Chriſto crediidiſſe , & a Timotheo presbytero baptizatum, cum multarum myriade multitudine . Reverſam hinc in Magedon propriam urbem , ad ſuos ; patrem jam mortuum ab ea defletum (θρηνοῦσαν) . Unitam ergo matri , & *a nebula* (ὑπὸ νεφέλης) ſurſum ſublatam eſſe , & Epheſi depoſitam ; in qua miracula multa patrans , degit .

Poſt hæc παραλαβοῦσα Apellianum , quem ei magiſtrum in literis in Turri , pater dederat ; & Epheſi ſanctam poſitam , ſolosque ſex homines & Apellianum παραλαβοῦσαν ; novaque in *larnaci* (λάρνακι) *urna* injectum corpus , in qua nemo potuit ſepeliri ; συνεπῖξαι uſque ad quatuor dies , neque ſuperpoſitum lapidem movere potuerunt , quem magiſter Apellianus illi impoſuerat . Poſt dies duos (num alios , an ex his quatuor ?) lapis inventus eſt revolutus , (ἠρμένος) & viſum eſt corpus martyris . Ταῦτα μὲν ἐν κατὰ ἀνθρωπίνους λογισμοὺς , ἴσως ποτὲ ἄπιστα δόξαιεν , ἀλλὰ τῷ Θεῷ δυνατὰ , τὰ περὶ ἀνθρώπους ἀδύνατα . *Atque hæc quidem , ſecundum humana ratiocinia , quibuſdam forte videbuntur incredibilia ; ſed quæ apud homines habentur impoſſibilia ; ea poſſibilia Deo ſunt* . Oportuit hanc putidam ſtercorariam, & immanis ignorantiæ fabulam , & perfrictæ frontis fætum ; ita ab authore , vallatam claudi , & obſerari . Aſt a quonam , ea arte , fidem extorquebit ? Ne ab aſino quidem modo . Num autem Epheſi (ubi diu

diu corpus requievit) ab otioſo, ex occaſione, quod Irenis Acta eſſent deperdita, & a cunctis ignorarentur, ex integro eſt conficta? An ſaltem ſuam etiam Conſtantinopolitani cloacam, pulmento inſano putidoque impoſuerunt? *Cloacinam* etenim dico hanc tabulam.

DIE QUINTA.

Ruthenè: Jobu. Jobi,

Græcè: Τῦ ἁγίου καὶ δικαίου Ἰὼβ. *Sancti & juſti Jobi*. Prophetæ.

COMMENTARIUS.

Ex Auſitide Regione (quæ inter fines eſt Idumeæ & Arabiæ) ex filiis Eſau, quintus ab Abraham; *patre natus Zaret, & matre Boſora; prius dictus eſt Jobab*: prophetavit annos 25. Ante Chriſtum annis 1925. Ipſum diabolus tentavit; & reliqua, ut ſcriptura. Poſt tribulationem vixit annos 170. (ρο.) Totius vitæ curſus anni 248. (σμη.) Menologium Baſilii ſilet ſignata; pro *Idumæa* ſcribit Judææ (Ἰουδαίας) pro *Jobab* habet *Joam*, (Ἰωὰμ) aitque prophetaſſe annis *trigintaquinque*, non vero *vigintiquinque*. Utrobique facilis error, ex auditu amanuenſis.

Eadem die agitur de ſacroſancto martyre Theodoto Epiſcopo Cyriniæ Cypri, ſub Licinio Imperatore, & Sabino Præſide. Duos annos advixit paci, per Conſtantinum. Ipſius meminit Menologium Baſilii die ... & die 2. Martii. Menolog. Græcor. de eo rurſum agit, cum eodem Synaxario, *duodecima* hujus die.

DIE SEXTA.

Ruthenè: Jaulenie Creſta Jeruſalimi. Apparitio Crucis in Hieruſalem.

Græcè: Μνήμη τῦ ἐν οὐρανῷ φανέντος σημείου τῦ τιμίου σταυροῦ, ὥρᾳ τρίτῃ τῆς ἡμέρας, ἐπὶ Κωνσταντίου βασιλέως, υἱοῦ Κωνσταντίνου τῦ μεγάλου. *Commemoratio ſigni pretioſæ Crucis, quod apparuit in cælo, hora diei tertia, ſub Conſtantio Imperatore, filio magni Conſtantini*.

COMMENTARIUS.

Septima die Maii, hora diei tertia, in diebus Pentecoſtis, viſa eſt Crux an. 351. efformata ex luce, omni vidente populo ſuper Golgotha, porrecta luce uſque ad montem olivarum. Quæ, marmorea claritate, ſolares radios occultavit. Omnes hinc in Eccleſiam, gratias & gloriam Deo dantes, perrexerant. Ejus meminit Hiſtoria Eccleſiaſtica. Menologium Baſilii addit, *ſub Cyrillo, Hieroſolymitano Archiepiſcopo*.

DIE SEPTIMA.

Ruthenè: Joanna. Arſenii. Johannis. Arſenii.

Græcè: Τῦ ἁγίου ἐνδόξου ἀποστόλου, καὶ εὐαγγελιστοῦ, ἐπιστηθίου, ἠγαπημένου, καὶ παρθένου, Ἰωάννου τῦ θεολόγου: ἤτοι, ἡ σύναξις τῆς ἁγίας κόνεως τῆς ἐκπεμπομένης ἐκ τῦ τάφου αὐτῦ: ἤτοι τῦ μάννα. *Sancti glorioſi Apoſtoli, & Evangeliſtæ, (qui ſupra pectus recubuit) dilecti, & virginis Johannis Theologi: ſive Synaxis ſancti Cineris, qui exit ex ejus ſepulchro: ſive Mannæ*.

COMMENTARIUS.

Cum Deus etiam loca & ſepulchra, in quibus claruerunt, & corpora ſanctorum ſepulta ſunt, plena gratiæ oſtendere dignatur: id aſſecutum eſt, ſepulchrum ſancti Johannis Apoſtoli & Evangeliſtæ & Theologi, dum is ibi, eo *transferendus, ſepultus eſt*: μέλλων μετατεθῆναι ἐτάφη· κόνιν ἁγίαν· ὃν οἱ ἐπιχώριοι, μάννα μετονομάζουσι: *ſanctum cinerem; quem incolæ manna vocant*. Sancti virtutes ſpiritus, *octava menſis Maii* (κατὰ τὴν ὀγδόην) quotannis de repente manans: quem devoti accipientes, omnibus cum eventu adhibent ſuis infirmitatibus. Menol. Baſilii habet eadem.

Sequitur aliud Synaxarium, ſeu pars altera jam dicti, cum epigraphe: Σωφρονίου: *Sophronii*. Num ſanctum Sophronium velit; ignoro. Alius datur S. Sophronius Epiſcopus Conſtantiæ Cypri; qui poſt Damianum Archiepiſcopum ſedit. De quo Menologium Baſilii agit, nona Decembris die. Pars autem iſta altera, hæc habet nova; quæ neutique habet Menologium Baſilii.

Sciendum (ἰστέον) *patrem Theologi, dictum fuiſſe Zebedæum, matrem Salomen: quæ fuit filia Joſephi, Sponſi Mariæ Virginis. Joſeph enim filios habuit quatuor, Jacobum, Symeonem, Judam, & Jeſum: & filias tres; Eſther, Martham, & hanc Salomen. Hinc ſervator avunculus* (θεῖος) *fuit Johannis, ut pote, frater Salomes. Dominus autem ſolum Petrum baptizavit, hic Andream, Andreas Jacobum, & Johannem. Johannes vero & Jacobus, reliquos Apoſtolos. Dum omnes fugiunt, Johannes hic dilectus in proditione, & apud Crucem adſtans, & ad monumentum cum Petro venit. Virginem ſuſcepit* in ſua (εἰς τὰ ἴδια): *tres matres in terra habuit Johannes: Salomen primo, hinc aliam* (quam non dicit: fortaſſe *Brontem*, & quam ſibi fabula fingit, *dum ipſe filius tonitrui* βροντῆς, *Brontis, ex Boanerges*, eſt appellatus) *Tertiam, beatam Virginem, a moriente ſervatore, eo loco & nomine ei traditam. Cæterum B. Virgo, a S. Petro & Johanne fuit baptizata; qui uſque ad ejus mortem, habuit eam ſecum: Hinc Epheſum eſt profectus, & oratione fuſa, Templum Artemidis a fundamentis evertit: & quatuor, hominum & mulierum centena millia, ejus idololatrorum convertit*: καὶ μέχρι τῆς κοιμήσεως αὐτῆς συνῆν αὐτῇ ὁ θεολόγος, καὶ μετὰ ταῦτα ἦλθεν εἰς Ἔφεσον, καὶ κατέβαλε διὰ προσευχῆς τὸν ναὸν τῆς Ἀρτέμιδος, καὶ τεσσαράκοντα ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν λατρευόντων τῇ Ἀρτέμιδι, τῆς πλάνης ἀπήλλαξε. *Mons, in quo eſt*

Templum ſancti Johannis, vocatur Libaton, (Λίβατον) ad occidentem habens ſanctum Timotheum. Sancta vero Maria Magdalena, & ſeptem pueri (dormientes opinor) *in monte vicino jacent, Chileon* (χιλέων) *appellato. Sancta Hermione, una ex filiabus ſancti Philippi (qui fuit ex ſeptem Diaconis) prophetiſſa, & ſorores aliæ, jacent in vicino etiam monte. Adauctus martyr, & ejus filia Calliſthene, & alii martyres, qui fuerunt Epiſcopi, Ariſton ſcilicet, Tyrannus, & Ariſtobulus: & Paulus primus Eremita, ibi & ipſi jacent. Synaxis ſancti Johannis Apoſtoli, fit in ejus Apoſtolio, quod eſt in Hebdomo Conſtantinopoli.* Inter multa ſomnia, & profundos ſomnos; multa vera. Effectus ſunt officinæ iſtius.

Eadem die: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀρσενίου τοῦ μεγάλου: *Sancti Patris noſtri Arſenii magni.*

Romanus Civis, ſub Theodoſio Magno, fit Diaconus. Suis liberis quærens magiſtrum optimum Imperator, *Gratiano ſcribit Auguſto, & Papæ Innocentio, & vix vi Arſenium obtinet.* Is Conſtantinopolim proficiſcitur: & apud Imperatorem & *Senatum* in maximo eſt honore. *Poſt aliqua, vocem audit dicentem ſibi: Arſeni fuge homines, & te ſerva.* Veſtem mutat, *tondet comam*, vadit *Alexandriam, & Scetim pergit; ibique vox alia: Arſeni, fuge, ſile, quieſce, & te ſerva. Viſitatur a Theophilo Alexandrino. Ac tandem prope centenarius in pace obit.* Signata ſilentur in Menologio Baſilii, quod pro *Alexandria*, ſolum *Ægyptum* habet.

DIE OCTAVA.

Ruthenè: Iſaia. Chriſtophoru. Eſaiæ. Chriſtophori.

Græcè: Τοῦ ἁγίου προφήτου Ἠσαΐου, καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Χριστοφόρου. *Sancti prophetæ Eſaiæ; & Sancti martyris Chriſtophori.*

COMMENTARIUS.

De Propheta, omnia e ſcriptura. De ſancto viro & magno martyre Chriſtophoro; portenta, & incredibilia narrantur: quod fuit canina facie, *ex Regione barbarorum*, qui devorant homines; quod a quodam Comite comprehenſus in bello, dum loqui nequit humana voce; orans, ab angelo *Reprobus* (*quod ejus proprium erat nomen*) audierit: Ῥέπροβε ἀνδρίζου; Reprobe eſto vir; & tactis ejus labiis, *fit græce* locutus. Civitatem ingreſſus, Idololatras objurgat, qui Chriſtianos perſequebantur. *A quodam Bacchio, apud quem fuerat accuſatus; quod comprehendi voluiſſet; alias, ne brachium quidem ejus, illi ducenti milites, qui a Rege miſſi fuerant, dum baculum manu habebat* (*quod miraculoſe germinavit* (ἐβλάστησε) *movere potuiſſent; verberatur.* Quomodo autem, mera vi, primum eſt comprehenſus?) Quo miraculo milites Chriſto credunt, & una cum ſancto Chriſtophoro, a ſancto Babyla Patriarcha Antiocheno baptizantur: ipſeque ex *Reprobo, Chriſtophorus* dictus eſt. *Ubi ipſum cernit Imperator, ſupinus retro cadit;* hinc ſurgit, & dolo aggreditur ſanctum vincere per duas meretrices, (quomodo duæ pupæ cum hoc gigante?) quorum altera Callinice, altera Aquilina dicebatur. Sed hæ ingreſſæ, a ſancto convertuntur, & pro Chriſto martyrium faciunt.

Imperator Decius ſancti vultum irridet; & ſanctus *filium capacem potentiæ diaboli eum dicit.* (δεκτικὸν αὐτὸν τῆς ἐνεργείας τοῦ διαβόλου εἰπόντος, τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ Δέκιος ὄνομα) *quod hoc ſignificet nomen Decius.* Papæ quantum arcanum! Illi converſi ducenti milites, producuntur, ſanctum adorant, & obtruncantur; & Chriſtophorus in æneam quandam *machinam* (ὄργανον) ſuppoſito igne clavis confixus injicitur; ſed eo incolumi, credit populus, facitque martyrium: ſancto *ſaxum collo alligatur, & projicitur in puteum* (grandem debuit, & profundum) ſed incolumis extrahitur inde ab angelis. Tunc æneo ignito pallio indutus, tandem gladio obtruncatur. *Fit ejus Synaxis, in ejus martyrio; quod eſt prope ſanctum Georgium Magnum martyrem in Cypariſſo.* E vicinia, concertatio, ad æmulationem, officinarum. A Latinis in Græciam perrexit fabula (ut ex latino nomine apparet, *Rebrobus*) & a Conſtantinopolitanis, quorum intererat, adoptata fuit. Unum ex fabula, mihi erui poſſe duco, ſanctum martyrem, Numidam fuiſſe, ex Regione Cynocephalorum; de qua Herodotus & Strabo: ex quo dictus ſit *Cynocephalus*: nec ſtatura repugnet, quod miles magnæ ſtaturæ fuerit. Antiochiæ a ſancto Babyla baptizatum, cum aliis militibus; ſub Decio Imperatore & Bauhio Præſide, capite amputatum. In Lycia alii paſſum dicunt: & (quod nomen ejus ignoraretur) *Chriſtophorum* nuncupatum: ſimile quid, cum ſancto Adaucto martyre, factum eſſe. Menologium Baſilii, e ſignatis multa non habet, ut *Græce* primum locutum eſſe: *a quodam Baubio &c.* pro quibus omnibus habet, *primum quidem plurimis cruciatibus affectum, ac tandem capite obtruncatum.* Vide, quæ ex vita ejus deſcripſi, ſcripta a Calogerio, apud Agapium Cretenſem in *Calogeriana*, lingua vernacula Græcorum, ubi eadem repetuntur. Nempe eum fuiſſe ἀπὸ τοὺς Κυνοκεφάλους, ὅπου τρώγει τοὺς ἀνθρώπους εἰς τὸν πόλεμον; *e Regione Cynocephalorum, ubi homines devorant, in bello.* in Numidia, in extremis Libyæ, & ante Pentapolim ponit eos Herodotus. Regnum Barcæ interius ego cenſeo. In inſula Corcyræ, Cynocephalos etiam fuiſſe ait . . . . . in Hiſtoria Byzantina.

DIE NONA.

Ruthenè: Simonu Zilotu. Simonis Zelotæ.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Σίμωνος τοῦ Ζηλωτοῦ; *Sancti Apoſtoli Simonis Zelotæ.*

COMMENTARIUS.

Ipſe ille Sponſus eſt, nuptiarum Canæ Galilææ, ex nomine prius Nathanaelis, dictus Simon; qui viſo aquæ in vinum converſæ miraculo, relinquit Sponſam, & ſequitur Chriſtum. Erat in cœnaculo,

lo, dum ſpiritus ſanctus in Apoſtolos deſcendit: ad Mauritaniam, & Aphros perrexit, Chriſtum prædicans. Tandem in Britannia ab infidelibus cruci confixus eſt. Fabula male conſarcinata in Menol. Baſilii, abſunt ſignata omnia.

Die decima.

Ruthenè: Mociu. Mocii.

Græcè: Τȣ͂ ἁγίȣ μάρτυρος Μωκίȣ: *Sancti martyris Mocii.*

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano, & Laodico (Λαοδίκȣ) *Proconſule Europæ, Amphipolitanus* presbyter, ex patre Euphratio, & matre Euſtathia, qui ex antiqua Roma, eo venerant, gentium incumbit converſioni. Dum a Proconſule paratur ſacrificium Dionyſo (Baccho), evertit Aram. Comprehenſus poſt tormenta alia, & caminum, cujus ignis Proconſulem *& novem alios*, qui cum eo erant, combuſſit, non vero Mocium; carceri reſtituitur, a Principe (officii, opinor) *Thalaggio. Sub Maximo Proconſule ſucceſſore, duabus rotis alligatus, ſervatuſque incolumis, uti etiam a feris beſtiis, clamante populo, ut ſolveretur, mittitur Philippeglon in Perintho* urbem Thraciæ, quæ nunc Heraclea dicitur; *hinc Byzantium*, ubi capite obtruncatur. *Tunc autem ad unum ab urbe milliare jacuit*. Sub Conſtantino verò Magno, a quo magnum ei Templum & ornatiſſimum fuit exſtructum, & huc translatum, *ubi fit ejus Synaxis*. Nec his Actis pepercit fabula, in *uſtione Laodicii, & aliorum novem*. Menologium Baſilii ſilet ſignata. *Laodicem* dicit *Byzantem*; *Euphratium* dicit *Euphratem*: Dionyſum (*Bacchum*) ſilet. Ipſe *in medio flammæ, viſus eſt cum tribus viris aliis pſallens &c.*

In undecima die Maii fit commemoratio Natalis Conſtantinopolis: Τὴν ἀνάμνησιν πνευματικῶς ἐπιτελοῦμεν τῶ γενεθλίȣ ταύτης τῆς θεοφυλάκτȣ καὶ βασιλίδος τῶν πόλεων, τῆς καὶ ἐξαίρετον ἀνακειμένης τῇ δεσποίνῃ ἡμῶν τῇ ἁγίᾳ θεοτόκῳ, καὶ ὑπ' αὐτῆς διὰ παντὸς σωζομένης. *Commemorationem ſpiritaliter facimus, Natalis hujus a Deo cuſtoditæ & Reginæ urbium, quæ ſub protectione eſt Dominæ noſtræ Sanctæ Dei genitricis, & ab ea ſemper ſervatur.*

Die undecima.

Ruthenè: Epiphanii. Germanu. Epiphanii, Germani.

Græcè: Τȣ͂ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἐπιφανίȣ Ἀρχιεπισκόπȣ Κωνςαντίας τῆς Κύπρȣ: *Sancti Patris noſtri Epiphanii, Arthiepiſcopi Conſtantiæ Cypri.*

COMMENTARIUS.

Phœnix, *ex agro Eleutheropolis*, & ex parentibus JudæiS, *qui manu ſua vitam quærebant*, venit nonnihil ad Chriſtum, *facem ei præferente quodam Cleobio, qui & erus plagatum ei curabat. Hinc Lucianum, monachum videns, pauperi ſtipem quærenti, dare pallium*, (Τριβώνιον) *eique inſuper dare ſtolam; credit prorſus, & ab Epiſcopo, quem ſilet, adhuc juvenculus baptizatur*, Fit monachus, floret virtutibus omnibus, & miraculis. Fit Archiepiſcopus. *Vixit annos 105. & menſes tres; ut ipſemet Arcadio Imperatori ſcripſit, qui de his eum interrogabat*. Mortuus eſt non in propria, ſed juxta petitionem (αἴτησιν) Chryſoſtomi, quod in ejus exilii ſententiam ſubſcripſit; Chryſoſtomumque *reſcripſiſſe ajunt; nec ipſum, ad locum, ad quem mittebatur exſul, perventurum*; τὸν δὲ φασιν ἀντιγράψαι, μηδὲ αὐτὸν, τὸν τόπον πρὸς ὃν ἀπέςαλτο ὑπερόριος, φθάσαι, καλιδεῖν. *Ejus Synaxis fit in ipſius Sacello, quod eſt intra Eccleſiam Sancti Philemonis*. Ex actis deducta hæc omnia, quæ ſub Amphilochi Iconienis Epiſcopi nomine circumferuntur. Nullius proinde fidei, aut valde modicæ. Vide Tillemontium, Bailletium, Bollandum, alios. Signata non habentur in Menologio Baſilii: quod hæc ultima ita narrat. Adactus autem ab Eudoxia Imp. Epiphanius, ut Chryſoſtomi exilio ſe ſubſcriberet; adduci non potuit ut id faceret. Cum vero illa comminaretur, niſi id ipſe faceret, idolorum Templa ſe aperturam, perſuaderi ſibi paſſus, ſubſcripſit. Quod ubi Chryſoſtomus intellexit; hæc ad ipſum ſcripſit: Epiphani, quoniam meo exilio conſenſiſti, nec tu ſedebis in throno tuo. Ille vero reſcripſiſſe dicitur: Athleta Johannes. verberare, & vince: ac demum in Cyprum navigans, in navigio vitam finivit, Hæc Baſilii Menologium: & notanda varietas in reſponſis. Menol. Græcorum certe; non abſolute loquitur, ſed dicit, φησὶν. Sed *verberare* non eſt in Græco: & παῖε, melius redderetur *vapula*.

Eadem die: Τȣ͂ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γερμανȣ͂ Πατριάρχȣ Κωνςαντινουπόλεως. *Sancti Patris noſtri, Germaniæ Patriarchæ Conſtantinopolis.*

COMMENTARIUS.

Filius Juſtiniani Patritii, qui ſub Heraclio multa præclara geſſit, & hinc ab Heraclii conſanguineo, ob invidiam eſt occiſus; ab eodem puerulus fit Eunuchus, & Conſtantinopolitano Clero annumerarur. Fit Epiſcopus Cyzici, hinc Patriarcha; ac tandem ſub Leone Iſauro, ſeſe abdicat Epiſcopum, ſuper menſam ſacram depoſito homophorio (hoc eſt *Pallio*) ut in domo ſua quiete vivat. Obiit ætate annorum nonaginta, florens virtutibus & miraculis. Menologium Baſilii habet eadem, præter iſta: *Fit ejus Synaxis in ſanctiſſima magna Eccleſia*. In notis nihil eſt, quod cenſura vindicat.

Die duodecima.

Ruthenè. Glyceria. Glyceriæ.

Græce: Τῆς ἁγίας μάρτυρος Γλυκερίας: *Sanctæ martyris Glyceriæ.*

COMMENTARIUS.

Trajanopoli ſub Antonino Imperatore, Glyceria, Crucis ſigno ſe muniens, Sabino Præſidi ſe præſentat ſacrificanti. Fatetur ſe Chriſtianam: Templum ingreditur, & fuſa oratione, Jovis deturbat & conterit ſimulacrum. *Ethnici eam lapidant, nec offendunt*. Poſt tormenta aliqua, famemque in carcere (a qua per angelum cibos afferentem, refecta eſt) ardentem injicitur in caminum, ſed incolumis inde evadit, Poſt alia tormenta, cuſtos carceris credit, & pro fide martyrium facit. Ipſa beſtiis exponitur: a quarum una leviter tacta; ita *ut ne plaga quidem appareret* (μηδὲ μώλωπα, ἀλλ' ἢ δῆγμα καὶ μόνον). ſpiritum Deo reddidit, & Heracleæ Thraciæ eſt depoſita. Sic fabula debacchatur, & male deturpat Actorum veritatem. Signata abſunt a Menologio Baſilii.

Eadem die, cum Synaxario agitur de Sancto Patre noſtro, Pauſicaco, qui civis Apamenus, a Cyriaco Patriarcha; ſub Mauricio Imperatore, Synnadorum Epiſcopus factus eſt. Menologium Baſilii ait, ſub Leone Iconomacho eum mortuum. Quod intervallum temporis, monſtrum eſt.

DIE DECIMATERTIA.

Ruthenè: Iſidoru. Iſidori.
Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἰσιδώρου τοῦ ἐν τῇ Χίῳ: *Sancti martyris Iſidori, in Chio* (inſula.)

COMMENTARIUS.

Natione Alexandrinus, & miles Optio, ſub Decio, cum claſſe venit in Chium inſulam. Accuſatur Julio Centurioni. Fatetur Chriſtum; colere Idola renuit. Numerius, ubi videt, ſe fruſtra agere; capite plecti jubet; & ita coronam accipit. Menologium Baſilii, *Numerium*, ait *Claſſi Præfectum, & delatum a Julio Centurione*. Ex actis bonis. ſed quæ inſerta manus tractavit male.

DIE DECIMAQUARTA.

Ruthenè: Pachomiu. Pachomii.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Παχωμίου τοῦ μεγάλου: *Sancti Patris noſtri Pachomii magni*.

COMMENTARIUS.

Ægyptius ex Thebaide inferiori, & parentibus idololatris; ſub Conſtantino magno fit miles: ſed paulo poſt, militiam linquit, & in Thebaidem ſuperiorem ſecedit, ubi baptiſmum ſuſcipit; vitamque vivit ſolitariam, *in Ereona Tabennæ*. *Poſt annos multos, Theodorus ille ſanctificatus, ad eum venit, & ejus diſcipulus fit, & imitator*. Monaſterium condit; & fuit pater 1406. monachorum. In pace defunctus eſt. Jamdiu ejus ſyncera, & fere integra habentur Acta; quæ pretioſum ſunt cimelion. De Pachomio Menologium Baſilii agit die ſexta hujus menſis; aitque: perſecutionis tempore, comprehenſum, nondum initiatum, & in fide rudem. Deum rogat, ut ſe doceat. Id fit ab angelo: ceſſat perſecutio: ſecedit: & ab angelo diſcit angelicum inſtitutum. Plura excitat monaſteria, &c. Reliquum, ſignata in ipſo non habentur.

Eadem die cum Synaxario fit de Sancto Achille Epiſcopo Lariſſeno, in ſecunda Theſſalia, qui ſub Conſtantino Magno, primæ Nicænæ Synodo interfuit. & Arianam hæreſim, etiam ipſe confixit.

DIE DECIMAQUINTA.

Ruthenè: Theodoru. Theodori.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοδώρου τοῦ ἡγιασμένου: *Sancti Patris noſtri Theodori ſanctificati*.

COMMENTARIUS.

Diſcipulus Sancti Pachomi, & cum eo contra dæmones conflictatus, ſanctiſſimam vitam duxit. Reliqua diximus ſuo loco. Ob viciniam Pachomii, etiam Menologium Baſilii, de ipſo agit die 15.

DIE DECIMASEXTA.

Ruthenè: Andronicu. Andronici.
Græcè: Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἀνδρονίκου, καὶ Ἰουνίας: *Sancti Apoſtoli Andronici, & Juniæ*.

COMMENTARIUS.

Chriſtum prædicantes percurrunt orbem. Eorum meminit Paulus in epiſtola ad Romanos, eos conſanguineos ſuos dicens, & ante ipſum Chriſto credentes. *Salutate Andronicum & Juniam, cognatos & concaptivos meos: qui ſunt nobiles in apoſtolis; qui & ante me fuerunt in Chriſto*. Cap. ult. v. 7. Ἀσπάσασθε Ἀνδρόνικον καὶ Ἰουνίαν, τοὺς συγγενεῖς μου, καὶ συναιχμαλώτους μου, οἵτινές εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις, οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασι ἐν Χριστῷ.

DIE DECIMASEPTIMA.

Ruthenè: Theodotu Ancyrana. Teodoti Ancyrani.
Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Θεοδότου Ἀγκύρας. *Sancti martyris Theodoti Ancyrani*.

COMMENTARIUS.

De Theodoto Ancyrano. Menologium quidem Baſilii hac die agit, illud vero Græcorum de eo agit die ſeptima Junii. Nos igitur, quia noſtræ Tabulæ etiam de ipſo agunt, die illa; hic omittimus de Theodoto verba facere, ibi plenius, de Tranſlatione reliquiarum ejus pariter (tunc enim de iis agitur) relaturi. Interim hic meminerimus de aliis, quæ Menol. Græcorum affert, in die iſta. Nempe:

Τῶν

Τῶν ἁγίων μαρτύρων, Πέτρου, Διονυσίου, Ανδρέου, Παύλου, Χριϛίνης, Ηρακλείου, Παυλίνου, κὶ Βενεδίμου. *Sanctorum martyrum, Petri, Dionyſii, Andreæ, Pauli, Chriſtinæ, Heraclii, Paulini, & Benedimi.* In Rubrica Synaxarii ad *Chriſtinam* additur παρθένου, *Virginis*: quod apud Græcos raró memoratur. Do ejus *Commentariolum*.

Petrus Lampſacenus, *Præſidi Eurydinon urbis, Dacno* (infra hic etiam *Decnus* dicitur) Δάκνῳ: Δέκνῳ: *Daciano* forſan, vel *Decio* (Δέκνῳ τῷ ἄρχοντι τῆς Εὐρυδινῶν πόλεως) ſiſtitur: Veneri thurificare recuſat, & poſt tormenta, obit. Paulus & Andreas, ex Meſopotamia, una Poſſidi *Decnó* (Δέκνῳ), ſub quo militabant, veniunt Athenas, ubi comprehenſorum pro Chriſto, Dionyſii & Chriſtinæ, cuſtodes carceris apponuntur. Ibi Chriſtina virgo, *ab ipſis ſolicitatur ad Venerem, & quod illa conſtanter renuit*, credunt & ipſi in Chriſtum, & cum Dionyſio lapidibus obruuntur: Chriſtina capite obtruncatur. Hæc ex Actis bonis; ſed ab inſcita manu, aliquantulum male habitis. Menologium Baſilii die 15. cum Synaxariis ſeparatis de ipſis agit. Primum de S. Heraclio & ſociis, quos dicit Athenienſes, paſſoſque Athenis in fornace conjectos, ſub anonymo Præſide Athenarum. Secundo de Petro & ſociis: Petrus Lampſacenus *Abydi* Præfecto ſiſtitur, fuſtibus diu cæditur, & animam ita agit. Paulus & Andreas, Præfecto Abydi milites, cum eo Athenas veniunt, & Dionyſium & Chriſtinam cuſtodire jubentur, jam comprehenſos: ſed contra ipſi convertuntur ad fidem; cætera uti ſupra. De Chriſtina autem, ait; quod iſta, *accurrens ad illos, ac plorans, capite plexa eſt*. Num erat libera a vinculis? Quæ Græcorum Menologium ſecus narrat. Signata ſuperiora abſunt a Menologio Baſilii.

DIE DECIMOCTAVA.

Ruthenè: Patricio. Patricii.
Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων, Πατρικίου, ἐπισκόπου Προύσης, κὶ τῶν σὺν αὐτῷ. *Sanctorum martyrum, Patricii Epiſcopi Pruſæ, & ſociorum ejus*,

COMMENTARIUS.

Patricius ob fidem Julio (Ἐπάρχῳ) *Præſidi* ſiſtitur: de pœnis diſputat, ob occaſionem ex Thermis loci: quod ille Diis beneficium tribuebat. Projicitur in Thermas: ſed ipſo incolumi, projicientes offenſi ſunt. Cum Acacio autem; Menandro, & Polyæno, capite dicitur obtruncatus, & ſubjungitur; quod *eorum Synaxis in Domo Sanctiſſimæ Deiparæ celebratur*. Menol. Græc. hic ſilet *Ætnam*, & *Veſuvium*, & ſimilia. Et Menologium Baſilii, *Julii* ſilet nomen, ſed eum dicit, τὸν τῆς Βιθυνίας ἄρχοντα; *Præſidem Bithyniæ*; & projicientes milites, Thermarum igne *omnes combuſtos eſſe*. Valida exaggeratio. Polyænum & ſocios, *Diſcipulos* ait *Patricii*; & veriſimile.

DIE DECIMANONA.

Ruthenè, Thalilau. Thallalæi.
Græcè: Τῦ ἁγίυ μάρτυρος Θαλλαλαίου. *Sancti martyris Thallalæi*. Menol. Baſilii cum Lamba unico, Θαλαλαίου. *Thalalæi*.

COMMENTARIUS.

Sub Numeriano Imperatore, ex *Libano oriundus*, patre natus *Berucio*, *matre Romulia*, Anazartum, *ſecundæ* Ciliciæ Provinciæ, urbem pergit, medicam artem meditans. Occultat ſe in Oliveto; ſiſtitur Præſidi Theodoro; eique tali terebrantur, & inverſo capite fune ſuſpenditur. Ubi autem lictores opinantur in eum ſic perfeciſſe; lignum pro Sancto (ex miraculo) ſe perforaſſe, & ſuſpendiſſe conſpiciunt. Præſes a lictoribus ſibi illuſum opinatus, verberibus eos affici jubet. Hinc Sanctus *in mare præcipitatur, & incolumis inde evadit, veſte indutus apparens alba. Exponitur beſtiis, iterumque incolumis; in Ædeſſa urbe Ægeorum* (Αἰγίων) gladio cervicem amittit. Fabula in tormentis & in ligno, varie ſe immiſit, & tuto luſit. Menologium Baſilii ſilet ſigncta: *medicum*, rotunde eum dicit Præſes. Lictores Alexandrum & Aſterium ad Chriſtum converſos, capite plexos eſſe. Præſes ſuis manibus talos ſancti tentat terebrare; nequit ſurgere, & manus ei areſiunt. Credunt alii; & Præſes ſancti precious ſanatur. Surgit itaque e ſella, & ſanctum capite obtruncat. Fabula eſt etiam iſta, & ridiculoſior in teratis, & miraculis.

DIE VIGESIMA.

Ruthenè: Conſtantinu. Elena. Conſtantini. Helenæ.
Græcè: Τῶν ἁγίων, ἐνδόξων, θεοστέπτων, κὶ ἰσαποστόλων, μεγάλων, βασιλέων Κωνσταντίνου, κὶ Ελένης. *Glorioſorum Sanctiſſimorum, Dei amicorum, & Apoſtolorum, parium, magnorum Imperatorum, Conſtantini, & Helenæ*.

COMMENTARIUS.

Conſtantis filius Chlori (ſic Κώνστας, Κώνσταντος) & *Helenæ. Conſtans autem filius erat, ex filia Claudii Imperatoris*, (θυγατριδοῦς) *qui ante Diocletianum & Carinum* (Καρίνου) *a Diocletiano Herculeo* (τῷ Ερκουλίου) *Collega aſſumptus, cum Valerio, Maximiano, haud perſecutus eſt, ut alii, Eccleſiam Dei: & filium Conſtantium, Imperii in Britannia, heredem liquit. Hic autem, contra Maxentium, filium Herculii, venit. Deus enim, primum, ei ſe in ſomnis manifeſtavit; hinc & alias, meridie, per Crucem ex aſtris efformata* (δι ἀστέρων). *eum his verbis*, (Ἐν τούτῳ νίκα): *IN HOC VINCE. Crucem facit, & Maxeutium vincit, & mergit, ad Pontem Milvium in Tiberim*. corrupte Βουλβίου pro Μιλουίου) *liberatque Tyrannide Romanos. Cogitat, urbem ſibi cognomine, condere ad Ilium. Sed ex oraculo, prohibetur, quamobrem Byzantii*

tii eam condit. Nicænam primam Synodum contra Arium cogit; matrem Helenam, quæſitam Crucem, Hieroſolymam mittit. Inventam iſtam, ex parte ibi reliquit Helena, ex parte, ſecum Conſtantinopolim adduxit: & ubi mortem oppetiit; filius Conſtantinus, Encæniis & Panegyris lætificans civitatem; & vita ducta, paulo ultra annos *quadraginta duos* (ſic per errorem, loco 52.) ex quo Imperium ſuſceperat, dum movet in Perſas; apud agrum Nicomediæ, in Domino obdormivit. Fertur Conſtantinopolim, magnificentiſſime excipitur; & in Templo Apoſtolorum tumulatur. Imperavit autem Conſtantinus in Urbe Roma, trigeſimus Secundus Imperator ab Auguſto; & mortem obiit, anno ab Orbe condito 5818. (a Chriſto 310.) Ejus in magna Eccleſia fit Synaxis: & in ſacris Apoſtolis: & *in divino ejus Templo; quod eſt in Ciſterna monaſterii Patriarchæ; qui cum Imperatore & Senatu, & ſupplicatione*, eò ſe ducit, ibique celebrat. De Helena amplius nihil mutit. Signata abſunt a Baſilii, in quo etiam *Conſtans*, *Conſtantii*.

De eorum virtutibus & zelo, plura in Canone, quam in Synaxario; quod ab imperito, ut apparet, ſcriptum fuit; & in plurimis, ſine criterio ullo hiſtorico. De baptiſmo ejus per Papam Silveſtrum nihil. In Canone poſt Hmoea, ad Œcum Secundum (qui *Byzantii*: Βυζαντίου: authoris eſt) de baptiſmo ei a Silveſtro collato, habetur mentio: Καταυγασθεὶς δὲ ἀκτῖσι τοῦ παναγίου πνεύματος ὑπὸ Σιλβέστρου ἱερέως, διὰ τοῦ βαπτίσματος: *Auctus ſplendoribus Sancti Spiritus, per baptiſmum tibi collatum, a Pontifice Silveſtro*, *Byzantius* in ſecundo ſecundi Æchi, Æcho, ~~Βυζάντιος, Βύζας~~, dicitur *Byzas*, *Byzantis*. Qui *Byzantius*, inter ſacros Poetas, præfxos, *Tryphologio* Rutheno, cum cernatur unitus ſancto *Theophani*, ergo eum etiam æqualem credunt Theophani, proinde authorem habent octavi exeuntis, vel noni ſæculi; quo traditio hac vigebat.. Reapſe poſt ipſum Græci hoc loco, poſt Gloriam, & Æchum πλαγ.; hæc Sancti Methodii Patriarchæ Conſtantinopolis anno 841., viri Syracuſani, Siculique Poetæ, ſubdunt, quæ eamdem confirmant opinionem: Ὁ τῶν Ανάκτων Αναξ, καὶ Θεὸς, ὁ πλουσίαις δωρεαῖς κατακοσμῶν τοὺς ἀξίους, αὐτός οὐρανόθεν, ὥσπερ Παῦλον τὸν ἀοίδιμον, διὰ σημείου τοῦ σταυροῦ, σε Κωνσταντῖνε, ἐζώγρησεν, ἐν τούτῳ, φήσας, νίκα τοὺς ἐχθρούς σου: ὃν ἀναζητήσας σὺν μητρὶ θεόφρονι, καὶ εὑρὼν ὡς ἐπόθεις, τούτους κατὰ κράτος ἐτροπώσω Σὺν αὐτῇ οὖν ἱκέτευε, ὑπὲρ ὀρθοδόξων βασιλέων, καὶ τοῦ φιλοχρίστου στρατοῦ, καὶ πάντων τῶν μνήμην σου πλουτούντων πιστῶς, τὸν μόνον φιλάνθρωπον, λυτρωθῆναι πάσης ὀργῆς. *Rex Regum & Deus, qui pretioſis donis exornas dignos; ipſe cælitus, tamquam Paulum famigeratum; per ſignum Crucis, te, Conſtantine, vivificavit; IN HOC*, dicens, *VINCE INIMICOS TUOS. Quam, cum amante Dei, matre tua, quærens, & inveniens, ut avebas, hos potenter terga dare coegiſti. Cum ipſa ergo, pro orthodoxis Imperatoribus ora, & pro exercitu chriſtiano, & pro omnibus, qui fideliter commemorationem tui faciunt; ut qui ſolus eſt Clemens, ab omni ira ſua, eos liberet*. Hæc ille. At cujuſnam, dices, Methodii ea ſunt? Duos enim hujus nominis, Conſtantinopolitanos Patriarchas, uſque ad ſeculum decimum tertium, eſt invenire. Indubie, dico, ſanctum hunc, & primum medio nono ſeculo. Jamdiu namque ante ſeculum decimum tertium, Conſtantinum colebat Ruthena Eccleſia, ductrice Græca:

Quod ad teſtimonia, pro orthodoxo habito Conſtantino, & non hæretico Ariano, hæc irrefragabilia & magna afferemus, quæ omnia inſeruimus in Diſſertatione peculiari, *de reſtituendo cultu Conſtantini Magni per Occidentem*. B.Hieronymus ſcribit in Vigilantium: *Ergo ſacrilegi ſumus, quando Baſilicas Apoſtolorum ingredimur: ſacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim*. Non ergo Hieronymus, dum anno 406. (76. annis poſt obitum Conſtantini, qui accidit anno 337.) hæc ſcripſit, *hæreticum* habuit Conſtantinum, qui ne *ſacrilegum* quidem, ipſum patitur æſtimari. Hadrianus etiam epiſt. ad Conſtantinum & Irenem Imp. quæ legitur Art.2.Nicænæ 2.Synodi, ita pariter dicit,pag.747. *Sicut piæ memoriæ* (ἐν θείᾳ τῇ λήξει) *Dominum CONSTANTINUM Imp. & BEATAM HELENAM, QUI FIDEM ORTHODOXAM PROMULGARUNT &c.Cum ad fidem converteretur PIUS IMP. CONSTANTINUS* (ὁ ἐν θείᾳ τῇ λήξει Κωνσταντῖνος &c. Ad Ambroſium, quod ſpectat, vide quæ ille commentando ſcribit, in Pſalmum decimum quartum. Tacito nomine ipſe corrigit Hieronymi mnemonicum lapſum, pro Conſtantino, Conſtantium filium verè ſubdens, ut ſe res habuit in illa translatione reliquiarum. Saltem autem inde colligas, Hieronymum etiam ſic labentem, ſuis temporibus, teſtem idoneum eſſe, Conſtantinum Magnum, orthodoxum in Eccleſia eſſe habitum. Ambroſius proinde detecto Conſtantio translatore, eum habuit, ut merebatur ille Arianus.

Hadrianus Papa primus, anno circiter 773. in epiſtola 1. ad Carolum Magnum Francorum Regem, ita ſcribit. *Et ſicut temporibus beati Silveſtri Romani Pontificis, A SANCTÆ RECORDATIONIS PIISSIMO CONSTANTINO MAGNO IMPERATORE, per ejus largitatem, ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia, elevata atque exaltata eſt, &c. ita & in his veſtris feliciſſimis temporibus, atque noſtris, ſancta Dei Eccleſia; ideſt beati Petri Apoſtoli, germinet, atque exultet, & amplius exaltata permaneat, &c. Quia ecce NOVUS CHRISTIANISSIMUS DEI CONSTANTINUS IMPERATOR his temporibus ſurrexit; per quem omnia Deus, ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, beatorum Apoſtolorum Principis Petri, largiri dignatus eſt, &c.* Ita & epiſt.35.ad eumdem, dum eum orat, *ut juxta ſpem ſibi datam, filium Caroli, qui tunc natus erat, ex ſacro fonte ſuſcipiat, & beato Petro promiſſa impleat; ut ſicut CONSTANTINUS TEMPORIBUS ſancti Silveſtri, ſic ipſe SUIS, ECCLESIAM EXALTET, tum iis, quæ largiri dignatur; tum ea reſtituenda, quæ a diverſis Imperatoribus aliiſque (quorum donationes in Scrinio ſunt Lateranenſi) conceſſa, per Longobardos deinceps ablata ſunt, &c.* Quæ ſunt in

inci-

indice argumentorum, epiſtolarum Hadriani ad Carolum, a col.521. 22. 23. 24. editionis noviſſimæ Harduini, tomo 8. Conciliorum, Pariſ. anno 1729. Verba, e prima epiſtola, explicant affatim quid deeſt in iſta 35., cui comparat Carolum, Conſtantinum, non utique comparaturus, nec laudaturus, ſi hæreticum Arianum, aut fautorem ejus hæreſis habuiſſet Conſtantinum; quem *ſanctæ recordationis*, *& piiſſimum*, dicit, *Principem*, in prima. Ac forſan etiam in hac 35. repetiit; quæ facile *Summiſta* ad brevitatem reſecuit. Vide tu alia, quæ congeſſimus in die 2. Junuarii, in feſto Sancti Silveſtri poſt Acta Sanctæ Syncleticæ. (1)

Theodoſius magnus equidem (annorum 60. mortuus anno 395.) cum eſſet ætate 45. annorum, quindecim ſcilicet ante mortem, *ab Aſcholio Theſſalonicenſi Epiſcopo*, anno Chriſti 380. baptiſmum tandem ſuſcepit: verum non ita factum a Conſtantino, ut ſub finem vitæ, ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, Achirone, Arianam hæreſim & baptiſmum ſuſceperit. Filius Conſtantius & Conſtans in eam, illico poſt mortem Patris an.351. lapſi ſunt: & lacunam in textu Hieronymi, Arianorum arte, luculenter in Diſſertatione illa & evidentiſſime demonſtravimus. Ab Hoſio Epiſcopo Cordubenſi, non a Silveſtro, ſub annum 315. Conſtantinus eſt baptizatus, & ut baptizatus, Nicænæ 1. Synodo interfuit. Vide ibi omnia mathematice pateſacta. Quis credat nondum catechumenum, tantæ Synodo interfuiſſe, & ſæpe alibi ſacra myſteria percepiſſe? Patres illos hæc paſſos eſſe; aut hæc egiſſe Primum Principem chriſtianum; calcar & exemplum futurum Principibus ſequioribus, & Populis, qui tunc in Chriſtum, abjectis idolis, credidiſſent. Secum hæc cogitet, qui non credit. Sed plura habentur, in Diſſertatione, quam indicavi.

Cæterum in 2. Nicæna Synodo, habita anno 787. (pag.230. tomo 7. Conciliorum Labbæi) Legati Apoſtolici Petrus Archipresbyter Romanus, & Petrus Abbas monaſterii Sancti Sabbæ, Romæ poſiti, ita loquuntur. *Tale quid & DIVÆ MEMORIÆ CONSTANTINUS MAGNUS IMPERATOR, olim fecit; ædificato enim Templo Salvatoris, Romæ, in duobus parietibus Templi, hiſtorias veteres & novas deſignavit; hinc Adamum, de paradiſo egredientem; & inde latronem in paradiſum introeuntem, figuratos.*

DIE VIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Vaſiliſcu. Baſiliſci.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Βασιλίσκου, *Sancti martyris Baſiliſci.*

COMMENTARIUS.

Ex loco *Chumialon* (Κουμιαλῶν) *in territorio Amaſeno*, ſub Maximino, & conſanguineus (ἀνεψιός) ſancti & magni martyris Theodori Tyronis; martyrium cum ſancto Eutropio, & Cleonico (qui ſub Theodoro militabat) fuit. Qui cum martyrium paſſi eſſent; ipſe orat Dominum pro martyrio, iſteque ei apparens, hortatur, ut ſuis illis ſeſe adjungat; facturus & ipſe cum eo, martyrium in Comanis. Domum ergo ſuam, cum militibus ſuis pergit, matrem fratreſque ſalutat; ac hortatus eos, ut in fide conſtantes maneant; a militibus, ab Agrippa Præſide (ἡγεμόνος) miſſis, comprehenditur, ligaturque. Crepidas ferreas & clavis, intus armatus, induitur, inſtituunt Comanum iter. *Ubi ad locum DACNORUM* (Δακνῶν) *perveniunt; apud mulierem, Trajanam dictam, hoſpitantur, ibique ſanctus ligatur platano ſicco, manibus a tergo revinctus. Ipſe orat, & arbor revireſcit; & aquæ fons, ex* λαγόνων *e viſceribus terræ erumpit. Ad miraculum Trajana & milites convertuntur, ut dicunt, &c.* (ὡς φασὶ) *Chriſto; & martyrem illi ſolvunt.* Ubi ſuccedunt ipſi Comanum, Sanctus Agrippæ ſiſtitur, & quod renuit ſacrificare, quin orat, ut de cœlo ignis deſcendat, & *idolorum* comburat Templum, & Apollinis ſimulacrum; ardens furore hinc Præſes; ipſum capite plecti imperat, & corpus in fluvium injici; quod mox factum. Prodigia, ſaltem in igne iſto, & ex fabuloſo derivant fonte.

In Menologio Baſilii deſunt ſignata. Idem habet, ἐκ τῆς χώρας Ἀρμενιακῶν, *e Regione Armeniacorum*, non vero ex *loco Chumialon*. Ille ἀνεψιὸς, interpres Baſilii, *filium* dicit *fratris. Tyronis*, abeſt ab eo 45. Menol. Græcorum ait, *cum militibus ſociis*, illud Baſilii, τοῖς οἰκείοις, quæ interpres vertit *domeſticis*. Poſt *Comanorum iter*, reliqua ſic narrat Baſilii Menologium: vinctuſque *Comana adducitur. Cum vere per viam, miracula edidiſſet, plurimos ad Chriſti fidem ſuſcipiendam induxit.*

DIE VIGESIMASECUNDA.

Ruthenè: Michailu. Michaelis.

Græce: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν, καὶ ὁμολογητοῦ Μιχαὴλ ἐπισκόπου Συνάδων. *ſancti Patris noſtri, & confeſſoris Michaelis Epiſcopi Synadorum.*

COMMENTARIUS.

De hoc Michaele, Menol. Græcorum hæc tantum habet: Innocenter & ſancte ab infantia eum vixiſſe; & pro confeſſione fidei, & adoratione Imaginum, ex libera etiam illa voce: *Immacu-*

r *latam,*

(1) In verſione Anaſtaſii Bibliothecarii, 2. Nicænæ Synodi, art.2. col.1241. D. Ita Hadrianus PP. Conſtantio & Irenæ Impp. *Vos autem partem habebitis cum EO, QUI NUNC IN DIVINA REQUIE QUIESCIT, CONSTANTINO Imp. & Helena ejus matre, qui ORTHODOXAM FIDEM ILLUSTRARUNT ET CONFIRMARUNT, &c.* & inferius col.1342. A. *Cum aliquando FELICIS RECORDATIONIS CONSTANTINUS IMPERATOR &c.*

latam, & *Divinam Imaginem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti*, *ſanctæque matris ejus*, *veneror & adoro*; *tuum vero edictum*, *expuo*, & *nibili pendo*; in exilium ejectum, & ſæpe de loco in locum tranſlatum, tandem mortem ſic obiiſſe. Sub quo tyranno non dicit, nec a quonam fuerit Epiſcopus ordinatus. Menologium vero Baſilii narrat, ipſum fuiſſe Monachum, & temporibus Leonis Iconomachi, Synadorum Epiſcopum ordinatum. Pro ſacrarum cultu Imaginum in exilium ejectum, ibique mortuum. Liberam vero illam vocem, & alia, non refert.

DIE VIGESIMATERTIA.

Ruthenè: Symeonu. Symeonis.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν, Συμεὼν, τοῦ ἐν τῷ Θαυμαστῷ ὄρει: *Sancti Patris noſtri Symeonis*, *qui in monte mirabili vitam duxit*.

COMMENTARIUS.

Sub Juſtino ſeniore Imperatore, natus Antiochiæ Syriæ, *ex patre Johanne Edeſſeno*, & *matre Martha*; a Baptiſta ante conceptionem matri promiſſus; ſuo tempore fit monachus, in monaſterio, *quod montis dicitur*. *Poſt annos ſex*, inde aſcendit & columnam: ubi poſt decem & octo annos, ad mirabilem montem pergit, ibique ad annos decem *inter foramina & petras* vivit. Breviorem columnam hinc aſcendit, & quadraginta quinque annos, ibi manet. Totius vitæ curſus, anni 86. ſeptem ergo vel ſex annorum erat, quum monachus factus eſt. Anni enim *ſex*, & 79. faciunt an. 85., ut dicit Baſilii Menologium: *ſeptem* vero & 79. faciant annos 86., quod Menologium Græcorem dicit. Hoc autem & alia prodigia refert ex ejus Actis; quæ apud Bollandum habentur Maii tomo 1. die . . . Menologium Baſilii, de eo agit præcedenti die vigeſima tertia, tumque iſta, cum noſtris Tabulis; ſed die 24. ſanctus habet martyres Meletium, & Serapionem, ſociosque eorum. Cæterum illud Baſilii ſilet ſignata: pro *Juſtino ſeniore*; *Juſtinianum* habet ſeniorem, & pro *columna*, dicit *aſcendit petram*. *Montem*, opinor Athon.

DIE VIGESIMAQUARTA.

Ruthenè: Tertia obritenia hlavi Prediteci. Tertia inventio Capitis Præcurſoris.
Græcè; Ἡ τρίτη εὕρεσις τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ ἁγίου ἐνδόξου, προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου: *Tertia revelatio pretioſi capitis ſancti & glorioſi prophetæ*, *Præcurſoris & Baptiſtæ Johannis*.

COMMENTARIUS.

Non, ut antea, in vaſe ſtamneo, ſed in argenteo vaſe, ut in ſacro poſitum loco, & ſacro opere, elaborato, a Comanis Conſtantinopolim, perductum eſt caput iſtud; ſuſceptum ab Imperatore, a Patriarcha & populo; fideliterque adoratum, in ſacro loco collocatur. Sub quo Imperatore, aut Patriarcha, ſiletur.

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè: Carpu. Carpi.
Græcè: Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Κάρπου: *ſancti Apoſtoli Carpi*.

COMMENTARIUS.

Unus ex ſeptuaginta, & diſcipulus Pauli Apoſtoli, ejuſque epiſtolarum collector, Chriſtum ubique prædicat, & miraculis rem confirmat. Multa ergo pro Deo patitur: ac tandem in pace obit. Ita & Baſilii Menologium. In quibus nil dicitur, quod non ſit commune omnium Apoſtolorum.

DIE VIGESIMASEXTA.

Ruthenè: Therapontu. Therapontis.
Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Θεράποντος. *Sancti martyris Therapontis*.

COMMENTARIUS.

De ſancto martyre Theraponte, Menologium Græcorum hic ſilet, deque eo agit, die 14. hujus menſis, cum ſuo Synaxario: hac verò die (26.) de S. Helladio, martyre & Epiſcopo; de quo Ephemerides noſtræ die 28. agunt. Repeto hinc, ex ea die, Synaxarium Therapontis. Quis fuerit, ubi, & ex quibus ortus, quo tempore paſſus eſt, ignotum: quod ſint deperdita ejus Acta. Imagines ejus indicant, fuiſſe primo ſolitarium, hinc in Cypro inſula eſſe Epiſcopum: paſſumque pro Chriſto, ex traditione tantum non ſcripta. Corpus ejus advectum Conſtantinopolim; quod Agarenis inſulam invadentibus, ſanctus ipſe quibuſdam apparens, juſſerit ita fieri. Eo ductum multa miracula operaſſe. De eo Menologium Baſilii, eadem, 25. die hujus ad verbum habet. Habetque & alium Therapontem martyrem, & ſacerdotem Sanctæ Sardium Eccleſiæ, ſub Valeriano Præſide. E carcere abducitur Synaum, ubi eſt acriter verberatus. Terra illo ſanguine irrigata, maximam quercum profert (en initium fabularum) quæ, nedum uſque ad præſentem diem viret, ſed etiam curat morbos. Abductus in ditionem Thraceſium, in Epiſcopatu Satulorum, prope fluvium Hermum, martyrium facit. Uſtavum Ruthenum prodit, hunc Therapontem noſtrum, paſſum eſſe ſub Valeriano Imperatore, Chriſti anno 254. quod teſtatur; de ipſo agi Ruthenas Tabulas. Vereor ego autem, ut ex uno martyre, & iſto; duo facti ſint Therapontes. At Lequenius, in Epiſcopis Sardium (tom. 1. col. 859. *Orientis Chriſtiani*) nullum habet Epiſcopum Therapontem.

DIE VIGESIMASEPTIMA.

Ruthenè : Nicita . Nicitæ .
Græcè : Τοῦ ἁγίου . . . . .

COMMENTARIUS.

In Menologio Græcorum hac die agitur de ſacroſancto martyre, Eutyche Epiſcopo Melitinæ ſub . . . . . De ſancta martyre Heliconide, ex urbe Bytalia (Theſſalonicenſem, ait Baſilii Menologium) ſub Gordiano, & Philippo Imperatoribus; & de ſancto Patre noſtro & confeſſore Johanne Pſeſchaita, martyrium paſſo ſub Iconomachis; de quo Menol. Baſilii agit die 25. ſub Leone Armeno, anno Chriſti 788. De Niceta Epiſcopo Chalcedoniæ ſub hoc Leone Armeno, nihil loquitur, & de *Niceta Abbate monaſterii Medicii*, qui ſub Iconomachis multa paſſus, & in exilium eſt ejectus, cum Menologio, & noſtris Tabulis, ſupra diximus, die Aprilis tertia. Quis alius eſt Nicetas? Papebrochium modo non habemus, qui 2.partem hujus Menol. Græco-Latine edidit. Dubitem, illum eſſe Nicetam Epiſcopum Chalcedoniæ, de quo ſupra memini.

DIE VIGESIMAOCTAVA.

Rutheuè : Theodoſia . Theodoſiæ .
Græcè : Τῆς ἁγίας μάρτυρος Θεοδοσίας . *Sanctæ martyris, Theodoſiæ*.

COMMENTARIUS.

Tyria genere, *annos agens* 18., *& quinto perſecutionis anno* (non dicitur, perſecutionis Diocletiani) *Cæſareæ* ſiſtitur Præſidi Urbano, & ob fidem in lateribus & mammillis virgo, uſque ad oſſa & viſcera, multa patitur. Ita ſemper ſilet. Præſes jubet iterum eam ſacrificare, ſed irridetur. Iterum, iterum cruciatur, ac tandem, in mari martyrium fecit. Eruta Acta ſunt ab aureo libello Euſebii Cæſarienſis, de martyribus Palæſtinæ. Signata abſunt, a Menologio Baſilii, quod tamen de ea agit, etiam tertia Aprilis die.

Eadem die de ſancta agitur, Conſtantinopolitana martyre Theodoſia. Ex ſolo diſticho, tempus & alia arguere nequimus. Menologium Baſilii, eam non hic habet, ſed die decimaoctava Julii, ubi ea monialis, dicitur martyrium paſſa eſſe pro imaginibus, ſub Leonis filio, Conſtantino Caballino.

Agitur & de ſancto martyre Elbiano, Epiſcopo civitatis Aneorum (πόλεως Ἀνέων) . . . *Alexandro & Maximo Conſulibus*, & ſub Julio, & *Æliano Præſidibus*. Siletur locus, qui forte ſit ipſa Anea. Unum Præſidem dicit *Julium*, Baſilii Menologium: & ego hinc ſuſpicor, unum eſſe *Julium Ælianum*, nuncupatum.

DIE VIGESIMANONA.

Ruthenè : Iſacii . Iſaacii .
Græcè : Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰσαακίου . *ſancti Patris noſtri Iſaacii*.

COMMENTARIUS.

Sub Valente Principe Ariano, oriundus ex Oriente, Conſtantinopolim venit, dum ille in Gotthos movebat. Obviam ei factus, conſulit ei, eumque hortatur, ut orthodoxorum eccleſias aperiret. Surdo Imperatori, *iterum eadem ſuadet; ſi victor redire velit; & non fugiens interire*. Ejus libertatem moleſte ferens Imperator, flagellari jubet, & *provolvi in ſpinis*. *Sanctus tertio ei minatur eadem*, ni eas *juſſerit aperiri*. *Ab irato itaque traditur Saturnino & Victori cuſtodiendus*; donec in pace poſt reditum, in ipſum animadverteret. Reſpondet Sanctus: ſi tu *in pace* redieris, haud mihi Deus locutus eſt: fugiet ex adverſo ſuorum hoſtium, & comprehenſus; per ignem accipiet vitæ exitum. Pergit in hoſtem Imperatorem; vincitur, *fugit in Achyronem*, (Αχυρῶνα) *una cum Præpoſito, qui ſemper in orthodoxos acuerat Imperator*; & ibi a Gotthis igne crematur. *Ab exitu ſanctus glorificatus, uti & a libertate, Conſtantinopoli*, vitæ finem ibi impoſuit. De ejus monachatu in monaſterio Dalmatii nihil habet Menologium Græcorum. Menologium Baſilii, ſilet ſignata: addit, Conſtantinopoli, in monaſterio quodam vitam egiſſe; hinc, &c. Non *iterum*, nec *tertio*, ſed in prima interrogatione, hæc *dicta facit Valenti*. Idem pro *ſpinis* habet *carcerem*: & eius in erpres pro *Achyrone*, vertit *horreum*; & alii, *tugurium Falconem*. Monachiſmus ejus admittitur in Uſtavo Rutheno, quod habet inſuper, *eum paſſum anno Chriſti* 378.

DIE TRIGESIMA.

Ruthenè : Hermia . Hermiæ .
Græcè : Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἑρμείου : *Sancti martyris Hermiæ*.

COMMENTARIUS.

Civis Comanus, ſub Antonino miles & jam canus, ob fidem in Chriſto, ſiſtitur Duci Sebaſtiano (ἄρχοντι) poſt tormenta alia, & detractam ab vultu cutem, & evulſos dentes, in caminum injicitur ardentem. Inde eductus incolumis, edere cogitur venenata. Edit, & iterum eſt incolumis: & qui ea porrexit, convertitur, & capite obtruncatur. Sanctus nervis toto corpore præciſis, in ignitum lebetem immittitur; ita oculis excæcatus, diebus tribus, inverſo capite ſuſpenditur; ac tandem capite obtruncatur. In tormentis, fabula voluit ſe laſſare.

Duplicem Hermiam hic habet Moſchoviticum Uſtavum. Hunc ſub Antonino, quem paſſum ait, anno Chriſti 159. Alium ſub Hadriano Principe, & anno 122. Num, ego quæro ex duplicibus Actis,

facta eſt una fabula; unde tormenta tormentis, inſane in uno noſtro congeſta ſint? Ita reor: præſertim, quod Majus menſis habeat dies triginta & unum; & hic dies, ſine ſancto aliquo in noſtris Tabulis, hic non appareat. Eſto igitur eum ſuppleamus: ſic

DIE TRIGESIMAPRIMA.

Ruthenè; Hermia. Hermiæ.
Græcè: Τῦ ἑτέρυ ἁγίυ μάρτυρ☉ Ἑρμιᾶ. *Alius ſancti martyris Hermiæ.*

COMMENTARIVS.

Papebrochius Acta Græco-Latina dedit Hermiæ: quem duplicem non agnoſcit, ſed ſolum unum præcedentis diei. Bailletius ea refert, & ſuſpecta ait, Tillemontius item in Perſecutione M. Aurelii Antonini, nec ſecernit in ſua Cenſura, & ejus martyrium putat anno circiter 166. Ad animum ſuum Authores Uitavi, ponunt nunc martyrem. aliosque paſſos: quæ negligentia eſt eis cara; utpote a criticis, & qui accurati alioqui videri volunt.

MENSE JUNIO.

DIE PRIMA.

Ruthenè: Juſtinu. Juſtini.
Græcè: Τῦ ἁγίυ μάρτυρ☉ Ἰυςίνυ τῦ Φιλοσόφυ. *Sancti martyris Juſtin Philoſophi*. In prima Rubrica additur: κὶ τῶν σὺν αὐτῷ: *& ſociorum ejus*.

COMMENTARIVS.

Ex Flavia urbe Syriæ, *Priſci filius nepos Bacchii*, venit Romam; Antonino Imperatori, *libellos* pro Chriſtianis obtulit: ſed a Creſcente Philoſopho odio habitus, multis tormentis affligitur. De morte nihil hic dicitur, niſi in Canone. Sed ſermo tantum eſt de ejus virtutibus, & operibus, quæ ſcripſit. Menologium vero Baſilii, ait eum ex Flavia Neapoli Syriæ fuiſſe, nomina omittit Patris, avique, & pro *libellis*, habet ... *librum* vertit interpres. *Juſtini, & ſociorum ejus*, ſilet hoc Baſilii Menologium; ait vero Juſtinum *a Creſcente tandem occiſum*.

Eadem die, de ſanctis martyribus agitur, Juſtino, *Charitone*, *Charitones*, *Hierace*, *Peone*, *& Valeriano*, Romæ, *ſub Valeriano* Imperatore, & *Ruſtico* Præfecto urbi: ἐπάρχυ.

Eadem etiam die fit de ſancto martyre Theſpeſio, ſub Alexandro Mameæ, & Simplicio Præſide Cappadociæ: quem Baſilii Menologium non habet. Idemque, ſignata non habet, in præcedenti Juſtino, Romæ, *& Ruſtico*.

DIE SECUNDA.

Ruthenè: Nicephoru. Nicephori.
Græcè: Τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Νικηφόρυ πατριάρχυ Κωνςαντινυπόλεως, τῦ ὁμολογητῦ. *Sancti Patris noſtri Nicephori, Patriarchæ Conſtantinopoleos, Confeſſoris*.

COMMENTARIVS.

Sub Conſtantino *Copronymo*, ex patre Theodoro, & Eudocia matre, *viris Illuſtribus & Patriciis*; ut patet multa paſſus eſt ob imagines, & in exilio vitam finivit, ita & ipſe. Ejus namque virtutibus promerentibus, poſt Taraſium a Nicephoro Imperatore fit Patriarcha, ferme coactus. Poſt Nicephorum Imperatorem, brevi imperat Stauraſius ejus filius; *eique ſuccedit piiſſimus Princeps Michael*: quo dejecto a Leone Imperatore qui in imagines inſurgens, noſtro Nicephoro Patriarchæ, multa mala (poſt dejectionem ejus e throno) intulit, & in exilium eum egit. *Donec Imperator a propriis familiaribus occiſus, in Phari* .... ſanctus malis confectus, & ætate ſeptuagenarius diem obiit; poſt *decem* annos in throno, & in exilio peractos. Signata abſunt a Baſilii Menologio; in quo non *decem*, ſed *novem* annos ſediſſe dicitur.

DIE TERTIA.

Ruthenè: Lucillianu. Lucilliani.
Græcè: Τῦ ἁγίυ μάρτυρ☉ Λυκιλλιανῦ. *Sancti martyris Lucilliani*.

COMMENTARIVS.

Ex idolorum Sacerdote, ſub Aureliano Imperatore, fit Chriſtianus, dum jam ſenex & canus erat. *Prope Nicomediam habitabat*. Primo igitur *Libanio Præſidi* (ἄρχοντι) ſiſtitur, & poſt aliquot tormenta, in carcere compingitur; ubi tres pueri, eadem ex cauſa detinebantur. Horum nomina habet Menol. Baſilii, Claudium, Hyperium, Paulum, Dionyſium. Sed Paulum, infra obſervabitur, eſſe Paullam. Cum ipſis Lucillianus rurſus *Comiti* (Κόμητι) ſiſtitur, & in caminum ardentem, omnes injiciuntur: ſed *orto imbre, ignis extinguitur*, & ſancti incolumes inde exeunt. *Acceptaque una cum pueris ſententia* (δεξάμεν☉ ἅμα τοῖς παισὶ τὴν ἀπόφασιν) Byzantium venit, ut a Comite juſſum fuit: ubi pueri capite obtruncantur, Lucillianus vero in Crucem agitur: *præſente ſancta Paula, quæ inter viam* (τῶν μωλώπων αὐτῦ) *vibicum ejus curam habuit, & poſt martyrium, eorum corpora curavit. Chriſtiana enim erat a majoribus, & in hoc incumbebat; intrare carceres, alere fideles, & curare plagas Chriſtianorum. Comprehenſa itaque ſiſtitur Comiti, nudata verberatur*, & ab angelo ſanatur. Siſtitur iterum Comiti, in ore verberatur, quod ipſi contumeliam

lliam dixiſſet. Iterum in carcerem; iterum ſiſtitur; projicitur in caminum ardentem, ex quo incolumis, juſſu Comitis ducitur Byzantium; & quo loco Lucillianus & pueri paſſi erant, capite obtruncatur. Fit eorum Synaxis, in eorum martyrio, quod eſt prope Eccleſiam S. Michaelis Archangeli in Oxia. Acta in paucis paſſa ſunt ab inſcita manu officinæ illius. Signata non habet Baſilii Menologium, quod tamen dicit, Σιλβανῷ τῷ Κόμητι, *Silvano Comiti*, & ex ſequentibus, ita apparet eſſe legendum. Ab *præſente &c.* habet Menol. Baſilii; ſed in Synaxario ſequenti. Silet autem, *orto autem &c.* & *ſolum* ait Lucillianum in caminum injectum, & incolumem.

DIE QUARTA.

Ruthenè: Mitrophanu. Metrophanis.
Græcè: Τȣ̃ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Μητροφάνους Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως. *S. Patris noſtri Metrophanis Archiepiſcopi Conſtantinopoleos.*

COMMENTARIUS.

Filius *Domitii fratris* Probi Auguſti, *fratrem habuit Probum*, ſub Conſtantino floruit. *Baptizatus, venit Byzantium; a Tito loci Epiſcopo, clero adſcribitur. Mortuo Tito, fit Epiſcopus Domitius; cui ſuccedit Probus, filius Probi Auguſti. Hic poſt* 12. *annos obit*, & eligitur Metrophanes. Incidit in tempore Conſtantini: *qui ejus virtutes & vitam urbis miratus, Conſtantinopolim condere ſtatuit.* Nicænæ Synodo Metrophanes *Senii cauſa* (διὰ γῆρας καὶ νόσον) *& morbi*, eo tamen miſit, ſuum presbyterum Alexandrum. *Dicitur ei a Deo revelatum, poſt ſe, futuros Epiſcopos, Alexandrum hunc, & Paulum.* Tandem in pace quieviſſe. Ejus Synaxis in magna Eccleſia, & in ejus ibi ſacello (ſua domo) quod eſt prope ſanctum Acacium *in ſeptem ſcalis* (ἐν ἑπτασκάλῳ). A Menol. Baſilii dicitur ſolum Probi Auguſti conſanguineus. Silet idem ſignata. *Protopresbyterum* ibi factum, & ab eo ſucceſſorem nominatum. Poſt conditam a Conſtantino Conſtantinopolim ad dignitatem Patriarchalem eum ait promotum, quod apertiſſime falſum eſt. Silet cauſa Metrophanis & ſitus, Conſtantinum Conſtantinopolim condidiſſe. Vera cauſa, odium in Romanos. De revelatione facta Metrophani, nihil habet, ſed ab eo utrumque ſucceſſorem, ſuo ſuffragio deſignatum.

DIE QUINTA.

Ruthenè: Dorothoi. Dorothei.
Græcè: Τȣ̃ ἁγίȣ ἱερομάρτυρος Δωροθέȣ ἐπισκόπȣ Τύρȣ. *Sacroſancti martyris Dorothei Epiſcopi Tyri.*

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano, *& Maximiano*, ob perſecutionem *relicta domo & propria parœcia*, *Dyſſopolim* eſt profectus: at poſt horum abdicationem, reverſus Tyrum; *ſub Licinio*, & uſque ad Julianum Aug. ſuam rexit Eccleſiam: ſub quo reverſus Dyſſopolim, & a gentibus Juliani comprehenſus, poſt multa tormenta, in profundiſſima ſenectute, martyrium fecit; annos agens jam 107. Reliquit multa opera *Eccleſiaſtica*, & hiſtorias tum Græca lingua tum Latina. Menol. Baſilii de Dorotheo iſto agit, die 9. Octobris; & poſt Diocletiani & Licinii mortem, Tyrum rediiſſe ſcribit. Silet ſignata, & de Dyſſopoli, nullum verbum: & illud notandum habet, quod . . . ait; Julianum clam, non palam, cædes Chriſtianorum per Præfectos ſuos perfeciſſe. Cæterum pro Dorotheo, & Dorotheis, num Tyri Epiſcopo, an presbytero; de ejus operibus, vel ſuppoſititiis, vide Baronium, Bollandianos, Scriptores Eccleſiaſticos Dupinii &c. In primis Bailletium, & Tillemontium, ſi vis hæc omnia diſtricata.

Menol. Baſilii, hac die & agit de ſanctis martyribus Marciano, & Nicandro, & ſociis Ægyptiis: die vero 7. de SS. martyribus Nicandro & Marciano, militibus Præſidis Maximi. Egoque vereor, ne, de unis paribus, duo paria fecerint ipſos, Græculi ſequiores. Et notum omnibus, eſſe impoſturam opus, quod ſub Dorothei nomine circumfertur.

DIE SEXTA.

Ruthenè: Biſarionu. Ilarionu. Biſſarionis. Hilarionis.
Græcè: Τȣ̃ ὁσίȣ πατρὸς ἡμῶν Ἰλαρίωνος τȣ̃ νέȣ, ἡγουμένου τῶν Δαλμάτων. *Sancti Patris noſtri, Hilarionis junioris, Abbatis monaſterii Dalmatorum.*

COMMENTARIUS.

De ſancto Baſſarione Menol. Græc. agit infra, die 17. Synaxarium non habet, ſed tres politicos tantum verſus, & Canonem: ex quo tantum elucet, Tyrannorum minas non curaſſe, & pugnaſſe contra hæreſes: forſitan vult, Iconomachorum. De ſancto Beſſarione, hac die nihil; agit enim de ipſo, decimaſeptima hujus die.

Baſilii vero Menologium hic agit de ſanctis martyribus, Cyria, Valeria, & Marcia Cæſarienſibus Palæſtinæ; ſub incertis Præſide, & Imperatore. Indubie in Euſebio Cæſarienſi earum martyrium non habetur. Quod tamen Baronius (not. ad martyr. hac die) dicit Menologiis haberi, & cum noſtris addit Zenaidam, ſociam paſſionis. Aliud lumen quæro, & præſtabo aliis.

DIE SEPTIMA.

Ruthenè: Theodotu. Theodoti.
Græcè: Τȣ̃ ἁγίȣ ἱερομάρτυρος Θεοδότȣ Ἀγκύρας. *Sacroſancti martyris Theodoti Ancyrani.* In Menol. vero Baſilii: Ἄθλησις καὶ ἀνακομιδὴ τȣ̃ λειψάνου τȣ̃ ἁγίȣ μάρτυρος Θεοδότȣ. *Certamen & translatio reliquiarum, Sancti Martyris Theodoti.*

COMMENTARIUS.

Delatus *Theodoto* Præſidi, quod Sanctarum virginum & martyrum corpora, in lacum (ſtagnum) projecta eduxiſſet, & ſepeliſſet; ei ſiſtitur,

tur, & ob fidem, acriter verberatur; hinc bis ligno ſuſpenditur (equuleo) latera ei uruntur, lampadibus ustulatur &c. Tandem capite obtruncatur. Phronto presbyter reliquias poſt mortem, in ſuo prædio ſepelivit. Hæc ex Actis quæ genuina edidit Ruinartius. Unum, ſed adhuc quæro, cur *Hieromartyrem* eum dicant? cum laicus ipſe fuerit, & œnopola, *Vini venditor? Caupo*,

In Uſtavo quidem Rutheno, *Epiſcopus* quoque dicitur. Menologium Baſilii narrat eadem die 18. Maii, & die iſta, non tamen *Epiſcopum* eum dicit. *Galatam* eum dicit, *natum* in Caſtello *Mali*, *delatum Ancyræ Præſidi anonymo*.

DIE OCTAVA.

Ruthenè: Theodoru. Theodori.

Græcè: Τῦ ἁγίυ μεγαλομάρτυρ© Θεοδώρυ τῦ ϛρατηλάτυ. *Sancti magnique martyris, Theodori Tribuni militum*. In Rubrica Synaxarii dicitur: Ἡ ἀνακομιδὴ τῦ λειψάνυ τῦ ἁγίυ μεγαλομάρτυρ©, &c. *Repoſitio reliquiarum ſancti magnique martyris &c.* Ita & Baſilii Menologium.

COMMENTARIUS.

Sub Licinio natus in Euchailis, & Heracleæ Ponti moras faciens, pulcherrimus mente & corpore, *ac ſapientiſſimus: quamobrem a nonnullis dicebatur* βρυορήτωρ (*fluvius eloquentiæ*) poſt ſuperata tormenta omnia, & ipſam mortem, fidelibus & devotis, multa contulit beneficia. Hac die vero, repoſitionem, translationem ejus corporis celebramus. Menologium Baſilii ſilet ſignata, & addit: In fide a nobilibus parentibus educatum: factum militem, & Ducem creatum Ponti Heracleæ. A Licinio accerſitum; hunc potius Heracleam, ut ad ſe veniret, induxiſſe: petiiſſe Idola, & fregiſſe, dediſſeque pauperibus, feciſſe tandem martyrium, & ejus corpus in Euchajam translatum, prope Euchaitas. In Acta, fabula ſe immiſit, in ad ſe, advocato Imperatore: in domam ſuam petita & fracta Idola, & pauperibus elargita.

Agitur, & hac die, etiam de SS. martyribus Nicandro & Marciano, ſub Maximo Præſide, loco incerto, ita & ſub incerto Imperatore. Menologium Baſilii de his agit die præcedenti.

DIE NONA.

Ruthenè: Cyrilu Alexandrinu. Cyrilli Alexandrini.

Græcè: Τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Κυρίλλυ Πάπα Ἀλεξανδρείας. *S. Patris noſtri Cyrilli Papæ Alexandrini*.

COMMENTARIUS.

Sine Synaxario, habet ſolum diſtichon. Menol. Baſilii de eo agit, die 27. hujus menſis. Nepos Theophili, & ſucceſſor, fortiter pugnavit pro Deipara in Neſtorium. Sed ſciendum, diem hanc nonam, decimam, & undecimam, defuiſſe in Menologio Baſilii, & ex Menæis excuſis fuiſſe ſuppletos, Ita enim habetur in Præfatione, ad Baſilii Menologium.

Hac die agitur etiam de Sancta Pelagia, Virgine & Martyre Antiochena, quæ delata Præſidi anonymo, Deo inſpirante, ſe ex domo projecit, & mortua eſt. Encomiis ſuis eam Chryſoſtomus honoravit, ob virginitatem, & aſceſeos magnitudinem. Agit hic & de ea Baſilii Menol.

DIE DECIMA.

Ruthenè: Timotheu. Timothei.

Græcè: Τῦ ἁγίυ ἱερομάρτυρ© Τιμοθέυ ἐπισκόπυ Προύσης. *Sacroſancti martyris Timothei, Epiſcopi Pruſæ*.

COMMENTARIUS.

Sub Juliano apoſtata, ingentem draconem, qui greges & homines ſolo flatu interimebat, & iter inter Balnea & urbem perdebat, projecto ſolo fragmine (κλάσματ©) panis. Capite autem eſt obtruncatus, a Juliano apoſtata, quod miracula faciebat. Fit ejus ſynaxis in ejus martyrio, quod eſt intra *Xenonem*, qui eſt in *Deuturo*. Hæc officina illa Draconis. Totidem verbotenus habet, Baſilii Menologium.

Hac die fit & de ſancto patre noſtro Canido ſub Theodoſio Magno. Ita & Menol. Baſilii. Credo Epiſcopum, ſed cujus Eccleſiæ?

Agitur & de Sanctis Epiſcopis Bithyniæ, Apolline, & Alexio, ſine diſticho, aut ſynaxario. De his nihil in Baſilii Menologio.

DIE UNDECIMA.

Ruthenè: Vartolomeu, Varnava. Bartholomæi, Barnabæ.

COMMENTARIUS.

Bartholomæus unus ex duodecim apoſtolis, in India prædicavit, τοῖς καλυμένοις Εὐδαίμοσι. *Arabiæ Felici*. (Hæc ergo eſt illa India) *qui appellantur Felices*. Matthæi Evangelio illis tradito. Traditus ipſe eſt ἐν Ἀρβανῦ πόλει, *in Arbani urbe*, puto *Albani*: Corpus ejus in urna *plumbea* (μολυβδίνη) poſitum, & in mare projectum; miraculoſe in Siciliam, & ad inſulam Liparam pervenit. Ibi conditum floruit miraculis. Officina uberrima Sicilia & Lipara. Tu vide, quæ de Bartholomæi corpore, adhuc Conſtantinopoli anno 846. dixi ad diem tertiam Aprilis, in S. Joſepho hymnographo. Cæterum totidem prorſus habet Baſilii Menol.

Barnabas, (qui & *Joſes* dicitur in Actibus Apoſtolorum) unus e ſeptuaginta, ordinatur comes Pauli Apoſtoli. Fuit ex Tribu Levi, & natus & & nutritus in Cypri inſula. Οὗτ© πρῶτ© ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἐν Ῥώμῃ, καὶ Ἀλεξανδρείᾳ ἐκήρυττε τὸ Εὐαγγέλιον τῦ Χριςῦ: Hic primus Hieroſolymæ, & Romæ, & Alexandriæ, Chriſti evangelium prædicavit: & cum profectus eſſet in Cyprum, a Judæis & Ethnicis lapidatur; & igni traditur, & a Marco apoſtolo & evangeliſta, condito in ſpelunca, ubi Ephe-

Epheſum navigavit ad Paulum, ei exitum Barnabæ renunciavit. Flevit autem eum diu Marcus. *Dicitur* (λέγεται) ſepultus fuiſſe una cum Marci Evangelio, quo cum poſtea ad pectus, inventus eſt. Hinc Privilegium (προνόμιον) fideles acceperunt, non ſubjacendi hanc inſulam alii utiquam Epiſcoporum, ſed a proprio Epiſcopo ordinari. In relatis, nullam ſuboleo fictionem. Attamen nihil tuti. Excripta totidem in Baſilii Menologio.

Die duodecima.

Ruthenè: Onuphri. Onuphrii.
Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ονουφρίου. *S, Patris noſtri Onuphrii.*

COMMENTARIUS.

Ægyptius, dum vivit in Cœnobio poſito *in Eremo urbis Thebarum*, audita vita Heliæ, & Baptiſtæ, exit inde, & eremum habitat annos ſexaginta. Paphnutius eum primus videt, poſt ſeptem & decem dies itineris, in deſerti interiora, & vitam ejus audivit. Onuphrius moritur, & tribonio Paphnutii dimidiato, involutus ſepelitur. Erat enim nudus, *& capillis ſolis albis, qui eum operiebant. Mox cadit calyba, & palma ſiccatur, & aqua deficit. Fit ejus Synaxis, in ſacratiſſimo ejus Oratorio, poſito in Monaſterio S. Alypii.* En officinam. Vel acta penitus ficta, vel ſuſpecta valde. Et nomen indubie, Onuphri. Scriptum ergo oportuit *Onuphrium*. De Abba Anuph, ſermo aliquis in vitis Patrum deſerti. Menol. Baſilii pro primis ſubſignatis, habet *Hermopolim Thebarum*: additque in morte: *ſociam autem communionem ab angelo accipimus*. Et hic fabula. Signata alia in ipſo deſunt. Vide Bailletium hac die, Papebrochium, alioſque.

Eadem die agitur de Sancta martyre Antonina, Nicæna Bithyniæ, ſub Priſcilliano (vel Dracilliano) Præſide, & Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano. Corruptum enim puto in Menol. Græcorum Δρισκιλλιανοῦ, Δ loco Π vel contra Δρακιλλιανοῦ. Præſidis nomen ſiletur in Menologio Baſilii. Dracillianus Præfectus eſt Urbi Romæ anno 326.

Eadem die ſine Synaxario, aut diſtichis, fit ſola commemoratio S. Johannis militis, & Sanctorum Zenonis & Tryphonis Epiſcoporum; & Sancti Juliani, τοῦ ἐν τῇ Λίβυῃ, ἐν τοῖς Δαγάτου: *qui vixit in Libis, in Dagati Regione.* Quæ nomina monſtruoſa, hæc ſunt? De Petro (Monacho in Monte Atho, ut ait Uſtavum Ruthenum) nihil habetur in Menol. Græcorum.

Die decimatertia.

Ruthenè: Acylina. Aquilinæ. Xiphyllii corr. Triphillii.
Græcè: Τῆς ἁγίας μάρτυρος Ακυλίνης. *Sanctæ martyris Aquilinæ.*

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano, & *Biblo* (Βίβλου) Præſide Paleſtinæ, filia viri Illuſtris *Athalmi* (Αθαλμοῦ) baptizatur ab Aithalio Epiſcopo, annos agens quindecim: & ipſa amicas puellas, adducit ad Chriſtum. Delata *Proconſuli Voluſiano* (Ανθυπάτῳ Οὐολουσιανῷ) a quodam Nicomede, ei ſiſtitur, & ob Chriſtum flagris cæditur, & ſubulis ignitis ei aures perforantur, ita ut ſanguis efflueret per nares, & totum caput, intus cremaretur. Sententiam mortis accipit, & obtruncatur. Fit ejus Synaxis, in ejus *martyrio, poſito in Ædibus Philoxeni.* Ex Actis ab imperito hujus officinæ, aliquantulum corruptis. Menol. Baſilii ſilet ſignata iſta: contra vero ita narrat ejus martyrium. Sub Trajano Imperatore in Byblo Phæniciæ urbe, filia viri Illuſtris Eutholmii, quinquennis baptizatur ab Euthalio Epiſcopo: decennis æquales puellas docet Chriſtum. A Nicandro quodam delata Præſidi &c. Ex actis veris.

De S. Triphyllio hac die nihil in utroque Menologio.

Die decimaquarta.

Ruthenè: Eliſeu. Methodii Patriarchi. Elipi. Methodii Patriarchæ.
Græcè: Τοῦ ἁγίου προφήτου Ελισσαίου. *Sancti Prophetæ Eliſſæi.*
Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Μεθοδίου Αρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως: *Sancti Patris noſtri Methodii Archiepiſcopi Conſtantinopoleos.* Menol. Baſilii ſcribit, Πατριάρχου; Patriarchæ.

COMMENTARIUS.

De Eliſæo, omnia e ſcriptura.

De Methodio, hæc narrantur: dum pugnat contra Iconomachos, verbo ſcriptoque, *& multa ab illis patitur*, in pace tandem quievit. *Ejus Synaxis fit in ejus ſacello, ubi ejus corpus quieſcit, poſito in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum.* Menologium Baſilii ſilet ſignata, & ait: Siculus & monachus, venit Conſtantinopolim. Inde Iconomachorum opera, clauditur in Monaſterio Epiſcopatus Chii. A Theodora Auguſta, & filio Michaele fit Patriarcha. Sedit annos quatuor, menſes tres. Nempe poſt reſtitutam ab ea orthodoxiam, quam S. Joannicius antea prophetaverat.

Agitur eadem die de S. Cyrillo Epiſcopo Gortynæ in inſula Cretæ. Sed ſolo diſticho. Menol. Baſilii habet Synaxarium, ſed tantum Epiſcopum Cretæ dicit.

Die decimaquinta.

Ruthenè: Amu. Amos.
Græcè: Τοῦ ἁγίου προφήτου Αμώς: *Sancti Prophetæ Amos.*

COM-

COMMENTARIUS.

Amos pater Eſaiæ prophetæ natus in Thecuc terra Zabulon, prophetat annos quinquaginta, & reliqua e ſcriptura.

Eadem die agitur de Sancto Dula (Δουλᾶ) martyre, *ex Zephyrio Prætoriadæ* Provinciæ Ciliciæ, ſub Maximo Præſide. Menol. Baſilii, Maximum dicit Præfectum Ciliciæ. De Imperatore in utraque Menologii altum ſilentium.

DIE DECIMASEXTA.

Ruthenè: Tychonu. Tychonis.

Græcè: Τοῦ ἁγίου καὶ θαυματουργοῦ Τύχωνος: *Sancti & Thaumaturgi Tychonis*. In Rubrica Synaxarii, additur: ἐπισκόπου Ἀμαθοῦντος, πόλεως τῆς νήσου Κύπρου: *Epiſcopi Amathuntis, civitatis in Cypri inſula*.

COMMENTARIUS.

Poſt tyrocinia ſapientiæ & virtutum a Mnemonio Epiſcopo Amathuntis, fit diaconus; eoque mortuo, fit Epiſcopus loci ejuſdem, a Magno Epiphanio. Multos ab *idolis* (ἀπὸ πλάνης) convertit; *Eccleſias multas ex Templis idolorum fecit*: In vita, & poſt mortem miraculis floruit: quorum duo ſubnectit: alterum in pueritia, in panibus a patre ei datis, ut eos venum iret: alterum in ſarmento, ab eo fixo in terra, dehinc ſtatim viridi facto, & ſuo tempore reddente fructus (βότρυν, κατὰ τὴν ἑξκαιδεκάτην τοῦ Ἰουνίου μηνὸς: *die 16. Junii*; qua ejus commemoratio celebratur. Menol. Baſilii ſilet ſignata; & hoc factum dicit, *tempore ejus commemorationis*: & pro *Amathunte* dicit *Trimithuntis*, ſed male.

DIE DECIMASEPTIMA.

Ruthenè: Manuilu. Savilu. Iſmailu. Manuells, Sabelis, Iſmaelis.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Μανουὴλ, Σαβὲλ, καὶ Ἰσμαὴλ: *Sanctorum martyrum Manuel, Sabel, & Iſmael*.

COMMENTARIUS.

Fratres Perſæ ex patre Archimago, a Baltano Perſarum Rege (Βαλτάνου) miſſi feriendæ pacis cauſa, cum apoſtata Juliano: nactique apoſtatam Idolis ſacrificantem Chalcedone, *libere Chriſtum, ipſi Chriſtiani fatentur, & ita alios faciundum hortantur*: Siſtuntur Juliano, verberantur, *clavis* talos habent perfoſſos, maxillæ eis uruntur. Hæc ipſis communia. Manuel vero, *etiam* pro miſſis tentatur a Juliano: conſtanti in fide, caput clavis configitur. Alia tormenta. Tandem cum fratribus, *in muro ad Thraciam* (πρὸς Θρᾴκην) *qui dicitur Conſtantini, in locum præcipitem* (κρημνώδη) *adducti*, capitibus obtruncantur. In his mihi nihil ſuſpectum eſt, præter quam, ſi velimus legatos Regis Perſarum: quod in legatos exorbitans videtur; id apoſtatam admiſiſſe. Saltem id numeraſſent authores, in excerptis legationum. Menol. Baſilii ſilet ſignata, ait natos a matre Chriſtiana, ab Eunico Chriſtiano educatos: pro *clavis* &c. habet: *triſtitia affecti ſunt*.

Eadem die agitur: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Βησσαρίωνος: *S. Patris noſtri Baſarionis*. A pueritia Scetim profectus, & ſolitariam vitam, ſemper ſub dio egit, ſine libris, ſine veſtibus, ſolum Deum meditatus, ejuſque opera, in frigore & nuditate, in æſtu & ardore ſolis: vixit annos 80. & in pace obdormivit. Veremur, ne incredibilia voluerit fabula ſibi credi.

DIE DECIMAOCTAVA.

Ruthenè. Leontii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λεοντίου: *Sancti martyris Leontii*.

COMMENTARIUS.

In rubrica Synaxarii additur: Καὶ τῶν σὺν αὐτῷ Ὑπατίου καὶ Θεοδούλου. *Et ſociorum ejus Hypatii, & Theoduli*. Menologium Baſilii, perpetuo dicit: Ὕπατον. Hypatum.

Leontius ex Hellade, vir fortiſſimus, degens Tripoli *Africæ, pro horreis Imperialibus*, fovebat pauperes Chriſtianos. Quod reſciens Hadrianus Præſes Phæniciæ, qui ibi præerat, tempore Veſpaſiani, mittit Tribunum militum Hypatium, cum duobus aliis militibus, quorum alter Theodulus dicebatur. Per viam Hypatius, acri febri correptus, audit ſupernam angeli vocem, qua hortabatur, ut ſi vellet ſanari, ter in adjutorium, Leontii Deum invocet. Hoc facto ille ſanus evadit. *Sequitur viam: pervenit: ignorans Leontium, Leontium ipſum interrogat: & ille, Leontium ſe, & Chriſti famulum profitetur. Tribunus & Theodulus ad hæc, ad pedes Leontii ſe projiciunt, & petunt ut in Chriſti gratia ſe ædificet. Leontius orat. Pluviam, dicitur,* (λέγεται) *demittit nebula, qua baptizantur, & alba veſte induuntur. Ethnici turbati*, iſta renuntiant Præſidi Hadriano; qui eos jubet ſibi ſiſti; firmoſque in fide repertos, Hypatium & Theodulum, *poſt aliquot tormenta*, capite plecti imperat. Leontium acriter & acerrime flagellatus, poſt multa, *lapide collo gravatus* (βαρυνθεὶς), *inter verbera*. ſpiritum Deo reddit. Prodigia, ſunt ex Commentitio cerebello. Etſi ſignata deſiderantur in Baſilii Menologio. Hoc enim habet, Leontium a Veſpaſiano factum Tribunum militum (γεγονὼς στρατηγὸς) vocem illam, a Thedulo etiam auditam, & hinc baptizato: *credidit, & ambo a ſancto baptizantur*.

DIE DECIMANONA.

Ruthenè: Juda, Judæ.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἰούδα. *Sancti Apoſtoli Judæ*.

COMMENTARIUS.

Ipſe, *in Evangelio* κατ' αὐτὸν (*ſecundum Judam*) *& in Actibus Apoſtolorum, dicitur Judas, in eo*

ſecun-

ſecundum Matthæum & Marcum, Thaddæus, & Levæus (Λευαῖος) *appellatur. Frater Chriſti Domini, ſecundum carnem, reputatus, & filius Joſephi, ſponſi Beatæ Virginis; frater vero germanus Jacobi Adelphothei, qui notam ſcribit epiſtolam: miſſus ab ipſo Chriſto, orbem peragrat; prædicat & Edeſſæ, quo ad Abgarum perrexit, ut eum ſanaret. Tandem venit Arara urbem* (Ἀραρὰ) *ubi ab infidelibus, ſagittis confoſſus*, ſpiritum Deo reddidit. In Chriſti cognatione multa Græci comminiſcuntur, præcipue poſt Metaphraſtem. Menologium Baſilii pro his omnibus, habet partem Symboli Apoſtolici; quod ipſum dicit, ubique prædicaſſe: præſertim *in Meſopotamia*: & urbem *Arara*, dicit *Arat* (Ἀρὰτ)

Eadem die de Sancto martyre Zoſimo agitur; qui miles ſub Trajano Imperatore ab Apolloniade, quæ eſt in Sozopoli, & ſub Præſide Antiochiæ Piſidiæ Domitiano, pro Chriſti fide paſſus eſt.

DIE VIGESIMA.

Ruthenè: Methodii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Μεθοδίου ἐπισκόπου Παταρῶν. *Sacroſancti martyris Methodii, Epiſcopi Patarorum.*

COMMENTARIUS.

Divino calculo factus Epiſcopus Patarenſis, dum fideliter paſcit ovilem ſuum, in Origenis errores inſurgit: unde ejus fama exiit in terram omnem. Tandem pro fide, ab Ethnicis capite obtruncatur. *Multa reliquit opera; etiam prophetica, & de Antichriſto.* Aſt Menologium Baſilii ſilet ſignata iſta. Sed de eo, ejuſque operibus, & Sede Epiſcopali, vide recentiores noſtros Tillemontium, Dupinium, & Bailletium; qui enucleatius cuncta rimantur, quæ ad ipſum ſpectant. Ibi, num Tyri Epiſcopus, num Olympi, num Patarorum.

DIE VIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Julianu. Juliani.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἰουλιανοῦ, τοῦ ἐν Κιλικίᾳ. *Sancti martyris Ciliciæ Juliani.*

COMMENTARIUS.

Civis Anazarbi, in ſecunda Ciliciæ Provincia, filius Ethnici Senatoris, matris vero Chriſtianæ, ab ea Chriſti fidem ediſcit. Octo & decem annos agens, defertur Præſidi Marciano. Conſtans in fide, poſt multa, in ſacco arenæ, & ſerpentium incluſus, in mare projicitur, & ſic martyrium paſſus eſt. Menologium Baſilii hac die agit de Juliano martyre Ægyptio. De noſtro vero Cilice, die decimaſexta Martii; ubi omnia fere ad verbum, ſed in urbem Ægas adductum, addit. Quod vero ait, *corpus* demerſi *Alexandriam ejectum, & a religioſa vidua ſepultum*; hinc ego vereor, ne idem ſit Cilix iſte ac ille Ægyptius. In quo, locus martyrii ſiletur, & nomen Præſidis: licet dicatur ſub Diocletiano paſſus. Et fabula apparet ex Monaſterio illo maximo, condito a Juliano. In quod Præſes immiſſo igne, Epiſcopum cremat, Sacerdotes, & Monachos: Apparet etiam in frequentibus prodigiis & portentis, in fucina illa elaboratis.

DIE VIGESIMASECUNDA.

Ruthenè: Euſevii. Euſebii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Εὐσεβίου ἐπισκόπου Σαμοσάτων. *Sacroſancti martyris Euſebii Epiſcopi Samaſateni.*

COMMENTARIUS.

Sub Conſtantino Magno, Zelotes maximus fidei orthodoxæ; ſub Conſtantio ejus filio, minante manum ei præciſurum, niſi decretum a Magno Meletio ſcriptum produceret, ambas protendit manus. Menologium Baſilii hic addit, λέγεται, *fertur*. Poſt Conſtantium, & Julianum, Valens Auguſtus, ſed Arianus, eum dejecit throno, & ad Iſtrum flumen exulem eum miſit. Defuncto perſecutore, dum redit ad ſuam ſedem, ab Ariana muliere, tegula e tecto, in capite percuſſus: pro ea Deum, ut ei pareat, oratione fuſa ſpiritum martyr Deo reddit. Menologium Baſilii ait: *Cui vulneri tantiſper ſuperſtes, poſtquam ſuis præcepiſſet, ne fœminæ inferant ullam pœnam, finem vivendi fecit.*

DIE VIGESIMATERTIA.

Ruthenè: Agrippina, Agrippinæ.

Græcè: Τῆς ἁγίας μάρτυρος Ἀγριππίνης. *Sanctæ martyris Agrippinæ.*

COMMENTARIUS.

Virgo Romana, poſt multa tormenta (in quibus prodigia angelorum) martyrium fecit. Baſſa, Paula, & Agathonica, dum ejus corpus tollunt, & de loco in locum evehentes; in Siciliæ tandem Provinciam ponunt. Statim ac iſta facta ſunt, Sicilia a dœmonibus liberatur. Agareni hinc auſi caſtrum aggredi, ubi erat Eccleſia, & corpus Sanctæ; funditus ſunt deperditi: & ex eo tempore, miraculis ſcatet; & mirabilis eſt præcipue in leproſos. Virginem ſiculam ego puto, non Romanam: illa prodigia non admitto: nec Siciliam tunc liberatam a dœmonibus, dœmones potius duco Saracenos, qui a nono & decimo ſeculo, Sicilia, quam invaſerant, ſunt potiti, miracula caſtri liberati, & in leproſos, concedo facile. In officina illa, & fuſoria, fabulæ ſunt confictæ, De hac Agrippina, nemo alias verba facit, nec Bailletius. Tillemontius &c. ſed tantummodo ſiculus Cajetanus. Menol. Baſilii nihil de ea habet hac die, ſed tantum agit de martyribus Zenone, & Zena, Ariſtocle & ſociis: & de Euſtachio; & item ſociis.

DIE VIGESIMAQUARTA.

Ruthenè: Rozdeſtro Joanna. Eliſavet. Zacharia: Nativitas Johannis (Baptiſtæ) Eliſabet, Zachariæ.

Græcè: Τὸ γενέσιον τοῦ τιμίου ἐνδόξου προφήτου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου. *Nativitas pretioſi, glorioſi prophetæ, præcurſoris, & Baptiſtæ Johannis.*

COMMENTARIUS.

Omnia e ſcriptura. Illud tamen videtur hic notandum: Προδραμὼν ἐν τῷ Ἅδῃ, τὴν ἀνάστασιν εὐαγγελίζεσθαι: *Præcurrens in Infernum, ad Reſurrectionem evangelizandam*: poſt necem utique. Et notandum illum etiam, Ἀρχιερέα (*Pontificem maximum*) dici Zachariam: quod habet etiam Baſilii Menologium: Bajazetum Turcarum Imperatorem, anno 1484. donaſſe manum dexteram S. Johannis Baptiſtæ, magno Rhodiorum Magiſtro, ad eum annum narrant Raynaldus num.72. & Spondanus num.4. Hinc Equites Rhodii, amiſſa Rnodo, dicti ſunt Johannitæ. Idem dono mandavit ferrum lanceæ Domini, Innocentio PP. VIII. anno 1493. iidem authores habent, ad eum annum, Spondanus num.7. Raynaldus a num.15. ad 17. Rhodus anno 1522. a Solimano ſubacta eſt: ac tum Equites illi, anno 1526. a Carolo V. Imperatore, Melitenſem inſulam aſſecuti; eo commigrarunt anno 1530. Spondanus ad nunc annum, num.13. Alii volunt eo perrexiſſe, anno 1529. De Eliſabet & Zacharia nihil utrumque Menol.

In Menologio Baſilii hac die agitur de Sanctis martyribus Orentio & ſex fratribus ejus, qui ſub Diocletiano milites, & ab ipſo in exilium pulſi, ubi varie perierunt, Hunc puto Orenſium illum Lycium.

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè: Fivronia. Phæbroniæ.

Græcè: Τῆς ἁγίας ὁσιομάρτυρος Φευρωνίας. *Sanctæ, venerandæ martyris Phebroniæ.*

COMMENTARIUS.

Monacha in monaſterio poſito *in finibus Imperii Romani, & Perſici*, ſcilicet *Niſibi, quæ Antiochia dicitur Mygdoniæ*, ſorores omnes virtute ſuperat, quibus Bryæna præerat. Sub Diocletiano igitur, & *Seleno* (Σελήνῳ) Præſide, moniales ſociæ, vitandæ cauſa perſecutionis, omnes fugiunt, & ſola Phebronia morbo impedita remanet, aſſiſtenteſque ei Bryæna, & *Hieria Syncletica. Urbi Seleni milites veniunt, ſecuribus frangunt januas, & mox ingreſſi, Bryænam obtruncare nituntur. Sed Primus patruelis* (ἀνεψιὸς) *Lyſimachi intercedit, qui Chriſtianorum ſemper miſerebatur. Seleno igitur ſiſtitur Febronia* (*quam fulciunt, & corroborant, dum ſequutæ Bryæna, Hieria, Thomais, Libo, vel Libya*) Λιβόη, Λιβύη, (nam utroque modo hic ſcribitur) & *Leonida, & puerula Atropia. Liboe capite obtruncatur. Leonida igni traditur. Atropia decollatur, Bryæna redit in Monaſterium flens & ululans: perculſa timore incerti finis. Thomais & Hieria, virili habitu aſſumpto, ſequuntur Sanctam, inter miniſtros, ſeſe immixtæ. Phebronia ſiſtitur primum Lyſimacho Seleni patrueli* (ἀνεψιῷ) *qui fruſtra tentam, a quatuor aptari* (τανῆναι) *jubet, & igne ſuppoſito, a militibus verberari, & in plagas fervens oleum inſpergi*. Hinc pectinibus plectris (πλήκτροις) ferreis ſulcari imperat. Poſt hæc ei *linguam præcidi, dentes excuti*, mammillas exſcindi, & *in cæſuris ignem admoveri*, manus & pedes obtruncari; tandem capite plecti jubet. *His geſtis, a fidelibus corpus ſuſcipitur, Lyſimacho per Firmum Comitem jubente, ut in monaſterium deferretur. Quod fit, militibus corpus, & Firmo ipſo geſtantibus, ibique fuit compoſitum, denuo per membra ſingula, dentibus in pectore* (ἐν τῷ στήθει) *collocatis & compoſitis, cum hymnis & pſalmis; comitantibus Epiſcopis & clericis & monachis, & multitudine magna Chriſtianorum. Odas igitur canentibus, debitæ ſepulturæ mandatum eſt. Dum fit annua ejus in Monaſterio commemoratio, ſancta dicitur* (λέγεται) *viſa inter ſorores, virgines Monaſterii concinere & locum ſuum tenuiſſe, uſque ad tertiam orationem: dumque Bryæna eam tenere voluit, diſparuiſſe: nequaquam ſuſtinendo manum illam. Lyſimachus dolens de malo, quod erat filius Chriſtianæ, orat jejunans, & ſe percutiens ob mortem tam crudeliter inflictam, & eſſere martyri, & flens amare, paulo poſt cum Primo accedit Chriſto, cum eo baptizatus. Selenus mente alienatus, oculos in cœlum intendit, mugit ut bos alte, & uni columnarum percuſſo capite, ita digno fine animam efflaviſſe.* Inter nebulas & tonitrua & fulgetra & fulmina fabularum, quas ad ſatietatem otium ſe voluit expleviſſe, lumen affulget aliquod veritatis: ſed quod ſit illud, funditus ignoramus. Gratiæ bardiſſimo noſtro Phelo, qui aſinis ſcribere, & cum aſinis loqui talia ſibi credidit.

Menologium Baſilii multos hos devitat ſcopulos, ſilet, ab *Hieria & ſyncletica* (pro quibus habet *Thomaidem*) uſque ad *fervens oleum inſpergi*: ſiletque iterum ab *linguam præcidi*, uſque *ad animam efflaviſſe*, quæ ſunt in fine. Contra, hæc habet. Pro *Niſibi*, dicit *Sibi* (Σίβει) de more factum ex *Niſibi* obtruncato. In Monaſterio, dicit, *Sanctæ Bryenæ* (τῆς ἁγίας Βρυαίνης) Selenum dicit *Selinum* (Σελίνου), Tempora ſequiora, & non Diocletianum innuunt, tot Monaſteria etiam Monialium, tot Epiſcopi, tot Clerici & Chriſtiani, & ſolemnes publicæ exequiæ.

DIE

Die vigesimasexta.

Ruthenè : Davidu . Davidis .
Græcè : Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Δαβὶδ τοῦ ἐν Θεσσαλονίκῃ. *Sancti Patris noſtri David Theſſalonicenſis*.

COMMENTARIUS.

Genere ab Oriente, Occidentem petit. A pueritia, virtutibus exornatus; tanquam angelus in carne, tuguriulum (καλιὰν) ſibi fecit ex amygdalæ ramis juxta Theſſalonicam, & ibi vixit, & velut avis canora (εὐκέλαδος) prædicavit advenientibus. Floruit & miraculis, colluctatus cum frigore aeris, & æſtu ſolis. *Ardentes carbones in manu ſumpſit, coram Imperatore* (quem ſilet) *dum thus ei adolet* (τοῦτον θυμιάσας) *& illæſus manſit*. Tandem ad Dominum commigravit. Menologium Baſilii de eo agit die 27. hujus menſis, & ait, ipſum a pueritia fuiſſe monachum, & noſtra ſignata ſilet. Mihi olet mores, & tempora ſtylitarum. Meminit ejus Rom. Martyrologium hac die quoque, cum hac epigraphe, *Theſſalonicæ S. David eremitæ*: nec Baronius addit in notis, quidquam temporis.

Eadem die agitur de Sancto Johanne Epiſcopo Gotthiæ, *filio Leonis & Photinæ*, qui (ἁγιασθεὶς ἐκ βρέφους, ὡς Ἱερεμίας ὁ προφήτης, καὶ Σαμουὴλ ὁ μέγας) ſanctificatus ab infantia, ut Jeremias, propheta, & *Samuel magnus*: & natus antea annunciatus; ſub Conſtantino & Leone Iſauro, a Catholico Iberiæ, Epiſcopus ordinatus (quod in *Græciæ Imperio*, Iconomachorum hæreſis tunc prævalebat). Imperatrici Ireni fuit carus. E Conſtantinopoli reverſus ad ſuam Eccleſiam, & a propria plebe exagitatus, Amaſtride, quo fugerat, vitam claudit. Menologium Baſilii ſilet ſignata, & Conſtantinopolim.

Die vigesimaseptima.

Ruthenè : Sampſonu . Sampſonis .
Græcè : Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Σαμψὼν τοῦ ξενοδόχου. *Sancti Patris noſtri Sampſonis Xenodochi*.

COMMENTARIUS.

Romanus, mortuis parentibus, ſua omnia dat pauperibus, & venit Conſtantinopolim, ubi ob ejus eximias virtutes & ſanctitatem cognitus Menæ Patriarchæ, ab eo fit presbyter. Medicæ ſcientiæ erat peritus, ſanavitque Juſtinianum Imperatorem, ab incurabili quodam morbo. *Hinc viri virtutem miratus Juſtinianus; & reverentiam ei præſtans*, Xenonem evexit, *ipſumque Scevophylacem magnæ Eccleſiæ fecit*. Sancte obiit, ejuſque corpus in magna Eccleſia S. Mocii, *ubi miracula multa geſſit*. Menologium Baſilii habet ipſum a Mena factum presbyterum *magnæ Eccleſiæ*: ipſum fuiſſe, *Magni Conſtantini conſanguineum* (συγγενὴς) Interpres vertit, *affinem*. Cæterum Scevophylax eſt *major ſacriſta*. Sed Menol. Baſilii, ait Xenonem a Juſtiniano Imperatore Sampſoni noſtro fuiſſe commendatum: quod quadrat melius *Xenodocho*.

Eadem die agitur de Sancto Anecto martyre ſub Diocletiano, & Urbano Præſide Ceſareæ non Paleſtinæ, ſed *Cappadociæ*. Menologium Baſilii de eo agit die decima Martii; ubi *ſub Decio* paſſus dicitur, incerto Præſide, & loco. Memini tamen, *Urbanum* fuiſſe Præſidem *Cæſareæ Paleſtinæ*, non Cappadociæ, & poſt eum, *Firmilianum*, ſed neminem *Anectum* novi martyrem, inter martyres Paleſtinæ in libro Euſebii Cæſarienſis.

Die vigesimaoctava.

Ruthenè : Cyru Joanna . Cyri Johannis :
Græcè : Ἡ ἀνακομιδὴ τῶν ἁγίων καὶ ἰαματικῶν ἀναργύρων, Κύρου καὶ Ἰωάννου. *Tranſlatio reliquiarum Sanctorum, & ſine mercede medentium, Cyri & Johannis*.

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano Cyrus Alexandrinus, & Johannes Edeſſenus, amici ex morum ſimilitudine & arte, pro Chriſto omnes medentur, & circuunt prædicantes, multos convertunt, & ſuo hortatu faciunt multos martyres. Delati autem & torti, tandem martyrium & ipſi ſubeunt. Eorum corpora a fidelibus tunc compoſita; ſub Arcadio Imperatore, & Theophilo Alexandrino Patriarcha, *hac die* inventum eſt: & exinde miraculis & beneficiis, eorum reliquiæ ſunt conſpicuæ, *cum dæmoniacis, cæcis, claudis* &c. uſque ad hanc diem. Menologium Baſilii habet eadem, ad claritatem addit *Alexandriæ*: verum ſignata ſilet.

Die vigesimanona.

Ruthenè : Petra . Pavol . Petri Pauli .
Græcè : Τῶν ἁγίων ἐνδόξων, πανευφήμων ἀποστόλων, καὶ πρωτοκορυφαίων Πέτρου, καὶ Παύλου. *Sanctorum glorioſorum, & celeberrimorum Apoſtolorum, & Protocoryphæorum Petri & Pauli*,

COMMENTARIUS.

Inter alios, qui hic afferuntur, de ipſis concinentes, ut ſunt *Andreas* Hieroſolymitanus (ideſt Cretenſis) *Aſterius*, *Germanus*, opinor, Patriarcha, & *Johannes monachus* (ſcilicet Damaſcenus) adducitur & *Byzantius*. Ex quo apparet, non ante illos floruiſſe, & mihi ſuſpicio, de octavo ſeculo, aut nono.

Petrus, filius Jonæ, *ex tribu Simeon*, frater Andreæ, fuit *ex ignobili, & tenui* urbe Bethſaida, *ſub Hyrcano ſummo Pontifice*, in ſumma penuria vivebat, & ſuis manibus laborabat. Se ipſum locans, uxorem duxit filiam Ariſtobuli fratris Barnabæ Apoſtoli, & filios genuit. Andreas frater manſit celebs, ſub tempus, in quo Johannes erat in carcere; Jeſus ad ſtagnum Geneſaret vocat Andream & Petrum, *reficientes retia ſua*, ſequuntur ipſum. Petrus *prædicat in Judæa*,

dæa, *Antiochia*, *Ponto*, *Galatia*, *Cappadocia*, *Aſia*, & *Bithynia*. Venit Romam, ubi *poſt conflictum cum Simone mago*; ſub Nerone, inverſo capite crucifigitur. Deſcribitur ejus vultus; quod ex præconceptis imaginum formis, natum puto: *Colore albus*, & *ſubrufus*, *capillo criſpus* (οὖλος) *oculis ſanguineis*, *capite* & *barba canus* (πολιός) *naſo oblongo*, *naribus apertis*, *ſtatura brevis*, *rectus*. *Zelo divino permotus*, *peccatores acriter urget*; *Erga pœnitentes compatiens*, *flecti facilis*, & *cito priores ſententias deponebat*.

Paulus Hebræus & ipſe, *ex Tribu Benjamin*, *Phariſæus ſecta*, *diſcipuluſque Gamaliel*, Tarſi habitabat. Reliqua etiam e Scriptura. Tandem venit Romam. *ibique multos convertit*, &, *temporibus aliquot poſt Petrum* (καὶ χρόνοις ὕστερον μετὰ Πέτρου, τὸν αὐχένα τμηθεὶς) *abſciſſa cervice*, vitam reliquit. *Ajunt* (φασὶ) *ex plaga lac* & *ſanguinem effluxiſſe*. Deſcribitur etiam vultus Pauli, de more, quo pictus cernitur apud Græcos. Sub finem adduntur aliqua Coſmæ Monachi, & in ipſo fine, alia Jonannis monachi, vel alius, vel Damaſceni. Menologium Baſilii ſilet ſignata in utroque Apoſtolo, additque tantum *piſcatorem*: quod cæteroqui habet etiam Menologium Græcorum, in iis, *reficientes retia ſua*. Qui luculenter hæc avet, adeat Tillemontium, Bailletium, &c.

DIE TRIGESIMA.

Ruthenè: Sobor Apoſtolu. Feſtum omnium Apoſtolorum.

Græcè: Ἡ σύναξις τῶν ἁγίων, ἐνδόξων, πανευφήμων ἀποστόλων, τῶν οβ'. *Synaxis Sanctorum*, *glorioſorum*, & *celeberrimorum Apoſtolorum*, *e ſeptuaginta duobus*.

COMMENTARIUS.

Synaxarium ſed breviſſimum pro ſingulis ſeparatum: a Petro initio facto; tum a Paulo, Andrea, Jacobo, Johanne, Philippo, Thoma, Bartholomæo (de quo, ut ſupra) Matthæo, Jacobo Alphæi, Simone, Thaddæo, Matthia, Adelphotheo Symeone, Barnaba, Marco, Luca, Philippo, Anania, Juſto, Prochoro, & Nicanore, & Parmena. Nicolaus enim fuit heterodoxus. Prochoro & Barnabæ tribuuntur, falſa geſta apoſtolorum; & aliis alia, quæ diſcuſſimus ſuo loco. Menol. Baſilii in ſolis duodecim apoſtolis in hac Synaxi ſe continet. Illud Græcorum ut vidimus, præter duodecim apoſtolos, habet ſeptem diſcipulos, & ſeptem diaconos ex Actis Apoſtolorum Lucæ: habetque, ſed reprobat Nicolaum.

MENSE JULIO.

DIE PRIMA.

RUthenè: Cozma. Damianu. Coſmæ. Damiani.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων, καὶ ἰαματικῶν ἀναργύρων, Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ, τῶν ἐν Ῥώμῃ πληνωθέντων. *Sanctorum martyrum*, & *gratis medentium Coſmæ* & *Damiani*, *qui Romæ paſſi ſunt*.

COMMENTARIUS.

Sub Carino Imperatore, medici & non ſolis hominibus, *ſed* & *beſtiis* gratis medicantes; ſolam mercedem ab hominibus quærentes, Fidem in Chriſtum Deum; deferuntur Imperatori, tanquam magi. *Dum alii*, *pro ipſis capiuntur*, *ſe ipſos produnt*; & dum non negant, ſed Imperatorem a morbo ſanant, atque ab infidelitate. Nam inter interrogationes & minas, *poſitio ejus vultus*, *ſuper alterum humerorum*, *verſa remanſit*. Adſtantes tunc credunt, & Imperator ipſe, qui Chriſtum, cum omnibus confitetur. *mittitque* Sanctos *ad propria*, honorifica. Aliquanto poſt (ὕστερον) invidia ejus, qui ob eorum artem, ipſos moderabatur; in montem quendam eos ducit, tanquam ad plantas medicas colligendas; ibique lapidibus eos obruit. Fabulæ, & meræ fabulæ; quæ, acta imaginantur, ut *tria paria* efforment *ſanctorum anargyrorum* nomine, Coſmæ & Damiani, martyrum medicorum. Menologium Baſilii ſilet ſignata, vel habet eadem, verum aliter: velut illud interpretis, Imperatoris *luxato collo*; quod erat *obtorto collo*: &, ὁ ἐπιστάτης αὐτοὺς, quod vertit; *is qui eis præerat*; quod Menol. Baſilii dicit, διδάσκαλον αὐτῶν, *eorum magiſtrum*; ſed male. Bene & recte: *is qui eis præerat*. *Præfectus* fit Scholæ medicorum Palatinorum.

DIE SECUNDA.

Ruthenè: Poloxenie nyzi proſviatia Bogorodici. Repoſitio veſtium Protectricis noſtræ Deiparæ.

Græcè: Ἡ κατάθεσις τῆς τιμίας ἐσθῆτος τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου ἐν Βλαχέρναις. *Repoſitio pretioſæ veſtis*, *ſanctiſſimæ Deiparæ in Blachernis*. In Rubrica Synaxarii legitur: Μνήμην ποιούμεθα τῆς ἐν τῇ ἁγίᾳ σορῷ καταθέσεως τῆς τιμίας ἐσθῆτος τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, ἐπὶ Λέοντος τοῦ μεγάλου, καὶ Βηρίνης τῆς αὐτοῦ γυναικός. *Memoriam agimus*, *repoſitionis in ſacra urna*, *pretioſæ veſtis Deiparæ Sanctiſſimæ*; *ſub Leone magno*, & *Verina ejus uxore*.

COMMENTARIUS.

Fratres & Patricii, Galbius & Candidus, pergunt adoratum in Palæſtinam & Hieruſalem: & *ubi ſunt in locis Galilææ*; apud Hebræam quamdam,

dam, inventa pretioſa veſte Beatæ Virginis, quæ ab illa in honore habebatur, eam aſſequendi ponunt ſtudium. Profecti igitur Hieroſolyma, & viſitatis omnibus locis ſanctis; loculum ſimilem illi, in quo veſtis pretioſa condebatur, præparant; & in reditu vacuum hunc, ἐπὶ σχήματος ἴδωτο, in ſpecimen reliquiam poſuerunt, illumque cum ſacra & divina veſte auferentes, Conſtantinopolim attulerunt; & in ſuo ſuburbio, quod Blachernarum dicebatur, depoſuerunt. Procurant hinc occultum *tenere hunc theſaurum, ſed illud nequeunt; & idcirco renunciant Imperatori*, qui cum gaudio eam *viſitat, ibique Eccleſiam jubet erigi: in qua* hactenus *pretioſus loculus jacet, propugnaculum Urbis, & morborum, & hoſtium elaterium*: ἐλατήριον. Unum quæro, quis Patricios certos reddidit, eam veram Beatæ Virginis veſtem eſſe? Hebræa illa. Et ab Hebræa veritas & traditio Chriſtianis? Solique Hebrææ illi tanta fides; in tanti momenti re; poſt quadringentos & ultra, annos a morte B. Virginis? & ab Hebræa ſola cognita & culta veſtis? An ludibrium ejus fuerit populi Chriſtiani; an fraus pia Patriciorum? Laudo ego Conſtantinopolitani Populi devotionem & fidem cœcam; non laudo vel ſupinam fidem, vel fraudem in Galbio, & Candido (nihil Candido) vel muliercula illi filiæ Judæorum; juratæ ſcilicet inimicæ Chriſtianorum. Cur non ſe fecerat Chriſtiana, ſi vera ſua? Idem dico de Zona illa dicta B. Virginis (de qua die 31. agemus Auguſti). Quæ Hieroſolymis educta ab Arcadio Imperatore, dicitur, ibique uſque ad illa tempora, una cum pretioſa hac veſte, a quadam virgine, aſſervata. Eadem hæc ad verbum habet die iſto, Græcorum Menologium.

Menologium Baſilii ſilet ſignata, & *vetulam*, illam dicit: & quod cum Galbius & Candidus, ſub Leone Magno Imp. in domo vetulæ, ægrotorum turbam jacentem vidiſſent, cauſam percontati, didicerunt, eo in loco pretioſam veſtem Deiparæ aſſervari. Rogarunt itaque, ut eam adorare ſibi liceret, & admiſſos eſſe. Cum vero noctu, clam Thecæ menſuram accepiſſent; Hieroſolyma profecti, &c. Nunc claret clarius impoſtura. Et Epiſcopus Hieroſolymæ id ſinebat apud Hebræam, & Hebræa non credebat? Sanctus Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymæ hic tunc erat. Et *Templum Blachernarum*, ait, *a Marciano Imperatore conditum*; eaque, pro corpore B. Virginis non invento; linteamina eſſe inducta. Floruit autem Juvenalis ſub Theodoſio minore & Marciano: ante annum 431. & deinceps.

DIE TERTIA.

Ruthenè: Hyacinthu. Anatolii. Hyacinthi. Anatolii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ὑακίνθου. *Sancti martyris Hyacinthi.*

Eadem die: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀνατολίου, Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως. *Sancti Patris noſtri Anatolii. Patriarchæ Conſtantinopolis.*

COMMENTARIUS.

Ex Cæſarea prima Cappadociæ, miniſtroque menſæ Trajani Imperatoris delatus ut Chriſtianus, toto corpore flagellatus, carceri mancipatur, & ibi fame conficitur. Menologium Baſilii dicit, eum Trajani fuiſſe *cubicularium*. Quod ex Græcis noſtris (inter tot alios Hyacinthos martyres) ſequitur Romanum Martyrologium. Noſtri Critici cum Bailletio, ne mutiunt quidem; quia ſuſpecta habent martyria omnia ſub Trajano.

Anatolius presbyter, & Apocriſarius Eccleſiæ Alexandrinæ, fit Archiepiſcopus Conſtantinopoleos ſub Theodoſio minore, a Dioſcoro, quod ſperabat eum ſuæ hæreſi ſubſcriptum: ſed falſus eſt. Nam Anatolius primus fuit, qui in Chalcedonenſi Synodo generali, anathema in eum dixit; & Flaviani nomen, in Diptychis repoſuit: Qui a Dioſcoro, & Leſtrica *Synodo* (Menol. Baſilii, addit *Ephesinam*) erat ipſe damnatus, *deturbatuſque Solio, & occiſus* (Menol. Baſilii addit) *Ipſe mittit encyclicas ad omnes Epiſcopos, ut anathema dicerent in Exarchas illius hæreſis* (hæc modo ſignata, habet ſolum, Baſilii Menologium) *omneſque hæreticos, anathematis ſententia perculſit*. Demum Patriarcha Conſtantinopolis creatus, dum paſcit Eccleſiam Orthodoxam; *injuſta morte ab hæreticis, eſt ſublatus. Succeſſit ei Gennadius*. Menol. Baſilii ſilet ultima hæc ſignata, & pro ipſis tantum habet: *ad Dominum migravit*. In omnibus fulget veritas, præter finem narrationis, in Menologio Græcorum.

DIE QUARTA.

Ruthenè: Andrei. Andreæ.

Græcè: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀνδρέου τοῦ Ἱεροσολυμίτου, ἀρχιεπισκόπου Κρήτης. *Sancti Patris noſtri Andreæ Hieroſolymitani Archiepiſcopi Cretæ.*

COMMENTARIUS.

Damaſcenus patria, a Theodoro Patriarcha Conſtantinopolitano fit clericus, & ſubſcriptor (ὑπογραφεὺς) ejus. Collecta Conſtantinopoli Synodo, cum eo aſſiſtit actis. Fit Diaconus magnæ Eccleſiæ, & paulò poſt, Orphanotrophus. Demum Archiepiſcopus Cretæ. In quadam inſula, dicta Hieraſus (quæ eſt prope Mitylenem, vitam iſtam relinquit, & multa ſcripta, quæ Dei Eccleſiæ ſunt utilia. Nil ſubleſtum. Menol. Baſilii de eo non habet aliud, quam ejus Commemorationem.

Eadem die, ſine Rubrica, celebratur certamen ſacroſancti martyris Theodori Epiſcopi Cyrenis, & memoria ſancti Donati Epiſcopi Libyæ.

Die ſequenti habetur Synaxarium ſanctæ martyris Cyrillæ viduæ, quæ cum Lucia & Arva, Theodoro Epiſcopo ſuo Cyrenis in Lybia (κατὰ Λιβύην) miniſtrarunt, & ut ille, per Dignianum Prædem, paſſæ ſunt. Ex Actis, ut apparet, bonis, omnia ſint educta. Theodorus in Menol. Baſilii habet Synaxarium, in quo dicitur, ſub Diocletiano, Calligraphus, & multorum ſacrorum Codicum

dicum exſcriptor; a proprio filio delatus, urbi Præfecto ſacros renuit dare libros. Sed *Præſes*, non *urbi Præfectus* erat vertendum. Nam Dignianus, ibi erat *Præſes*. Menol. Baſilii præter Luciam, omnia ſilet in Theodoro: in Cyrilla vero totidem fere habet, ac Menologium Græcorum.

DIE QUINTA.

Ruthenè: Martha. Athanaſii. Lampadii. Simeonu. Marthæ. Athanaſii. Lampadii. Simeonis.

Græcè: Τῆς ὁσίας Μάρθας μητρὸς τοῦ ἁγίου Συμεὼν τοῦ ἐν τῷ θαυμαστῷ ὄρει. *Sanctæ Marthæ, matris ſancti Symeonis, qui vixit in Monte mirabili,*

COMMENTARIVS.

Vita ſancta, & Virginis devotiſſima, a qua etiam dum vivebat, de bonis æternis ei præparatis, certior facta eſt. Beata Virgo, aliàs etiam ei apparet. Sanctiſſime obiit.

Eadem die: Τοῦ ὁσίου καὶ θεοφόρου πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου τοῦ ἐν τῷ Ἄθῳ. *Sancti & Deiferi Patris noſtri Athanaſii, qui in Monte Atho.*

COMMENTARIVS.

In priſcis duobus verſiculis, Stichera, dicitur:

> Μέγας μὲν Ἀντώνιος ἀρχὴ πατέρων,
> Θεῖος δ' Ἀθανάσιος ἔνθεον τέλος.
> *Patrum Principium magnus Antonius.*
> *Divinus Finis, Sanctus Athanaſius.*

Abrahamius antea appellatus, natuſque Trapezunte in Lazita, ex parentibus piis; quorum pater genus ex Antiochia ducebat, mater vero ibi educata fuerat: ſtudet: floret ſcientia & virtute. Venit idcirco Conſtantinopolim; hic montem Cuminam (Κυμινᾶν) petit (qui altiſſimus & invius eſt in Aſia) ubi erat Monaſterium, cui ſanctiſſimus præerat Hegumenus Michael Malæinus. Excipitur: dicitur Athanaſius: brevi ſuperat virtute fratres omnes: quod autem ibi ab omnibus honore afficiebatur, venit in montem Atho, altiſſimum in Macedonia & prælongum; ibique ſenis cujuſdam fit diſcipulus, τὴν ὑποταγὴν ἐν μετρίῳ φρονήματι ἀσπαζόμενος. Hinc in montis interiora, ex revelatione, habitat, & multa κατωρθωκὼς, a celeberrimo ob victorias, & Imperatore Nicephoro Phoca, a quo maxime & amice nimis habebatur, Eccleſiam exſtruit Dei matri, cum maximo Cœnobio. Ad Dominum tandem migrat. Citatur liber de ejus vita; ex quo ſummatim tria miracula referuntur: de leproſo: periclitantibus in mari, dum vivebat, & poſt mortem: de infirmo ab eo, ſanato: alia quotidiana (καθ' ἑκάστην) quæ per ſingulos dies, operatur per ipſum Deus. In actis non habeo quid reprehendam. Ea erat vivendi regula, per ea tempora ſummis Sanctis. Tempora ſunt vergentis ſeculi decimi: circa an. 969. Menol. Baſilii non habet hunc Athanaſium; quia non eſt antiquius nono ſeculo.

Eadem die: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Λαμπαδίου. *Sancti Patris noſtri Lampadii.*

E Synaxario id ſolum elucet; fuiſſe a pueritia aſceſi deditum, & hinc Monachum ſanctiſſimæ vitæ, & miraculorum ornatum dono. Invocatum, devotis beneficia conferre; & in ſpelunca adhuc, eum populos venerari, ubi ejus corpus quieſcit, traditur. Quamobrem in principio Officii dicitur *Thaumaturgus*. In canone ejus habemus, habitaſſe in ſpeluncis & montibus; fuiſſe typum & hypotypoſim monachorum, tanquam Eliam in Eremo: fuiſſe lumen ſui gregis; ex quo eruo fuiſſe Abbatem. Multas habuiſſe revelationes: ad multum tempus vixiſſe occultum. A Deo fuiſſe revelatum, ubi ejus corpus quieſcebat. Menologium Baſilii hac die quarta, hæc ſola de eo habet: *Sancti Lampadi* (Λαμπάδου) *qui in Irenopoli* (τοῦ ἐν Εἰρηνοπόλει) Urbis Ciliciæ Epiſcopalis hæc eſt, ſub Archiepiſcopo Anazarbi, ad radices Tauri. Ætas ignota; Cilicem quoque putem; Palæſtra, monachiſmus, montes. Thaumaturgus in vita, & poſtea, & cultus Irenopoli. Hæc vix vi, ex hiſce expreſſeris. Eruditi de eo non mutiunt; & nequidem, Romanum Martyrologium.

Die præcedenti; (nempe quarta) ſt ſola commemoratio ſine alio, aut verſiculis; Μαρίας τῆς μητρὸς τοῦ ἁγίου Συμεὼν τοῦ Στυλίτου. *Mariæ, matris ſancti Symeonis Stylitæ.* Num hanc ſibi volebant noſtræ Ephemerides? Uſtavum Ruthenum, hac die *quinta*, *monialem* habet, matrem S. Symeonis Thaumaturgi. Sed de ipſa, in Menologio Græcorum, neque vola, neque veſtigium, ea die. Uti nec monachorum aliquot, qui in noſtris Ephemeridis aſpiciuntur, aut hac, aut præcedenti, aut ſequentibus diebus. Haud tamen videntur, hi martyres eſſe noti in Menologio Græcorum in die iſta, in qua tantum Rubrica dicit: *Certamen ſancti martyris Baſilii, & ſociorum ejus martyrum 70. qui Stythopoli paſſi ſunt.*

DIE SEXTA.

Ruthenè: Siſoi. Siſois.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Σισώη τοῦ μεγάλου. *Sancti Patris noſtri Syſois magni.*

COMMENTARIVS.

A puero Deum diligens, & virtutibus omnibus ſe exornans aſceſi, ei dedit Deus mortuos ſuſcitare. Ita etiam ſanctè moritur. Eadem habet & Baſilii Menologium.

Eadem die agitur de ſancta Lucia virgine, *Rixio Vicario*, & plurimis aliis, qui paſſi ſunt in Campania. Comprehenſa a *Rixo*, recuſat ſacrificare diis, & multa patitur. Convertit ad Chriſtum perſecutorem ſuum, & cum eo ab loci Præſide, capite obtruncantur. Quis iſte Præſes ſucceſſor *Rixi*? quem putem, eſſe *Rictium Varum*, ſi reliqua habeamus. Habet longiora his ſine ſucco, Baſilii Menologium, die iſta; ſed ſine *Rixo Vicario*, aut ſolo *Rixo*.

Agitur item de ſancto *Aſtio* (Ἀστίου) Epiſcopo Dyrra-

Dyrrachii, ſub Trajano Imp. & Agricolao Præſide, martyre. Qui poſt multa tormenta, expoſitus Soli ardenti, & melle unctus; inter muſcarum & veſparum morſus, ſanctam vitam clauſit.

DIE SEPTIMA.

Ruthenè. Fthomii. Anna. Acacii. Thomæ Annæ. Acacii.

Græcè: Τȣ̃ ἁγίȣ Θωμᾶ τȣ̃ ἐν τῷ Μηλαιῷ. *Sancti Thomæ* τȣ̃ *in monte Malæo*. In Rubrica Synaxarii: Τȣ̃ ὁσίȣ πατρὸς ἡμῶν Θωμᾶ, &c. *S. Patris noſtri Thomæ, &c.* Malæus *mons* ſæpe in Canone, ut Ode 8. Tropario 2.

COMMENTARIUS.

In magna Thomas dignitate militari, poſt multa relata a barbaris trophæa, illuſtri vita Chriſtum ſequitur, plenuſque virtutibus, & miraculis; & tandem in Domino ſancte moritur. Quo tempore, aut quæ alia, non narrantur. Menologium Baſilii habet ejus Synaxarium, in quo habet *factum monachum in Malæo* (ἐν τῷ Μηλαιῷ). Hic in ejus Canone, ad primum Omæum, Μαγζέντα τὸ σχῆμα ὁσίως ἠμφιέσω, viſibili columna ignis, eum Deus eſt comitatus ad Malæum. Omæum 2. Aqua ejus precibus ſcaturiit & effluxit: cœci viſum, claudi greſſum, ab eo receperunt. Ibidem, manu prophetæ, eum Deus a vinculis abſolvit, unde venit ad vitam novam. Ode 1. Trop. 1. Habuit viſiones divinas in Malæo. Ode 5. Trop. 2. Aqua illa exorata in Malæo, ubi Eremus ſiticuloſus. Vide tempus ſupra, die quinta, in S. Athanaſio in monte Atho, ejus diſcipulo. Nempe ſub Nicephoro Phoca Imp. in fine ſeculi decimi.

DIE OCTAVA.

Ruthenè: Procopii.

Græcè: Τȣ̃ ἁγίȣ ἐνδόξου μεγαλομάρτυρος Προκοπίου: *Sancti & glorioſi magni martyris Procopii*.

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano, ex patre *Chriſtophoro* Chriſtiano, & matre *Theodoſia* natus ethnicus, in urbe *Æliænon* (Αἰλιάνων Αἰλιαίων) Patre mortuo, a matre adducitur ad Diocletianum, qui eum facit Ducem Alexandrinorum (Δοῦκα τῆς Ἀλεξανδρείας). Jubetur perſequi Chriſtianos. Dum proficiſcitur Alexandriam; inter viam, de repente fulgura & tonitrua, & vox cœleſtis, quæ eum appellat Neaniam; *quomodo antea dicebatur: quæ impedit ei iter*, & mortem minatur, quia pergit in Chriſtianos. Procopius *orat, ut clarius is, qui loquitur, ſe revelet*. Et Crux ei apparuit *in ſpecie Cryſtalli, & vocem audit: Ego ſum qui crucifixus fui, filius Dei, narrans reliqua divinæ OEconomiæ*. *Reverſus* Scythopolim, Crucem ſibi fieri curat, ad typum illum *ex auro & argento*. Maximum poſt hæc ducit triumphum de Saracenis. *Mater invitat ad ſacrificia Euchariſtica Diis. Sed clarum erat, cuinam crediderat Procopius*. Mater eum defert ut Chriſtianum Imperatori; qui *Vlcio* (Οὐλκίῳ) *Præſide Cæſarienſi eum remittit examinandum: A quo poſt verbera, carceri mancipatur, eum reputans ſemimortuum. Sed Dei aſſiſtentia, a vinculis ſolvitur, & Procopius vocatus eſt. Ducitur in Templum poſtea idolorum, orat; & idola ſubvertuntur: & milites duorum numerorum, una cum Nicoſtrato & Antiocho eorum Tribunis, & duodecim fœminis Senatoriis*, & matre ejus *Theodoſia* convertuntur. *Quorum viri capite obtruncantur: fœminæ acriter in mammillis torquentur; Præciſis mammillis, & ignitis ſphæris in facie uſtulatæ, ipſæ quoque*, capite obtruncantur. *Poſt hæc a Flaviano Præſide, Procopius iterum producitur, & Archelao cuidam, gladio feriendus in ventre traditur. Archelaus moritur; dum hoc intendit: Sanctus* ſuſpenditur & pectitur. utitur ſub carbonibus, acetum immittitur ejus naribus; & manu ignem & thus compulſo ſumere, manſit immota manus. Poſt alia, dum in clibanum ignitum injicitur, Sanctus Crucis ſigno eum evertit. Gladio tandem feritur, & ita finem martyrio facit. Quantæ fabulæ in unis Actis! Satius nunquam cepit fabulatorum, in Sancti honorem, ſed falſum, & in deceptionem (ut putabat) piam fidelium devotorum. Menologium Baſilii, ſilet ſubſignata: dicit Αἰλίῳ, *Æliam* ideſt *Hieruſalem*, non Αἰλιανῶν. Νεανίαν interpres, vertit *adoleſcentem*; & non *reverſum* Scythopolim, ſed *profectum*. Vide vera Acta in Euſebio Cæſarienſi in martyribus Paleſtinæ, quæ in ſua genuina & ſincera Acta Ruinartius derivavit. Et tunc, ad collationem, mirare ſummam fabulatoris Græculi confidentiam, qui ſuis deliriis, omnes Orientis Eccleſias conſpurcavit.

DIE NONA.

Ruthenè: Pancratii.

Græcè: Τȣ̃ ἁγίου ἱερομάρτυρος Παγκρατίου ἐπισκόπου Ταυρομενίου ἐν Σικελίᾳ. *Sacroſancti martyris Pancratii Epiſcopi Tauromenii in Sicilia*.

In rubrica Synaxarii dicitur: Ταυρομενίας. *Tauromeniæ*.

COMMENTARIUS.

Antiochenus genere, converſus a Petro Apoſtolo, & Epiſcopus Tauromenii ordinatus; *incidit in naucleros Remillum & Licaonidem* (Λυκαονίδην) & navigat in Siciliam; ibique prædicat Chriſtum. Ubi eo advenit, (τοῦ τε Φάλκωνος, καὶ Λύσσωνος, καὶ τῶν λοιπῶν δαιμόνων) *Falconis & Lyſſonis, & reliquorum dæmonum fugat in Dalmata, & convertit loci Præſidem Bonifacium. Eccleſiam erigit. Quotidie miracula operatur*, & convertit Siculos & baptizat. *Abſente Præſide Bonifacio, a Montanis occiditur*: ὑπὸ τῶν Μοντανῶν. Pro impoſtoris libitu, & temeritate, omnia ſunt conficta. Quid monſtra illa dœmonum *Falconis*, & *Lyſſonis*? Quis non ſuccenſeat, his auditis? Menologium Baſilii de eo agit, die 9. Februarii; ſilet ſignata omnia. dicit, Patrem ejus veniſſe cum filio,

lio, ut videret Chriſtum; amicitiam cum Petro contraxiſſe. Filium a Petro tandem Epiſcopum ordinatum; & cum ibi Chriſtum prædicaret; clam ab infidelibus interfectum. Et præter hæc, aliud de eo non dicit. Incerta omnia, & poſt ſecula ferrea, ita cuſa per nebulones.

Eadem die agitur de S. Cyrillo martyre & Epiſcopo Gortynes ſub Diocletiano. Num duo ejuſdem Civitatis & nominis Cyrilli, Epiſcopi Gortynæ, quorum hic ſit ſub Diocletiano, vel Decio; alter octavo vel nono ſæculo? Acta multiplicata & fœdata opinor; & ſine neceſſitate.

DIE DECIMA.

Ruthenè: Czetici Deſiàt piàt muconic o Nicopoli. Quadraginta quinque martyrum Nicopoli.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων, τῶν ἐν Νικοπόλει τῆς Αρμενίας: *Sanctorum martyrum, qui Nicopoli Armeniæ paſſi ſunt*. In rubrica Synaxarii. Τῶν ἁγίων μέ. μαρτύρων, τῶν ἐν Νικοπόλει τῆς Αρμενίας μαρτυρησάντων. *Sanctorum 45. martyrum, qui Nicopoli Armeniæ paſſi ſunt*.

COMMENTARIUS.

Ad verbum. Hi temporibus Licinii Imperatoris, & Lyciæ Præſidis Chriſtum confeſſi ſunt. Ipſis autem præerant (qui erant primi etiam in Civitate) Leontius, Mauritius, Daniel, & Antonius. Variis autem tormentis cruciati; tandem in caminum ignis injecti, finem ſui certaminis nacti ſunt. Hæc ſola, & nihil aliud, præter Canonem; in quo eorum nomina non ponuntur.

In Menol. Baſilii, primum flagellantur, mox lapidibus eorum ora & facies tunduntur, & mox carceri mancipantur, & ibi fames ad plures dies. Cuſtodes credunt; omnibus, ſecuri crura franguntur. Ita martyrium faciunt, alii in fornace.

Eadem die agitur de Sanctis martyribus Bianore & Silvano. Bianor erat Piſida: ſiſtitur Severiano Præſidi *Euphrateſiæ* (Menol. Baſilii ait *Iſauriæ*). Inter tormenta, Silvanus, qui adſtabat, convertitur, ac prius torquetur, hinc cum illo capite obtruncatur. Ex his ſolis, judicium bonum: ſed ſine Actis, quid tuti?

Eadem die agitur de Sanctis *decem millibus* (μυρίων) Patribus, quos per ignem & morte violenta tradidit Theophilus Epiſcopus Alexandrinus, (διὰ) ob Iſidorum presbyterum. Ita etiam habet Menol. Baſilii die nona, ſed pro decem millibus, recte interpres facit, *innumerabilium* Sanctorum Patrum, *qui in ſpelunca combuſti & ſuffocati ſunt, a Theophilo Alexandrino Epiſcopo*, propter Iſidorum presbyterum. Eadem prorſus; præter *ſpeluncam*. Hiſtoria immanitatis habetur in ea Patrum Græcorum, & in Tillemontio, ubi de Palladii *Lauſiaca*.

DIE UNDECIMA.

Ruthenè: Euphimia. Euphemiæ.

Græcè: Τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος καὶ πανευφήμου Εὐφημίας: *Sanctæ magnæque martyris & celeberrimæ Euphemiæ*.

COMMENTARIUS.

Sub piiſſimis Imperatoribus Marciano, & Pulcheria Auguſta, collecta Synodo Calcedonenſi, Patrum 630. contra Eutychem & Dioſcorum Monophyſitas; hæreticis non ſuadetur; communi conſilio duos tomos ſcribunt; quiſque pro ſua ſententia unum. Aperiunt urnam Sanctæ, & ambos ſub pectus ejus ponunt. Abeunt: & poſt dies aliquot, iterum accedunt; & tomum hæreticorum inveniunt, ſub pedes martyris projectum; tomum vero orthodoxorum in ejus manibus. Eoque viſo, pudore hæretici, gaudio Catholici ſunt repleti. An hæc vera? Tillemontius tom. 5. & Bailletius ex ſilentio antiquorum falſi arguunt hoc miraculum, & hiſtoriam. Menol. Baſilii dicit, a Flaviano Synodum congregatam. Eutychen a communione fidelium ſegregatum. *Sanctum* Imperatorem Marcianum, Synodum convocaſſe: & ab Euphemia haberi confirmatam. Sed quomodo factum, non dicit. Mihi olent hæc Metaphraſtem; aut efficta in Monophyſitas. Cæterum (ita ſequitur Synaxarium; quæ Menol. Baſilii non habet) martyr fuit temporibus Diocletiani ſub Priſco Procos. Europæ; civis Calcedonenſis, quæ delata ut Chriſtiana, igni traditur, & hinc beſtiis: alia tormenta patitur, & martyrium demum facit. S. Aſterium hic non video, & acta vera non prodierunt. Eupertomus ea a ſociis Papebrochii, qui in Ephemeridibus Græcomoſchis, ait pulchra ſe reperiſſe. Bailletius & Tillemontius cum Ruinartio adhuc muſſitant.

Menologium Baſilii hac die agit de S. Bartholomæo Apoſtolo, qui in Arabia Felice, Abarnopoli in crucem actus vitam clauſit. In crucem actum referunt valvæ æneæ, Baſilicæ S. Pauli Apoſtoli, extra Romam via Oſtienſi; fuſæ Conſtantinopoli, anno 1071. ſub Alexio Commeno, juſſu Ildebrandi, nempe S. Gregorii PP. VII.

DIE DUODECIMA.

Ruthenè: Proclo. Ilarii. Michailu. Procli. Hilarii. Michaelis.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Πρόκλου καὶ Ιλαρίωνος. *Sanctorum martyrum Procli & Hilarionis*. In rubrica Synaxarii dicitur: καὶ Ιλαρίου: *& Hilarii*; uti etiam bis dicitur in corpore Synaxarii.

COMMENTARIUS.

Sub Trajano Imperatore, & *Maximo* Præſide, lampadibus primum comprehenditur Proclus; & coram Imperatore Chriſtum confeſſus, Maximo traditur Præſidi: lampadibus, & venter ei & latera uruntur: ſuſpenditur ligno, *& ingens la*-

pis

pis ejus pedibus alligatur. Dum nudus ducitur ſagittandus, obviam habet ſuum patruelem (ἀνεψιὸν) Hilarium *tractum ab Ethnicis*. Proclus ſagittis obit: Hilarius, ſe Chriſtianum faſſus, ſuſpenſus flagellatur, & ad tria milliaria raptatus, hinc capite obtruncatur. Menologium Baſilii ſignatis caret. Pro *Maximo* dicit *Maximianum*. Proclus cum ſalutaſſet Hilarium ἀνεψιὸν, (*nepotem* vertit interpres) in cauſa fuit, ut & iſte comprehenderetur: & *ad aliquot milliaria* raptaretur.

De ſancto Michaele monacho Meliteno (qui anno 923. obierit, ut dicit Uſtavum Moſchoviticum) nihil habet hac die Menologium Græcorum; nec unquam Baſilii Menologium: qua agit de ſancto martyre Serapione, & ſociis; Andrea milite, Fauſto, Mena, & eorum ſociis: & ſancti martyris Mamantis, trans fretum in Sigmate. Sed ſine rubrica, & ſine alio.

Die decimatertia.

Ruthenè: Sobor Gavriilu. Feſtum Gabrielis Archangeli.

Græcè: Η' σύναξις τοῦ ἀρχαγγέλου Γαβριήλ: *Synaxis Archangeli Gabrielis*.

COMMENTARIUS.

Sine Synaxario, ſolus canon Joſephi: de quo, ut monacho Theſſalonicenſi, & martyre pro ſacris imaginibus ſub Leone Armeno, ut habet Uſtavum Græcomoſchum; hic nullum verbum. Agitur enim ſola rubrica de S. Stephano Sabbaita, & cum Synaxario de ſancta martyre Golinduth, cognominata Maria, ſub Coſroë Perſarum Rege, & Marciano Imperatore. Sequenti vero die agitur, ſed ſola rubrica, de ſancto Patre noſtro Joſepho Archiepiſcopo Theſſalonicenſi: qui Synaxarium habet die 15. filius Photini & Theoctiſtæ, & frater ſancti Theodori Abbatis Studitæ, ob laudabilem ſuam vitam, communi calculo fit Archiepiſcopus Theſſalonicæ: ſub Impio Theophilo, frater in exilium Apolloniam, pro Imaginibus ſacris pellitur; Joſeph variis cruciatibus, carceribus in fame & ſiti, ad longum tempus tentatus, tandem in Domino martyr obit.

Die decimaquarta.

Ruthenè: Acilla. Aquilæ.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἀκύλα ἑνὸς τῶν ο. *Sancti apoſtoli Aquilæ, unius ex numero* 70.

COMMENTARIUS.

Aquila ille, de quo Lucas in Actis Apoſtolorum, Diſcipulus Pauli; qui pro Chriſti nomine multa inſudatus, coronam vitæ ab eo tandem recepit. Menol. Baſilii, de eo agit die 13. Februarii, ubi dicitur ſcenofactoriæ artis profeſſor, primum Ethnicus, hinc a Paulo una cum Priſcilla ejus uxore baptizatus, demum poſt Pauli mortem, ab Ethnicis poſt cruciatus multos, una cum Priſcilla fuiſſe obtruncatus.

Die decimaquinta.

Ruthenè: Julito. Cyricu. Julitæ. Cyrici.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Κηρύκου, καὶ Ἰουλίττης τῆς μητρὸς αὐτοῦ. *Sanctorum martyrum Quirici, & Julittæ matris ejus*.

COMMENTARIUS.

In Diocletiani perſecutione, Iconienſis Civis Julitta, cum trienni filio Quirico, fugit relicta patria Seleuciam; unde eadem urgente cauſa Tarſum Ciliciæ fugit. Ubi ab Alexandro crudeli & feroci Præſide comprehenſa, verberatur. Abſtractum ab ea filium, Præſes *ſuper genua poſitum* (addit Menol. Baſilii) blanditiis ad ſe trahere haud valens, ſed defixe intuentem, matrem, & ſubblabatiente voce, Chriſtum invocantem: (ἐπεὶ λὰξ κατὰ τῆς γαστρὸς ἐκτείνας τοῦ ἡγεμόνος, ὡς εἶχεν αὐτὸν, κατὰ τῶν βαθμίδων τοῦ βήματος ἔρριψε) poſtquam calcibus Præſidis ventrem impetiit, is ut eum habebat, per gradus tribunalis projecit: qui *ad murum* confracto cranio, reliquit beatam animam. Mater poſt multa tormenta, capite obtruncatur. In his nihil apparet falſi; & vera proinde ſunt Acta: quæ Combefiſius edidit, & ex eo Ruinartius.

Die decimasexta.

Ruthenè: Pocra Sedm Lutagi. Patrum ſeptem Synodorum Generalium.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἀθηνογένους: *Sacroſancti martyris Athenogenis*. In rubrica Synaxarii, additur: ἐπισκόπου γενομένου Πηδαχθοένσης: *qui fuit Epiſcopus PEDACHTHOENSÆ*. Ubi næc Eccleſia? Corrige *Petræ* Πέτρας. Quæ Metropolis in Arabia, dicta *Krach*, vel *Arach*, unde formatum Πετραχθούσης ex Πέτρας ἀχθούσης. Athenogenem Epiſcopum hujus loci novit Lequienius, tomo 3. Orientis Chriſtiani col. 726. Sed non ſanctum, nec noſtrum, verum alium, qui filius Damianæ floruit inter ſexti ſeculi, & initia ſeptimi; & non fuit martyr.

COMMENTARIUS.

De Athenogene agit utrumque Menologium hac die: De ſeptem Synodis Œcumenicis feſto nihil habet, ut noſtræ Ruthenæ Tabulæ. Sed hæc tantum hic poſt Oden nonam, recitat in Rubrica Menologium Græcorum.

Χρὴ εἰδέναι, ὅτι μετὰ τὴν μνήμην τῶν παρόντων ἁγίων ἤτοι μετὰ τὰς ις' τοῦ παρόντος μηνὸς τῇ πρώτῃ ἐρχομένῃ Κυριακῇ, ψάλλομεν τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν Χαλκηδόνι χλ'. ἐν Νικαίᾳ τιη', τῶν ἐν τῇ βασιλευούσῃ πόλει ρν', τῶν ἐν Ἐφέσῳ σ', τῶν ἐν τῇ ε' συνόδῳ ρξε', καὶ τῶν ἐν τῇ ς' συνόδῳ ρο'. Αὕτη ἡ ἀκολουθία, ἐστὶ ποίημα τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως Φιλοθέου. *Oportet ſcire, quoniam poſt commemorationem præſentium Sanctorum, nempe poſt diem ſextam hujus menſis, pri-*

ma quæ occurrat die Dominica, *nos canimus Acoluthiam Sanctorum Patrum* 630. *Chalcedonis; Patrum Nicenorum* 318. *Patrum in Imperiali Urbe* (Conſtantinopoli) 150.; *Patrum* 200. *Epheſi*. *Patrum* 160. *in quinta Synodo* (Conſtantinopoli) *& Patrum* 170. *in ſexta Synodo*. Ubi eſt ſeptimæ commemoratio? Silentium: etſi poſtea habeat in Synaxario ſolam Chalcedonenſem ſub Marciano Patrum 630. Nos autem pro noſtra Ruthena epigraphe hæc attulimus: & pro Græca, diximus de Athenogene, quem illæ neſcimus quo menſe habeant. Placet tamen huc addere, quæ Græci de eo habent in Synaxario.

Sub Diocletiano Imperatore, Sebaſtenus civis, & *ſub Philomarcho* Præſide, comprehenſus ipſe cum decem ejus diſcipulis, multaque cum ipſis, tormenta paſſus, mortem gladio ſuſcepit. De eo *dicitur* (λέγεται) quod antequam caperetur, ingreſſus monaſterium; his ſuis diſcipulis non inventis, quia antea comprehenſi fuerant, ei obviam factam cervam, quam ibi nutriebat, benedixit, orato Domino, ne unquam ipſa, aut ejus filii, a venatoribus caperetur, ſed annis ſingulis, in memoria ſui, ipſa & filii futuri, unum adducerent, quod & accidit. Conſpicitur enim poſt lecta Sancta Evangelia, cerva ingredi in Eccleſiam, & tenerum ſuum filium offerre ſancto, rurſuſque egredi, quem manſuetum, collecta multitudo comedit cum lætitia, in ſancti gloriam & honorem: atque in maximum ſtuporem fidelium & infidelium, qui hæc vident. Fabulæ, quæ ex illo monaſterio egreſſæ ſunt, ad curioſos eò cum oblationibus adtrahendos. Canon eſt Hymnographi Sancti Joſephi, cum acroſtichide: qui Ode 6. tropar. 2. canit de cerva, vitellum ſuum, divino nutu eò afferente. Adeo ſtabiles & profundas radices fabula egerat, ante medium nonum ſeculum.

Menologium Baſilii (præter *Philomarchum*, quem ſilet) eadem ferme habet. Cujus tamen interpres haud aſſecutus eſt bene ſenſum ſui Menologii: Καθ' ἑκάστω ἄγειν ἐν τῇ μνήμῃ αὐτοῦ, αὐτήν τε καὶ τοὺς ἐξ αὐτῆς μελλούσης τίκτεσθαι, μόσχον ἕνα. *In ipſius memoriam quovis tempore ageret, & ipſa, & quæ ex ipſa catulum pariture eſſent*, debuerat enim vertere: *Ut in ſui memoriam quotannis ipſa, & futuri filii, catulum unum adduceret*. Similiter ὁρᾶται, non *viſa eſt*, ſed *conſpicitur* verti debuit, nec *egreſſa eſſe*, ſed *egreditur*; nec *enim obtuliſſet*; ſed *ubi obtulit*, *affert*: non *collecti erant*, ſed *collecti ſunt*, non *celebrarunt*, ſed *celebrant*. Tandem moneo, pro ἀγρευθῆναι, Menol. Baſilii habere, χειρωθῆναι, *in ſuam poteſtatem redigere*, illam prædam ſcilicet, venatores. Atqui hæc incidenter, & in lepidæ gratiam hujus fabulæ, Philotheus Patriarcha fuit Conſtantinopolis 14. ſeculo.

Romanum Martyrologium, 16. hac Julii die agit de S. Athenogene, his verbis: *Sebaſte in Armenia Sanctorum martyrum Athenogenis Epiſcopi, & decem diſcipulorum ejus, ſub Diocletiano Imperatore*, ubi Baronius notat: *Agunt de iiſdem hac die Græci in Menologio. Metaphraſtes autem deſcripſit horum Acta, refertque die ſequenti, diſſentitque a cæteris, dum ait, cum in pace, abſque gladio quieviſſe in Domino: cum tamen poſt multa tormenta, una cum cæteris capite truncatus, in dicto Menologio conſcribatur. Diverſus plane hic ab illo Athenogene, quem conſtat S. Baſilii auctoritate, per ignem martyrium conſummaſſe, de quo & ſuperius actum eſt.* Nempe ſupra die 18. Januarii, ubi ſcribit: *In Ponto Sancti Athenogenis, antiqui Theologi, qui per ignem conſummaturus martyrium, hymnum lætus cecinit, quem & diſcipulis ſcriptum reliquit*. Et in Notis: *Athenogenis. De quo extat egregium S. Baſilii elogium in libris de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 29., qui eum & in teſtimonium citat, de divinitate Spiritus Sancti. Hujus Athenogenis, eſſe commentarium illum pereruditum adverſus Gentiles ſcriptum, qui fertur nomine Athenagoræ, aliquando ſum opinatus. Cum de Athenagora nulla penes Græcos vel Latinos mentio habeatur.; Athenogenes vero Græcis notiſſimus fuerit, tum doctrina, tum martyrii corona celebris: facile potuit error irrepſiſſe, ut pro Athenogenæ, Athenogoræ nomine, librariorum vitio, ille Commentarius ſit inſcriptus; Quod tamen affirmare non auderem*. Confuſio Athenogenum: cui piper & infatuatus ſal Metaphraſtis non defuit; non eſt hic locus ut diſſipetur.

DIE DECIMASEPTIMA.

Ruthenè: Marina. Marinæ.

Græcè: Τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος Μαρίνης: *Sanctæ magnæque martyris Marinæ*.

COMMENTARIUS.

Ex quodam *vico Antiochiæ* Piſidiæ, filia *Ædeſii* cujuſdam Sacerdotis Idolorum, *mortua matre*, *ipſa duodennis cuidam fœminæ traditur, a qua in fide eruditur*. Dum *quintodecimum agit annum*, *deſiderio flagrans martyrii*, cognita Olymbrio Præſidi, comprehenditur. *Poſt dies aliquot* producitur. *Præſes ejus pulchritudine totus obſtupuit reſtitit* (ἔστη). *Interrogata de ſua fortuna, & nomine, Marina, inquit, vocor, nata & educata in Piſidia, quæ nomen Domini mei invoco*. Renuens Chriſtum negare, *virgis acerrime cæditur*, & poſt tormenta alia, in carcerem compingitur. *Oboritur magnus terræmotus, ita ut carcer concuſſus ſit* (σαλευθῆναι). *Draco aliunde exiens, & terribiliter ſibilans*, dum ſerpit, & eam circuit, ignem projicere viſus eſt. Sancta valde timet & tremit, orat Dominum, & draco in nigrum canem ſeſe transformat: & Sancta ejus arrepto crine, ſphæra inventa, caput & humeros illius verberat, ac tandem eum *reddidit manſuetum* (ἡμερώσεν) *Poſthæc interrogationi alii expoſita, lampadibus uritur & in vaſe aquæ pleno, inverſo capite immittitur: ſed, ea viſa incolumi, multi credunt, & obtruncantur. Idem paſſa mox eſt Marina*. In inſcitiſſimas manus, Acta martyris inciderunt: præſertim in terræmotu illo, dracone, & cane, quibus metamorphoſes illas inſulſas miſcet. Præter interrogationes, carcerem, crucia-

cruciatus. & mortem; ſocios omnes opinor fabulam. Hanc citat Baronius in notis ad 17. Julii, dicens *quam plerique Latinorum Margaritam appellant*. Adi ſis Bailletium die 20. ubi de *Margarita*, dicta *Marina*, filia Ædeſii, & martyre Antiochiæ Piſidiæ; quæ noſtra eſt.

Nec meliora habet Baſilii Menologium, quod ſilet ſignata omnia. Eam *ex ipſa Antiochia* Piſidiæ fuiſſe dicit; patrem non *Adeſium*, ſed *Ædeſimum* appellat, Typorum fortaſſe errore. De terræmotu nihil, in carcere dicit, apparuit maximus Draco, ſerpentes circa collum habens, qui ſibilans circa Sanctam, illam devorare minabatur. At illa ſeſe obſignans, crucisque figuram formans, eum interemit. Poſtea in locum aquæ projecta eſt; *apparensque columba, aquam benedixit, eamque baptizavit* (ergo nondum erat initiata? ſupra dixerat: *Cum autem eſſet Chriſtiana*. Num voto? *Egreſſa autem ex lacu, & ad Præſidem adducta, ſententiam capitis accepit*. Quo ejus ſocii modo perrexerunt? Hinc pictores eam, draconem alligatum, tenentem referunt: ut magis firmarent fabulam. Quis major *draco* virgini chriſtianæ. quam *amor ſeculi*, & deliciæ? Sed nota ex Menol. Baſilii fabulæ antiquitatem, inviſam etiam Metaphraſti.

Die decimaoctava.

Ruthenè: Jacinthu: Aimilianu. Hyacinthi. Æmiliani.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Ὑακίνθου, καὶ Αἰμιλιανοῦ: *Sanctorum martyrum Hyacinthi, & Æmiliani.*

COMMENTARIUS.

Hyacinthum hac die non habet Menol. Græcorum: habet autem Baſilii, & ſic tradit.

Natus Amaſtris, patre Theoclito, matre Neonilla, dum ſedebat Epiſcopus Heraclius, ab angelo nomen habuit. Triennis puerum defunctum ſuſcitat. Grandis exſcindit ulmum, quem Ethnici adorabant. Adductus Præſidi, acriter vapulat: dentes ei evelluntur: extra urbem raptatur, & . . . . . ſpiritum Deo reddit.

Æmilianus, ex Rhodoſtolo urbe Myſiæ, ſervus cujuſdam Ethnici, ſub Juliano apoſtata, & Capitolii Vicarii, Chriſtianus, arrepto malleo, templum idolorum ingreditur, & omnia idola conterit, & victimas diſpergit. Dum autem alii idcirco comprehenduntur, ipſe ſe prodit, cæditur taureis, & in caminum injicitur. Ubi mox incolumis, & non uſtus, ſpiritum Deo reddit. In re incerta pro iſtis ultimis, nempe in ἄφλεκτος, *ibi, manens incolumis & moriens* nihilominus; quid dicam neſcio. Etſi propendeam ad credendum. Acta vera apud Menologſum Baſilii: in quo (loco aliorum qui comprehenduntur) legimus, *agricolam quendam comprehenderant, eumque verberare ceperunt, & ad Præſidem raptare*. Eum Æmilianum ſe prodidiſſe. Et hæc ultima ita expreſſa: *Igni traditus. Sanctam animam dimiſit*. Sine illo prodigio, quod ſe deſtruit, inquam iterum Acta vera. Alium habes S. Emilianum Epiſcopum Cyzici die 8. Auguſti ſub Leone Iſauro, multa paſſum pro ſacris Imaginibus. De quo agitur ſuo loco.

Die decimanona.

Ruthenè: Diu. Macrina. Dii. Macrinæ.

Græcè: Τῆς ὁσίας Μακρίνης, ἀδελφῆς τοῦ μεγάλου Βασιλείου. *Sanctæ Macrinæ, ſororis Baſilii magni.*

Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Δίου: *Sancti Patris noſtri Dii*. In rubrica additur τοῦ θαυματουργοῦ: *Thaumaturgi*.

COMMENTARIUS.

Macrina Baſilii magni ſoror, pulchra corpore & optimis ornata moribus, viro tradita, ex mutuo conſenſu non cognoſcitur. Viro mortuo. virgo manet & vidua, etſi a plurimis expetita; cum matre, & loco ſecundæ matris fratres ſuos educans, qui erant decem & omnes pueri. Sancte in aſceſi, uſque ad extremum ſpiritum vixit. Vitam ejus habemus a fratre Gregorio Nyſſeno Epiſcopo ſcriptam, ex qua iſta deducta ſunt. Menologium Baſilii ait. *Ipſa erat eorum maxima*, nempe fratrum, & quod inſtante exitus ejus hora, cum fratre Gregorio Nyſſeno Epiſcopo (qui adſiſtendum eam accerſerat) philoſophata eſt de anima, &c.

Dium ex Canone apparet, fuiſſe monachum, miraculorum dono ortatum, ut fuit Moſes; eduxiſſe aquam e petra, ut Heliam; *ſuſcitaſſe mortuum*; erexiſſe monaſterium; fuiſſe Hegumenum & ad vitam æternam direxiſſe ſibi commiſſos. *A puero Deo oblatum*, poteſtatem in dæmones habuiſſe. Fuiſſe ex Oriente, matre natum *Byzantina*. Menologium Baſilii habet Menæum ejus (in quo ſignata hic ſilentur) ubi hæc narrantur de eo: ſub Theodoſio Magno, natus Antiochiæ Syriæ, fit monachus; unde ex revelatione venit Conſtantinopolim, & condit id Monaſterium, quod ejus nomen vel modo gerit. Terrori eſt dæmonibus. Ob ſuam virtutem notus Imperatori, Templum maximum exſcitavit, & plurima operatus miracula, ad Dominum emigravit.

Die vicesima.

Ruthenè: Ilia. Heliæ.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἐνδόξου προφήτου Ἡλίου τοῦ Θεσβίτου. *Sancti & glorioſi prophetæ Heliæ τοῦ Theſbitæ.*

COMMENTARIUS.

Filius Sobac, ex Theſbe, terra Arabum, ex Tribu Aaron, dum habitat in Galaad; *quod Theſbe erat aſſignata Sacerdotibus*, quo tempore peperit eum mater. Pater Sobac vidit viros lucidos & in albis, qui eum compellabant, & in faſciis igneis involvebant, & flammam ignis ei eſum dabant. Veniens Hieruſalem, ſecundum ſcripturam, translatus eſt, in curru igneo. *In transfiguratione, cum Moyſe, Chriſto adſiſtit*. Præceſſit Chriſtum annos 816. prophetavit annos 25.

nos 25. ſignata non habentur in Baſilii Menologio; quod hanc epigraphem habet; Ἡ πυρφόρος ἀνάβασις εἰς οὐρανοὺς Ηλιοῦ προφήτου. *Ignifera Heliæ prophetæ Cœlos aſcenſio*. De hac ergo aſcenſione agitur hodie.

DIE VIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Ezechiil. Joana. Symeonu. Ezechiel. Johannis, Symeonis.

Græce: Τοῦ ἁγίου προφήτου Ἰεζεκιὴλ. *Sancti Prophetæ Ezechiel*.

Τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν Ἰωάννου; καὶ Συμεὼν, τοῦ διὰ Χριστὸν σαλοῦ: *Sanctorum Patrum noſtrorum Johannis, & Symeonis*, τοῦ *ob Chriſtum ſali*, quia σαλὸς, *fatuum* ſe finxit.

COMMENTARIVS.

De Ezechiele propheta, in ſola allata rubrica agitur, die 23. ſed hic nihil. De Sanctis vero Johanne, & Symeone, hæc narrant.

Sub Juſtino *juniore*, ex *Edeſſa* civitate Syriæ oriundi, veniunt in ſanctam urbem, adorant crucem, & in Monaſterio S. Geraſimi, a *S. Nicone* habitum monaſticum ſuſcipiunt. *Septem dies ab ingreſſu*, exeunt a monaſterio, & in Eremum ſe conferunt, ubi per annos 40. duriſſimam vitam vivunt. Inde Symeon, ibi remanente Johanne, in ſanctam rediit civitatem, & latere cupiens hominibus, ſtultitiam fingit, *& venit Emeſam*, ubi ſub ea fictione, multa faciens mirabilia, demum in Domino requievit. *Poſt ejus mortem eſt cognitus, alio aliud mirabilium ejus narrante; etſi omnia non potuerint meminiſſe*. Quod ultimum fecit miraculum, iſtud eſt: ~~Dum duo homines~~ eum efferunt, ſine *lotionibus* (Λουτρῶν) *ſuffitu, & pſalmodia*, ad frequens quoddam caſtellum; *ut venerunt ad domum* cujuſdam Hebræi, *ibi Deus, ſanctum corpus tali glorificatione dignatus eſt: multitudo hominum melos incipientium*, ἤδη ἀσμῳδοῦσας, καὶ προπέμπειν, *ut aliquando hebræus proſpiciens, & a duobus tantum pauperculis ſanctum corpus efferri videns, dixerit*: Beatus es SALE, quoniam non habens homines qui te pſallant, habes cæleſtes virtutes, quæ hymnis honorant te: *Et deſcendens, propriis eum manibus extulit, & tumulavit. Poſt diem veniens ejus amicus, & ſocius in aſceſi, invenit eum ad Dominum commigraſſe*. Signata ſilentur in Baſilii Menologio quod ait, *eum oriundum, ex Emeſa* ὁμοίως. Sed pro iis omnibus, iſta habentur: *Hebræus* quidam audivit plurimam pſalmodiam angelorum, & ex ædibus ſuis proſpiciens vidit duos ſolos, qui reliquias ejus portabant, & intellexit, quoniam angeli pſallerent, atque ait: Beatus es, tu quoniam non habens homines, qui te pſallant; cæleſtes habes virtutes, quæ hymnis honorant te. Sanctus autem Johannes finem quoque *vivendi in pace fecit*. Tu vide Bollandianos ad hanc diem, ubi ejus Acta integra ſunt appoſita; ſcripta a ferme coævo Leontio Epiſcopo Neapoleos in Cypro. Habet ejus multa Evagrius. Bailletius die 1. Julii dicit, ea pertractata manibus Metaphraſtis.

DIE VIGESIMASECUNDA.

Ruthenè: Maria. Mariæ.

Græcè: Τῆς ἁγίας μυροφόρου καὶ ἰσαποστόλου Μαρίας Μαγδαληνῆς. *Sanctæ, quæ unguentum attulit, & paris apoſtolorum, Mariæ Magdalenæ*. Signata abſunt a Menol. Baſilii.

COMMENTARIVS.

Ex montibus Magdalorum (τῶν Μαγδάλων) in finibus Syriæ, a ſeptem dæmoniis obſeſſa; a Domino, quem eſt ſecuta, curata eſt. Uſque ad mortem Domini ei miniſtravit &c. e ſcriptura. Poſt Aſcenſionem venit Epheſum, ad apoſtolum Johannem & Theologum, & ibi ſancte obdormivit. Depoſita eſt Epheſi, in ingreſſu ſpeluncæ, ubi ſeptem Sancti pueri dormierant. Sub Leone *beatæ memoriæ* (*ſapientem* dicit Menologium Baſilii) Imperatore; corpus ejus in monaſterium, ab eo excitatum, ad nomen S. Lazari eſt translatum, in quo quotannis fit ejus Synaxis, *in Ædibus Curatoris* (Κουράτορος) *prope Taurum*. Rediret huc quæſtio de tribus mulieribus ſanctis, quæ a ſexto ſeculo uſque modo, unam faciunt, pœnitentem & Magdalenam. Sed non eſt locus iſte, nec tempus.

DIE VIGESIMATERTIA.

Ruthenè: Trophimu. Theophilu. Trophimi. Theophili.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Τροφίμου, καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ. *Sancti martyris Trophimi, & ſociorum ejus*.

COMMENTARIVS.

Noſtræ Ruthenæ tabulæ, hac die non conveniunt cum Menologio Græcorum, in his martyribus. Nihil enim de ipſis agit hoc menſe toto. Mutuamur ergo eos ex Menologio Baſilii, qui ipſos hac die habet. Sub Diocletiano Trophimus, Theophilus, & ſocii, vincti ad Imperatorem ducuntur. Poſt verbera, & depexionem, ſuſpenſi in ligno; & ſaxa projecta, paſſi, in ardentem caminum projiciuntur: quia vero inde incolumes evadunt, capite obtruncantur. Aliorum nomina non produntur, nec quo loco, dicuntur paſſi.

In Menologio Græcorum hic agitur: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Φωκᾶ: *ſacroſancti martyris Phocæ*. Qui ſub Trajano, Africano Præfecto (ἐπάρχῳ) adducitur; & quia renuit obedire mandatis, Africanus incipit blaſpemias in Chriſtum jacere; fit terræmotus; & Africanus, ejuſque milites, cadunt exanimes; ſed *ad preces ejus uxoris*, ſuſcitat eum ſanctus. Hic ducitur ad Trajanum, ſed prædicans Chriſtum, ſuſpenſus pectitur, mittitur hinc in fornacem; in ardentem balneum injicitur, ibique, inter orandum, ſpiritum Deo reddit. Nihil hic tutum, etiam Trajanum, & terræmotum, & Africanum, alioſque exanimatos

tos (ἔκτη ἴσιν: quod male vertitur, *extra ſe cadit*) *& a ſancto ad preces uxoris ſuſcitatos* (quod ſilet Baſilii Menologium: additque: *Rurſus autem comprehenſus*, ducitur ad Trajanum. Cum ergo habeat alia ſupradicta; ergo ante Baſilium; ſeptimo ſeculo, vel octavo, martyrio adiectæ fabulæ.

Eadem die fit in ſola Rubrica, de ſanctis martyribus Apollinari, & Vitali Epiſcopis Ravennæ, & Apollonio Romano, illo martyre & Senatore: & ſeptem martyrum, & commemoratio Chriſtianorum, qui in Bulgaria occiſi ſunt, ſub Nicephoro Imperatore, quorum ſynaxarium die iſta, habet Baſilii Menologium. Nicephorus, is eſt, ille Stauratii Imperatoris pater.

DIE VIGESIMAQUARTA.

Ruthenè: Chriſtina. Chriſtinæ.

Græcè: Τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος Χριστίνης: *Sanctæ magnæque martyris Chriſtinæ*.

COMMENTARIUS.

Ex Tyro filia cujuſdam Tribuni militum *Urbani nomine*; a patre in altiſſima turri clauditur, cum Idolis. *argenteis, aureis, aliiſque materiæ pretioſæ*. Quæ ipſa conterit, & dat pauperibus. A patre idcirco acriter habetur, & clauditur in cuſtodia, & fame afflicta, ab angelo cibos ſumit, *& in vulneribus curatur*. Projicitur in mare, *& a Domino divinum baptiſma ſuſcipit: & ab angelo in terram ducitur. Ubi autem cognitum eſt, eam vivere*, in carcerem, *patre jubente*, injicitur; *qui eadem nocte vitam relinquit*. Proinde Dioni cuidam, *qui pro eo in magiſtratu* (τὴν ἀρχὴν) *ſufficitur*; ad queſtionem martyr adducitur, admodum cruciatur, & ubi paradoxa eſt operata, *tria millia* convertit ad Chriſtum. Menologium Baſilii, dicit *multos* (πολλούς). *Poſt Dionem, Præſidatum* (ἡγεμονίαν) *ſuſcipit quidam Julianus, qui in caminum eam injicit, & ab ea libera, Dei ope, poſt alia tormenta*, & exciſa ubera, *& linguam; a militibus demum pallis percuſſa*, ſpiritum Deo reddidit. Menologium Baſilii item de ea agit, ſilet autem ſignata: *eamque cæli pulchritudinem ex feneſtra contemplatam, & factorem ejus Chriſtum, ex operibus arguentem*. idola, &c. Projectam in mare, *aquam pro baptiſmate habuiſſe*, tandemque, *haſtis, cordi infixis, vitam finiiſſe*.

Acta indubie falſa & ſuppoſititia. *Urbanum* autem, illum ego arbitror ſibi plaſtem voluiſſe, ſub Diocletiano; Euſebii Cæſarienſis, apud quem ſolum in martyribus Tyriis & Palæſtinis, quærenda eſt. Fateor tamen poſt *Urbanum*, Præſidem eſſe potuiſſe, *Dionem* (qui nepos Dionis, celeberrimi Hiſtorici & Conſulis, ſub Alexandro Mamææ Principe, ex Proconſulatu Africæ, ſub Diocletiano Conſul fuit, & Præfectus Urbi) & hinc *Julianum* iſtum: quos Acta hæc falſa, aſſervarunt.

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè: Anna. Olimpiada. Eupraxia. Annæ. Olympiadis. Eupraxiæ.

Græcè: Ἡ κοίμησις τῆς ἁγίας Ἄννης τῆς μητρὸς τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου. *Dormitio Sanctæ Annæ, matris Sanctiſſimæ Dei genitricis*.

COMMENTARIUS.

Avia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſecundum carnem, fuit ex Tribu Levi, filia Matthan Sacerdotis, & Mariæ, ejus uxoris. Matthan Sacerdos fuit ſub imperio Cleopatræ, & *Saporis Regis Perſarum*, ante imperium Herodis filii Antipatri. Matthan habuit tres filias, Mariam, Jobam, & Annam. Prima nupſit in Betleem, & genuit Salome, *obſtetricem* (τὴν Μαῖαν). Secunda nupſit etiam ibi, & genuit Eliſabet. Nupſit tertia in terra Galilææ, & genuit Mariam Deiparam. Ita ut Salome, Eliſabet, & Maria, filiæ ſint trium ſororum. Anna, ubi genuit & educavit Mariam, eam in Templo obtulit, *immaculatum Deo donum. Reliquo vitæ, in jejuniis, orationibus, & ſimilibus tranſacto*; in pace ad Dominum properavit. *Fit ejus Synaxis in Deutero*. Menologium Baſilii non habet ſignata: ad Salomem, addit, *quæ & Maria*: ad Eliſabet addit, *matrem præcurſoris*: addit ad Annam, *educavit* (ἀνετρέψαμεν) *in Templum eam adduxit, & Deo obtulit; ad ipſum gaudens migravit*. Verum in tota iſta genealogia, & cognatione, & nomine Annæ, antiquiſſima latet fabula ex nonnullorum ſententia. De iis namque, Sancta Dei Eccleſia, hactenus nihil cognovit certi. Joachimi & Annæ nomina ſcripturæ, & antiquiſſimis ſunt ignota, & ideo appoſita, eſſe ajunt, ne Anonymi dicerentur, parentes B. Virginis.

De Olympia, & Eupraxia Menologium Græcorum hic nihil habet; ſed de Sanctis Patribus ξ. καὶ ε, qui in quinta Synodo Œcumenica ſub Juſtiniano, Origenis dogmata confoderent. Deſcribitur hiſtoria in Synaxario. Ea autem habita eſt anno Juſtiniani ſeptimo: *a quo tempore* hanc commemorationem feſto celebrat Eccleſia Sancta Dei. Baſilii Menologium habet eadem, præter ultima hæc ſignata.

Olympias, ſub Arcadio & Honorio Impp., filia Acindi (pro Ἀκίνδου ſcribendum puto, Ἀκινδύνου, *Acindyni*) Comitis, neptis Præfecti Ablavii (ille forte filius ejus, qui etiam fuit Præfectus Romæ, anno 293. & 294. *Septimius Acindynus*: hic etiam Conſul cum Baſſo anno 331. ſub Conſtantino); defuncto viro, virgo & vidua remanſit. Larga pauperibus, & Pontificibus, maximè Chryſoſtomo, cui valetudinario deſerviit, ſua omnia in his inſumpſit. Chryſoſtomo, in exilium ab Eudoxia Imperatrice ejecto; ipſa pro unitate, relegata, & multa ibi paſſa in Domino obdormivit. Qui hæc apud Menol. Baſilii ſic corrupta, amat puriſſima, adeat Bailletium die 17. Decembris, & Tillemontium tomo XI. in S. Joh. Chryſoſtomo: in primis Chryſoſtomum præclaræ editionis Pariſienſis, Patrum S. Mauri. Neptis ipſa

Abla-

Ablavii P. N. filia eſt comitis Seleuci, non vero Amyſii ſecundi, vel Acindyni. Nata eſt Conſtantinopoli anno circiter 378. patre mortuo, ſub tutela Procopii, & educatione Theodoſiæ, ſororis S. Amphilochii, poſt mortem matris; nubit Nebridio Præfecto Urbi Conſtantinopoli anno 386. qui paulo poſt vita defunctus eſt, ipſaque virgo & vidua, licet nobiliſſima & ditiſſima, ſollicitationibus omnibus ſecundarum nuptiarum, inconcuſſa remanſit. Alia, ut ſupra & melius narrantur ab Hermantio, & prædictis. Obiit Cyzici, aliquantulum poſt Chryſoſtomum, anno circiter 410.

Eupraxia, (in hac die apud Menologium Baſilii) Magni Theodoſii Imp. conſanguinea, defuncto Antigono Seniore patre ſuo, ab Imperatore, & a procuratore ſuo, deſpondetur Senatori cuidam, eoque ante nuptias defuncto, una cum matre Thebas Egypti venit, ibi in Monaſterium ingreditur, in quo 80. ſanctimoniales degebant. Mater abit, vendit in Oriente bona ſua, & pretium dat pauperibus; & paulo poſtea regreſſa, in Monaſterio illo defuncta eſt; filia vero item ſuo tempore obit, & poſt miracula, quinto ſeculo.

DIE VIGESIMASEXTA.

Ruthenè: Hermolau. Paraſcevi. Hermolaï. Paraſcevis.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἑρμολάου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ: *Sacroſancti martyris Hermolai, & ſociorum ejus*. In rubrica vero Sxnaxarii: Τῶν ἁγίων ἱερομαρτύρων Ἑρμολάου, Ἑρμίππου, καὶ Ἑρμοκράτους. *Sacroſanctorum martyrum Hermolai, Hermippi, & Hermocratis*.

COMMENTARIUS.

Hi presbyteri Eccleſiæ Nicomedienſis, evaſi a flammis (quas in Eccleſia Nicomedienſi, Maximianus Imp. viginti millibus (διςμυρίων) Chriſtianis intulit, & abſconditi in quadam domuncula; poſtquam Panteleemon comprehenſus eſt, & a quodam Chriſtiano eſt initiatus; a Maximiano interrogatus, veritus mentiri; apud Hermolaum, inquit, presbyterum. Ad quem miſſi milites; Hermolaum & ſocios, qui apud ipſum erant, adduxerunt. Interrogati itaque ſancti, & libere Chriſtum eſſe Deum profitentes, eorum cervices gladio ſunt obtruncatæ. Hæc ad verbum, e Græcis totidem. In his actis, ſeu potius ex hoc eorum apoſpaſmatio, nihil ſubleſti & commentitii apparet: præſertim, ſi illud διςμυρίων vertas *innumeros*; quod etiam fieri ſolet. Menol. Baſilii addit ante gladium: *diverſis tormentis excruciatos*.

Eadem die fit: Τῆς ἁγίας ὁσιομάρτυρος Παρασκευῆς. *Sanctæ & Verandæ martyris Paraſceves*.

Ex vico quodam, poſito in finibus agri Romani, nata ex parentibus Chriſtianis, Agathone & Politia (Πολιτείας) & ex miraculo (quod eam parentes ſteriles, a Deo precibus impetrarunt) quia nata eſt *feria ſexta*; idcirco eam dixerunt Paraſcevem; a matre de fide & reliquis eſt edocta. Oratione, & aliis virtutibus ornata; mortuis parentibus, ſua omnia dat pauperibus; & monialis habitum induta; Chriſtum Dominum egreditur prædicatum, & multos convertit Ethnicos. Judæi quidam deferant eam Imperatori Antonio (Ἀντωνίῳ: ſub cujus imperio, Ἀντωνίου, ſupra dicit, eam vixiſſe) qui coram ſe adduci jubet. Adducta, ad pulchritudinem & compoſitionem (ὄψιν) eius ſtupet Imperator: donaſi Diis ſacrificet promittit: ſin minus, tormenta & mortem. Ipſa conſtanter renuit. Imperator iratus jubet, ignitam caſſidem, ejus imponi capiti: Quo facto, rore divino, incolumis cuſtoditur; & multi credunt. In æneum Lebetem, oleo, piceque plenum, & fervens valde, immitti jubet. Ita ſit, & incolumis iterum evadit. Dubitat Imperator, an oleum & pix ferveant; & dicit ſanctæ, ut ex lebete, ſeſe ipſum inſpergat (ῥάντισόν με. Sancta inſpergit vultum ejus, & mox ἐπηρώθησαν pupillæ oculorum ejus. Tunc Imperator voce magna, orat ſervam veri Dei, pro reſtitutione viſus, promittens, ſe crediturum. Confeſtim videt; creditque ipſe, & omnes, qui ſub ipſum erant; & baptizantur. Sancta illinc ad urbes alias proficiſcitur & vicos, prædicans Chriſtum Dominum. In quadam urbe, in qua imperabat (ἐν ᾗ ἐβασίλευεν) quidam Aſclepius, comprehenſa, & ad eum ducta, fatetur ſe Chriſtianam. Turbatus ille Imperator, Draconi formidabiliſſimo, qui extra urbem erat, exponi jubet. Huic enim damnatos ad mortem, cibum præbebant. Sancta Draconem ſigno Crucis occidit: qui in duas partes diviſus, inviſibilis factus eſt. Ad hæc Imperator ille Aſclepius, etiam ipſe, ſuique omnes in Chriſtum credunt. Sancta libera inde pergit ad urbes alias, item prædicans. Ubi venit in urbem aliam; in qua imperabat Imperator alius, nomine Taraſius; comprehenditur: adducitur, in lebetem æneum pice, oleo, plumbo ferventi plenum immiſſa, angelo Dei adjuvante, exit incolumis & illæſa. Tunc alia multa tormenta ei irrogantur; ac tandem gladio, capite amputatur. Ad levandum animos monialium, aut mulierum bardarum; ab inſcitiſſimo, æque ac imperito omnium hiſtoriarum, acta conficta, & *præparata*, in ſua hac moleſtiſſima Præparatione (*Paraſceve*) Imperator *Antonius*, *Aſclepius*, & *Taraſius*, quam feſtiva & ridenda fabula & duo Imperatores, cum ſuis omnibus: ita ad Chriſtum converſi ſunt. Felix Imperium! Sancti, Imperatores, ignoti. Eia, colamus eos. Si diutius hanc ſuam Sanctam, ſiviſſet vivere; in ſomniis, convertiſſet jamdiu orbem totum. Nono, vel decimo ſeculo fabula excogitata, ab Iconomacho aliquo, & irriſore, ſed poſt *Taraſium* Patriarcham. *De Paraſceve* hac martyre, Menologium Baſilii, toto opere, nihil habet. pro ea autem *S. Anthuſam* hac die habet, quæ pro ſacris imaginibus, multa paſſa eſt, ſub Conſtantino Copronymo Caballino. Pro qua putem ab irriſore efformatum ridendum martyrium ſuæ *Paraſcevis*.

DIE

DIE VIGESIMASEPTIMA.

Ruthenè : Pantelemonu . Pantaleomonis.
Græcè : Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος, καὶ ἰαματικοῦ Παντελεήμονος. *Sancti magnique martyris, & Medici Panteleomonis.*

COMMENTARIUS.

Nicomedienſis ſub Maximiano Imperatore, ex patre Euſtorgio, qui a filio ad Chriſtum converſus eſt, & matre Eubula, a majoribus Chriſtiana; medicam diſcit ſcientiam a celebri Euphroſyno, ab Hermolao presbytero, in Chriſtum fidem; quo invocato, puerum a vipera percuſſum & mortuum ſuſcitavit. Martyrium hujuſmodi paſſus eſt. Cœcus quidam a Sancto ſanatus, ab Imperatore interrogatus de medico, dixit: *Panteleonem* (Παντελέων, & ſic deinceps) (*quod ita prius vocabatur*) *qui Chriſtum invocans, in quem & ego credo. Sanctus mox capite propterea obtruncatur.* Pantaleon vero adductus ad Imperatorem, *neque promiſſis, neque minis turbatus, acriter flagellatur, lampadibus uritur: eique apparet Chriſtus, in figura Hermolai, jubetque confidere. Projicitur hinc in fervens plumbum, ac inde in mare, & ſemper incolumis; quod ſecum Hermolaum videbat projici; beſtiis exponitur. Incolumis adhuc, rotæ alligatur, gladiis armatæ; iterumque incolumis*, damnatur gladio. *Dum orat, vox de cœlo; pro Panteleone, Panteleemonem eum vocat; & dum cervicem protendit carnifici, gladius hujus liqueſcit ut cera, & milites illi, credunt.* Gladio etiam, ipſe feritur, ſed pro ſanguine, defluit lac: & olea, in qua appenſus eſt (κρεμαστὴν) ſtatim emittit fructus. Fit ejus Synaxis, in ejus Eccleſia.

Impia, inſcita manus, ab Actis veris ſancti Panteleemonis, parcere non potuit; quin ea ad hanc deformitatem deformaret. In martyrii ſerie, tota fabula, de qua tamen penitus nihil canunt, nec Anatolius, nec Germanus, nec Byzantius, qui inter Canonem inducuntur; nec ipſe Theophanes, cujus eſt Canon. Qui Ode 4. Trop. 1. *ipſum*, ait, *ſua pauperibus diſperſiſſe*, & reliqua ſana canit. Ut, *beſtias*, & *leones*, quibus, incolumis ſit expoſitus: & *anargyrum* fuiſſe. Λεόντων τὰ χάσματα, καὶ τῶν θηρῶν τὰ στόματα, Δανιὴλ ὥσπερ πάλαι, σὺ ἐχαλίνωσας, &c. Theophanes.

In Menologio Baſilii, ſignata omnia deſunt. Ait, *ab Hermolao presbytero baptizatum*. Forſan ergo tunc pro *Pantaleone*, *Panteleemon* dictus fuit. Ait, eum *diverſis tormentis excruciatum: poſtremo capitis acceptam ſententiam: tunc olivæ alligatum, eſſe capite amputatum; ſanguinem & lac emiſiſſe: Quæ uſque ad præſentem diem conſpiciuntur; & fidelibus omnibus eo accedentibus, curationes præſtare*. Acta autem, ſi quædam eorum, (etiam quæ in Baſilio ſunt relicta) demas, & portenta, poſſe expurgari putem.

DIE VIGESIMAOCTAVA.

Ruthenè : Prochoru . Nicanoru . Timonu . Parmena . Prochori . Nicanoris, Timonis . Parmenæ .
Græcè : Τῶν ἁγίων ἀποστόλων Προχόρου, Νικάνορος, Τίμωνος, καὶ Παρμενᾶ. *Sanctorum apoſtolorum Prochori, Nicanoris, Timonis, & Parmenæ.*

COMMEMTARIUS.

Ad verbum hæc tantum in Synaxario. Hi in diverſis locis decertarunt, ſub inopiis: cum enim verbum fidei prædicarunt; & Dominum Jeſum Chriſtum confiterentur, filium Dei, & verum perfecte hominem, coronam martyrii ſuſceperunt. De ipſis ſine Menæo: ſola mentio in Menologio eſt Baſilii. Hos e numero 70. diſcipulorum fuiſſe narrant alibi. *Parmenam* (die 30. Octobris) Lyſtrorum Epiſcopum dicunt, in pace obiiſſe. Prochorum, ... Nos ſolum ſcimus ex cap. 6. Act. Apoſtol., hos quatuor fuiſſe e ſeptem Diaconis electos ab Apoſtolis, ut miniſtrarent menſis.

Eadem die fit de ſancto martyre Euſtatio Ancyrano, ſub Cornelio Præſide & incerto Imperatore, a quo poſt multa tormenta, in ſaccum miſſus, & in fluvium Sangarum projectus, ab ipſomet, quod incolumen eum videt, gladio obtruncatur. Sangarus fluvius eſt Bithiniæ. In Menologio Baſilii, Præſes pudore victus, ſe obtruncat: quæ additio corrumpit acta.

DIE VIGESIMANONA.

Ruthenè; Calinicu . Callinici.
Græcè : Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Καλλινίκου. *Sancti martyris Callinici.*

COMMENTARIUS.

Callinicus Cilix genere. multis ad Chriſtum adductis, ad Præſidem *Sacerdonem* (Σακερδῶνα) adducitur, & poſt multa tormenta, crepidas ferreas, & acutis clavis armatas, inducere jubetur, & 70. *ſtadiorum* ſpatium uſque ad Gangrorum urbem, ſic currere *ante equos ſuos*; addit Baſilii Menologium. *Poſt ſeptem ſtadia*, militibus ſiti laborantibus, ſanctus oratione, ex petra aquam educit: Gangram ingreſſus, & in ardentem caminum injectus, ibi martyrium facit. *Ejus Synaxis fit prope pontem Juſtiniani, prope Patrium.* Menologium Baſilii ſilet ſignata, non 70., ſed *ſexaginta* ſtadia (ἑξήκοντα) poſt ingreſſum in urbem, dicit, martyrem, in carcerem conjectum, paucíſque poſt diebus inde eductum, igne vitam finiiſſe; de camino nulla facta mentione. Acta non mala; ſed ego vereor officinam.

Eadem die fit de ſancta Theodota, ejuſque filiis (dicitur de tempore ſanctæ Anaſtaſiæ) quod Lautaitum Pætectum (ἄρχοντος) virum ſibi recuſavit; mittitur ad Nicetium Præſidem (Νικητίῳ

τῷ

τῇ ἀρχαίᾳ) Bithyniæ, cum tribus filiis; cum quibus in camino facit martyrium.

DIE TRIGESIMA.

Ruthenè: Sila. Silvanu. Silæ. Silvani.

Græcè: Τῶν ἁγίων ἀποστόλων Σίλα καὶ Σιλουανοῦ, καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς. *Sanctorum apoſtolorum Silæ & Silvani, & ſociorum ipſorum*. In rubrica Synaxarii, poſt Silvanum, dicitur, Κρήσκεντος, Ἐπαινετοῦ, καὶ Ἀνδρονίκου. *Creſcentis, Epæneti, & Andronici*.

COMMENTARIUS.

Ad verbum: Hi ubi Chalcedone, & in Italia prædicarunt, & per totum Orbem manifeſte, verbum Fidei Chriſti docuerunt; multoſque atheos erudierunt, & baptizarunt, ſuos Deo in pace ſpiritus tradiderunt. De ipſis multa mentio in Apoſtolorum Actibus, & in epiſtolis ſancti Pauli. Menologium Baſilii, ſolam eorum mentionem facit, ſine Menæo.

Eadem die fit de ſancta Julitta martyre, quæ oriunda ex Cæſarea Cappadociæ, a Baſilio Magno encomiis celebratur. Cum vidua, de cunctis ferme ſuis bonis litem haberet, cum avaro homine & violento; poſt calumnias, falſos teſtes, & dona, quæ ille (qui ſua omnia ei eripuerat) protulerat, & ipſa retudit; ubi iſte ſe vinci prævidet, defert eam ut Chriſtianam; ſanctam, non adorantem Deos Imperatorum, & in fide conſtantem, judex damnat. Ita ergo in camino martyrium facit. In omnibus conſonat Baſilii Menologium; addens ſolum; ejus corpus integrum & incorruptum, ſervatum *cognatis ejus*: τοῖς προσήκουσι.

DIE TRIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Eudocii. Eudocii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου καὶ δικαίου Εὐδοκίμου. *Sancti & juſti Eudocimi*. Menologium Baſilii habet: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Εὐδοκίμου τοῦ νέου. *Sancti Patris noſtri Eudocimi Junioris*.

COMMENTARIUS.

Sub Theophilo Iconomacho, ex parentibus Patriciis & orthodoxis, Baſilio & Eudocia Cappadocibus, a Theophilo fit Candidatus, & militiæ Præfectus (στρατηγὸς) primo per Cappadocios, ſecundo per Charaſianos, vel Charſianos (τῷ Χαρσιανῷ: Menol. Baſilii). Juſtus, eleemoſinarius, Eccleſiis largus, viduis & orphanis profuſus. Omni denique virtute ornatus; morbo correptus, ad dominum evolavit. Conſanguinei curam ejus funeris ſumentes, & ejus mandata adimplentes, veſtibus ejus corpus induerunt, & pedes *calceis* (ex Menol. Baſilii) ipſum ſepelierunt. Floruit innumeris miraculis. Translatio ejus corporis *Byzantium, accidit, Junii die ſexta anni ſequentis, cum obitus incidiſſet in trigeſimam primam Julii*, prioris anni. Menologium Baſilii ſilet ſignata. Scita & veridica manus ſcripſit hæc geſta.

MENSE AUGUSTO.

DIE PRIMA.

Ruthenè: Eleazaru. Solomonia. Proiſchozdenie Creſta. Elazari. Solomoniæ. Proceſſio Crucis.

Græcè: Τῶν ἁγίων ἑπτὰ μαρτύρων τῶν Μακκαβαίων, καὶ τοῦ διδασκάλου αὐτῶν Ἐλεαζάρου, καὶ τῆς μητρὸς αὐτῶν Σολομονῆς. *Septem ſanctorum martyrum Maccabæorum, & magiſtri eorum Eleazari, & eorum matris Solomonidis*.

COMMENTARIUS.

Nomen matris Latini ignorant, nec unde habeant Græci notum. Forſitan ex apocryphis. Reliqua e libro Maccabæorum, cum altercatione.

Trypholologium Ruthenum (id quod eſt nobis, *Pratum Floridum*) frequens eſt, & cum longo Canone, Proceſſionem hanc Crucis canit; ſed Synaxarium nullum de ea habet, aut Rubricam hiſtoricam. Uſtavum vero Ruthenum hac die prima Auguſti, iſta dicit: *Proceſſio venerabilis & vivificantis Crucis Dominicæ. Inſtitutum hoc feſtum eſt, occaſione victoriæ contra infideles obtentæ, anno 1164. ſub Manuele Imperatore Græcorum, & Andrea Dei amante, Magno Duce Ruſſiæ*. Nec habet quidpiam quod eam falſi arguat. Victoria autem relata eſt a Ruthenis contra Tartaros, nec fuit feſtum a Græcis inſtitutum: ex quo arguas, noſtras Ruthenas Tabulas non eſſe antiquiores ſeculo hoc duodecimo.

Surius tomo 4. hac die affert orationem S. Ambroſii Epiſcopi, in libro 2. de Jacob, & vita beata, in qua de noſtris agitur Maccabæis; & alteram Nazianzeni, quæ eſt vigeſima ejus orationum, qui Eleazarum facit eorum patrem, equidem ſpiritualem, ut explicat ſe in fine; & tertiam Chryſoſtomi tomo 1. Alii matris nomen, declinant Σολομονὶς, Σολομονίδος; vel Σολομονὴ, Σολομονῆς; ut hic Menologium Græcorum. Nazianzenus etiam, & Chryſoſtomus hoc nomen ignorarunt.

DIE SECUNDA.

Ruthenè: Stephanu. Stephani.

Græcè: Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου τοῦ ἁγίου πρωτομάρτυρος, καὶ Ἀρχιδιακόνου Στεφάνου. *Translatio reliquiarum ſancti protomartyris, & Archidiaconi Stephani*.

COM-

COMMENTARIUS.

Stephanus Luciano presbytero revelat, ubi jaceant ſuæ reliquiæ. Inter hanc revelationem, magnus fit terræmotus. Johannes Hieroſolymitanus Patriarcha, cum duobus aliis Epiſcopis, clero, & populo, eas transfert in ſanctam Sion. (Huc uſque inventio per Lucianum, legenda apud Auguſtinum tomo 7. & . . . . Vide Tillemontinm tomo 2. Omnes eam probant; etiam Bailletius hac die. Translatio prima fabula tempus inventionis, quam ſiſtit ſub Diocletiano, & reapſe facta eſt ſub Theodoſio Juniore & Honorio Impp. anno 415. menſe Decembri. Martyrologium S. Hieronymo attributum, die hac ſecunda, agit de reliquiis S. Stephani Antiochiæ: & tertia, de ejus inventione. Opinor, feſtis uniendis. Bailletius hoc non videt. Græci dicunt id fieri, quod hodie Conſtantinopolim translatæ fuerint: quod eſt ἀνύστων. Translationem Conſtantinopolitanam vertit Anaſtaſius Bibliothecarius; ſed falſo dicit Bailletius, poſt Raynaldum, anno 439. ſub . . . .) donec ab Alexandro viro Senatorio fit ei Templum. Poſt quinque annos moritur Alexander, & in eo ſepelitur. Poſt alios octo annos, dum Magnus imperat Conſtantinus, & Conſtantinopoli ſedet Metrophanes, uxor Alexandri, a multis in uxorem, ob divitias & pulchritudinem requiſita, renuens, cogitat corpus viri ſecum, in ſuam patriam Conſtantinopolim ducere apud patrem ſuum. Pro mariti corpore, Deo permittente, corpus accipit S. Stephani: in lecticam imponit, & per viam, tota nocte, angelicos hymnos audit. Odor ſuavis, maligni ſpiritus audiuntur, qui væ nobis, clamabant, quoniam inter nos verſatur, qui nos flagellat. Aſcalonum ubi pervenit, 50. aureis navem conducit, & venit Conſtantinopolim. Audit rem Imperator, & cum uxore, & cum Patriarcha, in Regiam reliquias inducit, multis miraculis re comprobata: quorum hæc ſolum narrat: Muli trahebant currum, in quo reliquiæ vehebantur, quibus ad Conſtantianas perventum eſt; muli humana voce dum vapulant, dicunt; Τίνος χάριν τύπτετε ἡμᾶς; ἐνταῦθα δεῖ τὸ ἅγιον κατατεθῆναι. *Cur nos verberatis? Hic ſanctum corpus deponi oportet.* Ad voces haſce, omnes laudem Deo reddunt: Imperator erigit ibi Templum, ad gloriam Dei, & ſancti ejus. Fabula nec ab his potuit abſtinere, in ſua deceptione: pro corpore mariti, corpus Sancti; & in his mulis loquentibus. Tanta nempe ignoravit Euſebius Cæſarienſis, & alii cum Hieronymo in ejus Chronico! Menologium Græcorum, quod modo editum eſt cum Menologio Baſilii; non eſt Menologium hoc Græcorum, ſed quod ſummatur, majus Græcorum Menologium hoc ſæpe, & Synaxaria refert. De his proinde hæc ſola; inventum a Luciano; terræmotum; miraculum, & translatum corpus in ſanctam urbem Hieroſolymam. Latini de hac re agunt tertia die Auguſti; ſecunda vero die, de S. Stephano Papa & martyre; ſed de noſtro Stephano, alte ſilent.

DIE TERTIA.

Ruthenè: Iſaci. Dalmatu. Fauſtu. Iſacii. Dalmatii. Fauſti.

Græcè: Τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν Δαλμάτου, Φαύστου, καὶ Ἰσαακίου. *Sanctorum Patrum noſtrorum Dalmati, Fauſti, & Iſacii.*

COMMENTARIUS.

Dalmatus ex milite ſecundæ Scholæ Palatinorum, ſub Theodoſio Imperatore, ex Dei pietate relinquit omnia, uxorem, & filios; ſed filium tantum Fauſtum ſecum ducens, vadit ad eremitam a pueritia Iſaacium, qui Valente Imperatore, anno 378. (ex Bailletio die 30. Maii) dum in Scythas ducebat, ait, ut orthodoxis eccleſias aperiret, & vinceret. Sed ei non eſt creditum. Hinc Valens fuga fuſus, in tuguriolo paleárico, vulneratus arſit. Dalmatus fit monachus, & hinc Abbas, ſub Attico Patriarcha Conſtantinopolis. Adeo ſanctus evaſit, at admirationi ſit habitus Imperatoribus, Senatui, & Patribus, qui ad Synodum convenerant Epheſinam: a quibus ti- Archimandrita ſui monaſterii; cum privilegio ſit tuli hujus, etiam in ſucceſſores. De Fauſto nihil aliud habent menæa magna, nec de Iſaacio. Menologium vero Baſilii addit, Fauſtum etiam detonſum cum patre, ſancte vixiſſe: & cum Dalmata poſt Iſaacium, eſſe mortuos: ſiletque reliqua enarrata. Nil fabulæ in his apparet: nec in iis quidquam Bailletius reprehendit. Tu, ſis, vide Bultaum in Hiſtoria Monaſtica Orientis tom. 2. & Garnerium part. 2. Præfationis in Marium Mercatorem. Adi acta Concilii Epheſini.

DIE QUARTA.

Ruthenè: Eudocia. Sedm otroc ut Epheſi. Eudociæ. Septem dormientium Epheſi.

Græcè: Τῶν ἁγίων ἑπτὰ παίδων τῶν ἐν Ἐφέσῳ, Μαξιμιλιανοῦ, Ἐξακουστωδιανοῦ, Ἰαμβλίχου, Μαρτινιανοῦ, Διονυσίου, Ἰωάννου, καὶ Κωνσταντίνου. *Septem ſanctorum puerorum, qui in Epheſo, Maximiliani, Exacuſtodionis, Jamblichi, Martiniani, Dionyſii, Johannis, & Conſtantini.*

COMMENTARIUS.

Vulgata Cantio, & longiuſcula, quin prolixa. Tunc Epheſi erat Proconſul. Ἀνθύπατος, & Epiſcopus Marinus (Μαρῖνος Ἐπίσκοπος) cum ſunt inventi, & Theodoſius Imperator. Præter corpora ſeptem martyrum tunc inventa, reliqua mera fabula *dormientium*. A κοιμάω, *dormio*, Κοιμουμένων *dormientium*, orta fabula. Mortui etiam, *dormiunt in ſomno pacis*: unde & Κοιμητήριον, *Cœmeterium*, ubi *mortui dormiunt*, ſomnum pacis, uſque ad tempus Judicii univerſalis. Bailletius de ipſis agit die 27. Julii, ubi eſt legere ejus Criſim noſtræ conformem, ſed luculentius.

Eadem die: Ἡ ἀνακομιδὴ τῶν λειψάνων τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν, καὶ μάρτυρος Εὐδοκίας. *Translatio reliquiarum ſanctæ matris noſtræ & martyris Eudociæ.*

COMMENTARIUS.

Romana, ex Oriente oriunda, fit a Perſis captiva, ubi concaptivos edocet Chriſtum, & fœminas aliquot etiam Perſas. Res innoteſcit; cæditur acriter, & hinc in carcerem raptatur, ibique ad duos menſes maceratur. Tunc producta, iterum flagellatur, iterumque redigitur in carcerem. Poſt ſex menſes reproducitur; & poſt dira tormenta, obtruncatur. In actis longioribus, indubie fabula ſe immiſit: tot enim illa iterata tormenta eadem, hoc ſuadent. In Menologio Baſilii, nihil prorſus de hac Eudocia, & iſta die: qua agit de ſancta martyre Ja & ſociis. Num ſit eadem ac Eudocia, ignoro. Ja cum novem millibus Chriſtianis captivis, ſub Sapore Perſarum Rege; a Magorum principibus, per diverſa tormenta; tandem ſummæ ſanctitatis fœmina, una cum iis, obtruncatur. Ex his evidens mihi eſt, Eudociam & Jam, unam eſſe, eamdemque martyrem. Menologium Græcorum habet hic Synaxarium etiam ſanctæ Jæ, iiſdemque verbis. An S. Urſula illa celebris, & undecim mille ſociæ martyres latent ſub *Ja*, vel *Eudocia*, & novem millibus iſtis ſociis martyribus, ſub Sapore Perſarum Rege? Propono iſta, non definio.

Eadem die hic agitur, de S. Eleutherio martyre, Cubiculario, in Menologio Baſilii, in quo Menol. Græcorum agit, 25. Decembris die. Sub Maximiano Imperatore, ex Byzantio oriundus, *unus e Senatoribus* (εἷς τῆς συγκλήτου) idemque *ex numero eunuchorum* Imperatoris; cupit baptizari, rogat Imperatorem, ut in ſuburbium ſuum pergere ſibi liceat. Impetrata venia, petit Sangarum amnem; ſub terra ædificat Eccleſiam; adducit eò presbyterum, & ab eo baptizatur. Cauſatus morbum, differt reditum. Interea rem novit Imperator; adit locum; videt templum, altare, & omnem apparatum: Eleutherium tormentis ſubjicit, ac tandem jubet Eleutherium obtruncari. Menol. Græcorum hic ſola rubrica: Ἅγιος Ἐλευθέριος ὁ Κουβικουλάριος, ξίφει τελειοῦται. *Sanctus Eleutherius Cubicularius, gladio conſummatur*. Cubicularius & eunuchus, recte procedit: non, libertus; tunc enim libertus non erat *Senator*. Duos putem Eleutherios confundi: alterum Senatorem; cubicularium alterum, & libertum. Et fabula in ſubterraneo illo Templo, ad Sangarum fluvium. Alluviones ædiculam illam, ibi quandoque exſtructam, aggeſta terra fecerint ſubterraneam.

DIE QUINTA.

Ruthenè: Euſigniia. Euſignii.

Græcè: Προεόρτια τῆς ἁγίας μεταμορφώσεως τοῦ Κυρίου, καὶ Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Εὐσιγνίου. *Vigilia ſanctæ Transfigurationis Domini, & Dei, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. Et ſancti martyris Euſignii.*

COMMENTARIUS.

Quæ ſunt Transfigurationis, omnia ſunt e Scriptura.

Euſignius ex Antiochia magna, miles ſub Conſtante *Chloro* (τοῦ Χλωροῦ) & ſucceſſoribus Imperatoribus, uſque ad Julianum apoſtatam. Tunc comprehenſus ob Chriſtum, redarguit apoſtatam, quod verum Deum reliquiſſet: ac ille gladio percuti eum jubet: *cum eſſet annorum centum & decem* (ἤδη δέκα καὶ ἑκατὸν ἐτῶν γενόμενος). Menologium Baſilii, facit eum στρατηγὸν, *ducem Tribunum militum*, non verò *ſimplicem* (στρατιώτην) militem Κώνσταντος ſcribit, *Conſtantis*, Κωνσταντίου, *Conſtantis*: quod errat etiam Menologium Græcorum; etſi utrumque, ipſum dicat, patrem Magni Conſtantini: quin & hoc Græcorum habeat illud, *Chlorum* (Χλωροῦ). Illud Baſilii tradit, ſubjectum quæſtioni Euſignium, fuſtibus cæſum, duriſque tormentis excruciatum. In carcerem ita detruſum: iterum productum, rurſus increpaſſe Julianum de apoſtaſia: Menologium Græcorum, addit, eum exemplis repetitis, ab longa ætate ſua, de rebus geſtis, & hauſtis a lectione hiſtoriarum; tandem fuiſſe obtruncatum. Veriſimilia tantum narrare, mihi videtur Baſilii Menologium; tormentaque illa figmentum reor.

DIE SEXTA.

Ruthenè: Preobxázenie Hoſpodne. Transfiguratio Domini.

Græcè: Ἡ μεταμόρφωσις τοῦ Κυρίου, καὶ Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Transfiguratio Domini, & Dei, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti.*

COMMENTARIUS.

Omnia e Scriptura.

DIE SEPTIMA.

Ruthenè: Dometii. Domitii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ὁσιομάρτυρος Δομετίου. *Sacroſancti martyris Domitii.*

COMMENTARIUS.

Sub *Conſtantino Magno*, *Perſa*, ab Agaro quodam Chriſtiano, in ſructus credit, linquit patriam & ſuos, venit Niſibim: & incolit monaſterium, ibique baptizatur. Paſſus autem invidiam & alia ab illis monachis; Theodoſiopolim pergit, ingreditur Monaſterium Sanctorum Sergii & Bacchi, ſub regimine *Urbel* (Οὐρβὴλ) Archimandritæ. Ibi fit Diaconus: cumque Archimandrita, eum vellet fieri presbyterum; fugit in montem *Arbel* (Ἀρβὴλ) (qui nunc *Arvil* dicitur) & in illius antro manufacto, habitat, & viſitatur. Miracula multa patrat, ad fidem multos convertit. Innoteſcunt hæc Juliano apoſtatæ; qui eum & duos ejus diſcipulos, lapidari jubet: quod factum eſt. Menologium Baſilii, vult, eum fuiſſe

ſuiſſe Phrygem (ἐκ τῆς χώρας Φρυγίας); doluiſſe, multos ſub Juliano Chriſtum ejuraſſe: cum ludi Circenſes fierent, perrexiſſe & in medium, & alta voce Julianum anathematizaſſe: conſpuiſſe Idololatras, & deriſiſſe Deos. Tum comprehenſus, ſiſtitur Præſidi (ἄρχοντι) torquetur, & in carcerem conjicitur. Poſt dies paucos, reproducitur, ſed quia Chriſtum renuit ejurare, obtruncatur. Veritas rerum, ſolum effulget e Menologio Græcorum: reliqua conficta ad animum, & ex otio: diſplicetque in Domitio Phryge, vel Perſa, Romanum nomen. Facile fuerit Niſibenus, vel Phryx ut vult Baſilii Menologium. Præſtat autem in primis eruditiſſime Bailletius, qui die 5. Julii inclinat, ad duos Domitios ſolitarios martyreſque Domitios ſub Juliano: quod mihi non ſedet. Sed vide ferme eadem & paria in ſancto Gordio martyre, die tertia Januarii, ſub Licinio Imperatore, a S. Baſilio Magno commendato.

Hac eadem die, & rubrica ſola: Ὁ ἅγιος Ἀστέριος ὁ συγκλητικὸς, ξίφει τελειοῦται. *Sanctus Aſterius vir Senatorius, gladio conſummatur*. Hic ille Aſterius Euſebii Cæſarienſis Hiſt. Eccleſiaſt. numquam dicitur paſſus gladio.

DIE OCTAVA.

Ruthenè: Emilianu. Æmiliani.
Græcè: Τῦ ἁγίυ Αἰμιλιανῦ Ἐπισκόπυ Κυζικῦ. *Sancti Æmiliani Epiſcopi Cyzici*.

COMMENTARIUS.

Ob ſacras imagines multa paſſus & exilia, a Leone Imp., coronam in Domino confeſſionis accepit. Vide ſupra die Julii decimaoctava. Menologium vero Baſilii hæc habet: Sacroſanctus martyr Æmilianus, ſub Imperatoribus, qui imaginibus erant infenſi, Epiſcopus Cyzici; pietate, ſcientia, miſericordia in pauperes, longanimis, benignus; & zelotes veritatis, defertur Imperatori, ac primo innumeris afflictationibus, hinc exilio conſummatur. Imperator, quis e Leonibus? Ex prædictis indubium mihi eſt, Armenium eſſe Leonem IV. & reapſe ita eſſe modo novi, ex Natali ab Alexandro, ſeculo octavo, & Lequienio in Epiſcopis Cyzicenis. Edictum prodiit contra imagines anno 815., & Leo occiſus eſt Decembri anni 820. Inter hoc quinquennium Æmilianus, obiit in exilio, octavadecima die Julii, Bailletius nuſquam de eo meminit.

DIE NONA.

Ruthenè: Matheu. Matthæi.
Græcè: Τῦ ἁγίυ ἀποσόλυ Ματθίυ: *Sancti apoſtoli Matthiæ*.

COMMENTARIUS.

Unus e ſeptuaginta diſcipulis Domini, apoſtolus loco Judæ, electus ab apoſtolis, & coriphæo apoſtolorum Petro, prædicavit in Æthiopia ulteriori: ubi multis ad fidem illuminatis, tandem inter verbera, ſpiritum exhalavit. Ita Baſilii Menologium: ſed Menologium Græcorum ait: καὶ πολλαῖς τιμωρίαις ὑπ' αὐτῶν αἰκισθεὶς, τῷ Θεῷ τὸ πνεῦμα παρέθετο: *& tormentis multis ab iis cruciatus, tradidit Deo ſpiritum*. India fuerit ulterior hæc Æthiopia.

Eadem die agitur, *de inventione non manufactæ & venerabilis Imaginis Camulianorum, deſcriptæ a S. Patre noſtro Gregorio Epiſcopo Nyſſeno*. Hæc autem deſcriptio, falſo adſcribitur Nyſſeno S. Gregorio.

DIE DECIMA.

Ruthenè: Lurentii. Laurentii.
Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων, Λαυρεντίυ ἀρχιδιακόνυ, Ξύσυ, καὶ Ἱππολύτυ. *Sanctorum martyrum Laurentii Archidiaconi, Xyſti, & Hippolyti*.

COMMENTARIUS.

Temporibus Decii, Xyſtus Athenis (ubi natus & philoſophiæ operam dederat) Romam venit; & poſt Stephanum, fit Romæ Epiſcopus. Ingruente perſecutione, præcipit Archidiacono Laurentio, ut *vaſa Eccleſiæ* (σκεύη τῆς ἐκκλησίας) pauperibus diſtribuat. Is dat pauperibus. Ubi Decius a bello Perſico, eſt reverſus; adducitur ei Xyſtus, & obtruncatur. Inducitur & Laurentius, & requiſitus de ſacris pecuniis: adducit plauſtris pauperes ad Imperatorem: qui jubet, eum acriter verberari, & hinc in carcerem trudi: in quo, quotquot ventitabant ad eum, a morbis ſanat. Cuſtos carcerum Callinicus Tribunus, hæc cernens, credit & baptizatur. Laurentius *Imperatori* iterum ſiſtitur, & ignitæ craticulæ imponitur, & ibi moritur; & ab Hippolyto ſepelitur. Hic autem idcirco comprehenditur: & catenis ferreis verberatur: hinc equis indomitis alligatur, raptatuſque & laceratus ſpiritum Deo tradit. Nulla ejus fit mentio dignitatis, in utroque Menologio. Addit autem illud Græcorum, *dicitur* (λέγεται) *vero, quod ſeptima die, poſt ſancti Hippolyti paſſionem, dum Decius & Valerianus, ſederent ſub equis ſuis, ut irent ad amphitheatrum, Decius clamaſſe in hora mortis ſuæ: O Hippolyte, tanquam mancipium ſic ligatum adducis me. Clamaſſe & Valerianus, ignitis catenis ſic trahis me. Quod per totum orbem eſt divulgatum; & omnes in Chriſtum crediderunt*. Hæc ſignata nec refert, multo minus refutat Bailletius. Græcia vere mendax. Itane ſub Decio hæc facta, & Decius & Valerianus ita mortui ſunt? Menologium Baſilii eadem habet, præter ſignata. Xyſtus jubet ut det pauperibus; prædicit: *Cras examinandi trademur Decio, Epiſcopus obtruncatur, & Laurentius &c.* cum Hippolyto &c. De fabula Imperatorum clamantium & morientium ſimul; ne gry quidem hoc Menologium. Bellum Decii contra Perſas, confictum, ſolidiſſime probat Eminentiſſimus Norisius. Prudentius non præſentatum Decio, nec

 ab

ab eo damnatum dicit Laurentium, ſed a *Præfecto Vrbi*. Pro his autem omnibus, adeundi ſunt clariſſimi Tillemontius & Bailletius, & modo etiam Bollandiani ad illam diem.

Die undecima.

Ruthenè: Euplu. Eupli.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Εὔπλου. *Sancti martyris Eupli*. In rubrica dicitur Magni martyris.

COMMENTARIUS.

Catanenſis civis Euplus & Diaconus in Sicilia, ſub Diocletiano, delatus *Calviſiano* (Καλβισιανός) inſulæ *Conſulari* (ἄρχοντι) ligatis manibus & pedibus ad genua, ſuſpenditur equuleo, manicis ferreis pectitur; quo tempore audit divinam vocem, eſto fortis: gravibus *malleis* oſſa ejus confracta ſunt. In carcerem retruſus, oratione ſola fontem aquæ ibi oriri facit. Reproductus, ferreis unguiculis & ignitis, ei aures perforantur: ac tandem gladio obtruncatur.

Menologium Baſilii habet eadem: fontem, ait, ex ſiti, ejus precibus exoratam: tum reproductus, ſubulis (nec additis ignitis) ei aures perfodiuntur, & obtruncatur. Fabuloſa: opus ſunt Metaphraſtis: quod Bollandus contulit cum Actis genuinis, quæ Græcolatino edidit Cotelerius; poſt Latina, quæ ad an.307. edidit Baronius; examinaverunt vero ſatis ingenue & liberaliter Bailletius die hujus menſis duodecima; & Tillemontius tomo 5. ad quos, ne ſim prolixior, me remitto. Aſt hi, die ſequenti de eo agunt. Sane ea Latine tantum, inter genuina & ſincera Acta martyrum edidit Ruinartius, quem vide, cum paucis, & parvis nævis: Sed ultima pars non eſt primigenia, ſed farcta ſola devotione.

Eadem die miraculum habetur imaginis cujuſdam Chriſti, *non manufactæ* (ἀχειροποιήτης) in Aſceterio cujuſdam Patritiæ, nomine Mariæ, temporibus Tiberii Imp. Chriſtiani (ab anno 579. uſque ad annum 597. quæ ab illa, (ubi conſenuit) depoſita fuit in Monaſterio Aſcenſionis in urbe Melitina, per manus Domitiani loci Archiepiſcopi, & pronepotis (ἐξαδέλφου) Mauricii Imperatoris. Dum Perſæ omnia vaſtant; & Heraclius Imp. impotens occurrere; moniales, ubi erat Imago, Conſtantinopolim fugiunt, & in monaſterio quodam, penes Sergium Patriarcham, ſe recludunt. Sergius moniales inviſit, & Imaginem ex Melitina, Conſtantinopolim afferri jubet. Renuunt moniales. Patriarcha multa patitur in ſomnis: ac tandem ad ſua loca, imaginem remittit, die vigeſimanona Novembris. Nec fabula ab his abſtinuit. Sergius autem eſt ille Monothelita, nec dignus, cui fiant tot viſiones: nec tot illa prodigia, dum imago ex alia veluti antiquiori, eſt penes Patriciam; dum in doloribus eſt partus; de igne circa imaginem, ſervulæ ad riſum lapſæ; altera ei ſimilis a presbyteris ibi inventa; & quod Patricia, ubi eam applicuit utero, ſtatim peperit: ſunt quid aliud, quam figmenta octavi ſeculi, dum imaginum fervebat pugna? tandem neque cauſa affertur, cur die iſta, hæc narratio hujus non manufactæ Iconis Domini & Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti fiat, hæc ſolemnitas, aut hæc ſynaxis celebretur.

Menologium Baſilii, ſolum die nona Auguſti agit, de Sancto martyre Juliano & ſociis (inter quos Maria Patricia), qui ſub Leone Iſauro anno 730. dum prohibent, ne, quæ ſub Porta ænea erat *Imago* Chriſti, *Statua* eſtringatur, & Spatharium ſcalam aſcendentem ut facinus hoc gereret, deturbant, trucidantque, Imperatoris juſſu, *alii ſtatim gladio conſumpti ſunt (numero enim multi erant, inter quos plures feminæ & Maria Patricia) alii cuſtodiis traditi, & facie combuſti, plurimoſque paſſi cruciatus; fuerunt capite obtruncati*. Nonne autem & hæc habet etiam Menologium Græcorum, eadem die? qua die nomina horum martyrum, eorumque ducem, ait, Julianum; Marcianum, Johannem, Jacobum, Alexium, Demetrium, Photium, Petrum, Leontium, & *Mariam Patriciam* (καὶ Μαρίας τῆς Πατρικίας) ſub eodem Leone, & S. Germano Patriarcha, & ob eandem Imaginem, poſt alios multos, & hoſce martyres? Quos dietim quingenta verbera in carcere, ad octo menſes, paſſos ſcribit; tum ſubulis ignitis eorum ora uri, demum *in Amphitheatro una cum Sancta Maria Patricia, gladio percuti, & in mare projici* juſſum eſt. Eadem hæc illa Maria eſt. Abſcedant ergo aliæ obſcuræ fabulæ.

Redeo modo ad imaginem illam Achiropactam Camulianam, quam illam reor, cujus interventu, Philippicus Dux Mauricii Imp. (collegæ Tiberii Conſtantini) anno 586. magnam retulit victoriam de Perſis. Hæc erat imago Chriſti Domini, quæ ab eo poſtea ad Symeonem Epiſcopum Amidæ, miſſa fuit: crediturque eſſe eadem ac Sanctum Sudarium, vulgo *S. Veronica*, quæ modo ſervatur Romæ; ſed quæ reapſe *vera icon*, juxta Mabillonium in ſuo itinere Italico, dicenda eſt. Baronius hanc victoriam poſuit ad annum 589. ſed Pagius ad annum prædictum 586. retulit.

Die duodecima.

Ruthenè: Photii. Nicita. Photii. Nicitæ.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Φωτίου καὶ Ἀνικήτου. *Sanctorum martyrum Photii, & Aniceti*.

COMMENTARIUS.

Sub Diocletiano, dum erat Nicomediæ, Photii *nepos* (ἀδελφιδοῦς) Menol. Baſilii ἀνεψιὸς idem Anicetus, palam ſe Chriſtianum profeſſus, quod Imperator pro concione multa blaſphema in Chriſtum peroraret; acriter verberatur, lixatur: hinc leo in eum mittitur: timet ſanctus, ſed leo, ut ovis, blanditur, tergit ſudorem: ipſe orat, in fine fit terræmotus, & ſtatua Herculis corruit, & in cinerem redigitur. Pars urbis corruit, & gentilium multos perdidit. Jubet Imperator obtruncari: ſed manus carnificis reſtat arida. Tyrannus jubet, rotæ martyrem alligari, ſubjecto igne

igne membra concidi, & uri. Fuſis precibus, ſolvuntur vincula, rota ſtat, ignis extinguitur. Hinc nepos ejus Photius accurrit, amplectitur. Alligatur, & ipſe ferreis manicis, & cum eo carceri recluduntur. Producti ſcalpuntur, igne torrentur, in Theatro a populo lapidantur; incolumes vero, & pedicis alligati, ab æquis indomitis raptantur, iterum vulnerantur: ſale & aceto eorum plagæ perfricantur, & ſine cura in carcere tribus diebus manent: hinc in Thermas, ardens balneum Antoni totidem diebus clauduntur: ſanctorum precibus aqua ibi oritur, ita ut fuerint, ibi in dulci aura, & amæno loco. Tunc Diocletianus eos in ardentem caminum injici jubet. Et ibi finis pugnæ, & coronas victoriæ ſuſceperunt. *Dicitur autem* (λέγεται δὲ) flammam tribus ibi diebus, nequidquam eorum veſtium, ne capillos quidem violaſſe: & ita inde, uncinis ferreis eſſe, incolumes ſe extractos. Vah quantum fabulator ſudat, ut Acta magis peſſundet, ſuis farciminibus male olentibus ea aggerando! Et quanta religio, ut cautus videatur, & ſolers, in iſto *dicitur* λέγεται. *Deglutit delicatulus camelum, excolat autem culicem.* Matth. 23. 14. Inquam melius, camelum obtruſit deglutiendum. Sed male ceſſit impoſtori bardo, & fatuo. Hæc ex Menologio Græcorum.

Eadem habet Menologium Baſilii, ſed pro *leone* dicit θηρίοις, *beſtiis*: ſilet ſtatuam Herculis in cinerem redactam: ſilet terræmotum, & partem collapſam. De rota, & reliquis nihil: ad ſententiam gladii, accurrit Photius; tacentur tormenta reliqua; pro quibus ait, diverſis cruciatibus affectos, & igne tandem conſumptos eſſe. Ita ſicco pede, & ſine prodigio capillorum, clauduntur Acta: quæ ſi minus fœdata eſſent variis & conglobatis tormentis, prodigiiſque: non eſſent mala, nec primigenia:

DIE DECIMATERTIA.

Ruthenè: Maximu. Maximi.

Græcè: Ἡ μετάθεσις τοῦ λειψάνου τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν, Μαξίμου τοῦ ὁμολογητοῦ. *Tranſlatio reliquiarum Sancti Patris noſtri Maximi confeſſoris.*

COMMENTARIUS.

Eadem prorſus verba habet utrumque Menologium. Acta nota, & Synaxarium, non breve. Sub Conſtantino Pogonato Imp. Maximus, qui Protoaſecretis, per totum Imperium fuerat, Monotholitarum hæreſim non ferens, fit Monachus in Monaſterio Chryſopoleos. Venit Romam, ſuadet Martino Papæ, ut ſuam haberet Synodum. Scribit opera, & epiſtolas contra Monothelitas. Cum duobus Anaſtaſiis ſuis diſcipulis rediens Conſtantinopolim; reus majeſtatis & inobedientiæ Cæſari, a Senatu hæretico, conſtituitur. Mittitur in carcerem: lingua ei, & dextera amputatur: tum in Thraciam, hinc relegatur in Lazicen, ubi plenus dierum, poſt triennium obiit, & ibidem ſepelitur, in Monaſterio S. Arſenii. *Dicitur* (λέγεται) poſtquam ei lingua & manus eſt amputata, expeditè ſemper loquutus eſſe. Anaſtaſio ſeniori lingua etiam amputata eſt, ipſeque occiſus. Alius & junior in quodam caſtello Thraciæ relegatur, & ſine his mutilationibus, & recluſus in carcere, vitam reliquit. Acta probat Bailletius, etſi auctoris poſterioris, inſtructi tamen: edita a Combefiſio, in initio operum Sancti Maximi Chryſopolis eadem ac Nicomedia. Obiit anno 663. ait Bailletius, & circiter octogenarius: mortuum opinor die 21. Januarii, ſed hac die tranſlatum Conſtantinopolim, Græci habent; quod non probat Bailletius, qui cum Martyrologio Romano, hac die mortuum retur.

DIE DECIMAQUARTA.

Ruthenè: Michèi. Micheæ (Prophetæ.

Græcè: Προεόρτια τῆς κοιμήσεως τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου καὶ τοῦ ἁγίου προφήτου Μιχαίου. *Vigilia dormitionis Deiparæ Sanctiſſimæ: & Sancti prophetæ, Micheæ.*

COMMENTARIUS.

De Michea propheta Menol. Baſilii agit, infra die 21. ſed Menol. Græcorum hic, & omnia repetens e ſcriptura.

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè: Hypenie Bogorodici: Dormitio Deiparæ.

Græcè: Ἡ σεβασμία μετάστασις τῆς ὑπερενδόξου δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. *Venerandus tranſitus, glorioſiſſimæ Reginæ noſtræ, Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ.*

COMMENTARIUS.

Antiquæ cantiunculæ, & matutinæ. Triduo ante obitum, ab angelo de ſuo exitu nunciata, in olivarum pergit montem, ubi *ei plantæ ſe inclinant* (κλίνεσθαι ἐξ ἑαυτῶν τὰ παρὰ τὸ ὄρος φυτὰ) poſt orationem redit Domum, & *confeſtim tota concuſſa eſt* (καὶ εὐθέως ἐσείσθη ἅπασα) Accendit *multa lumina* (πολλὰ φῶτα ποιησαμένη): vocat ſuos conſanguineos & vicinos, vertit domum, lectum parat, & omnia ad ſepulturam neceſſaria; eiſque aperit, quæ ſibi angelo dicta ſunt: & ad fidem conciliandam, illis ſignum oſtendit bravii, quod ab angelo habuerat, ramum palmæ (φοίνικος κλάδος): fit a mulieribus magnus luctus, & Virgini ſe commendant. Reſpondet Virgo; ſe non ſolum eas, ſed & totum mundum, poſt mortem habere velle commendatum: ſolatur eas. Duas ſuas veſtes ſeponit, & ſingulis viduis, ſibi conſuetis dat pauperibus & familiaribus, quibus victum præbebat: fit tonitru, & a finibus terræ, per nubes apoſtoli omnes eo ducuntur, ad ejus curandum funus. Inter hæc alii, Dionyſius Areopagita, Hierotheus, & Timotheus; qui ubi cognoſcunt, cur ſint advecti, eam alloquuntur, & ipſa reſpondet quæ verba afferuntur. Illi: Te, Regina,

na, dum manebas in mundo, tanquam ipſum Dominum noſtrum & magiſtrum videntes, precabamur: nunc vero quomodo ferimus paſſionem? Quandoquidem autem, tui filii & Dei tui voluntate, ad ſuperna tranſcendis, tuis gratulamur felicibus eventibus. Atque hæc dicentes; ſe lacrymis madefecerunt. Virgo autem ad eos dixit: Ne, amici & diſcipuli, mei filii & Dei, ne luctu meum gaudium funeſtetis; ſed corpus meum, ſicut ego in conditorio me depoſuero, curate.

Paulus ad hæc pervenit: ad pedes corruit Dei matris, & encomium ei dicit, Gaude, dicens, mater vitæ, & prædicationis meæ argumentum. Etſi namque Chriſtum non vidi; te vero cernens, illum videre mihi videor. Tum componitur Virgo & obit, & illico cæci videut, ſurdi audiunt, claudi ambulant, & præſentes infirmi, omnes ſanantur. Petrus vero incipit pſalmodiam, & eorum quidem, hi corpus cum lecto aſſuerunt, alii geſtant lampadas. Angeli ipſi concinunt, rem complentes ſuis vocibus. Primores Judæorum nonnullis e plebe ſeductis, capulum in terram verſare tentant, & omnes evadunt cœci. Unus eorum credit, & ſanatur. Credunt & alii multi eorum, & partem quandam pallii lectuli, ſuperpoſitam; & item obtinent ſanitatem. Veniunt apoſtoli ad Getſemani: corpus deponunt in monumento. Triduo ibi cantus angelorum auditur. Venit Thomas, qui ſolus abſuerat: dolet, cupit cernere corpus illud, & communi voto aperiunt monumentum; illudque vacuum inveniunt, ſola relicta ſindone, omnibus venturis fidelibus, conſolationi futura. Itaque uſque nunc, inanis, ſcalptus is loculus & cernitur & adoratur. Alia, præter hæc Synaxarium hic habet. Μῦθοι καὶ λῆροι iſti ſunt, quos legere eſt apud Surium; ubi latiſſime Metaphraſtes ea deſcribit hac die, cum duobus ſermonibus S. Andreæ Cretenſis.

Bailletius ait, Manuelem Comnenum Imp., primum eam inter feſta univerſalia Imperii retuliſſe, ſub nomine *Tranſlationis* (μεταστάσεως). Ita ille pag. 201. menſis Auguſti. Rutheni eam dicunt *Uſpenia; dormitionem*. Vide diſputationes cl. Jolis Cantoris Pariſienſis, & Launoy Doctoris Pariſienſis, Billiadi Doctoris Sorbonici, & Gandini Doctoris item Sorbonici; & Florentini ad Martyrol. Hieronymianum. In primis vero Tillemontium vide, qui accuratius omnium rem iſtam examinavit: Ludovicum Thomaſſinum de feſtis, ipſumque Bailletium loco prædicto, ubi de omnibus agit veſtibus, Zonis &c. quæ B. Virgini tribuuntur; anulo, ſandalis, imaginibus, induſiis &c. quam latiſſime, ſeduloque. Æſopus Phrygius doctas fabulas, utpote Philoſophus congeſſit. Aſt Æſopus noſter, bardus erat, & fabulas ſuas ſe narrare & obtrudere putabat tuto, & dura fronte, in re pia, vere autem impia, puerulis, & deliris anubus ut eos dementaret in re ſacra. Minores equidem hiſce ſunt Æſopicæ fabulæ, & fideles duxit ita poſſe afficere infantes, ut aliàs non ingrederentur in Regnum Cœlorum.

DIE DECIMASEXTA.

Ruthenè: Nermòt Vorennago obraza. Non manufactæ Imaginis.

Græcè: Ἡ ἐξ Ἐδέσσης ἀνακομιδὴ τῆς ἀχειροποιήτου εἰκόνος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἤτοι τοῦ ἁγίου μανδηλίου. *Tranſlatio ex Edeſſa non manufactæ Imaginis Domini N. Jeſu Chriſti: ſive Mandelii*. In Rubrica vero: Ἡ ἀνάμνησις τῆς εἰσόδου τῆς ἀχειροποιήτου μορφῆς τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐκ τῆς Ἐδεσσηνῶν πόλεως, εἰς ταύτην τὴν θεοφύλακτον, καὶ βασιλίδα τῶν πόλεων, ἀνακομισθείσης, *Commemoratio ingreſſus non manufacti vultus Domini & Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti ex Edeſſena urbe, in hanc a Deo protectam, & Imperatoriam civitatem, tranſlati*.

COMMENTARIUS.

Opus dicit Surius Conſtantini Porphyrogeniti. Evagrius translationem retulit in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica, & Nicæna 2. Synodus Actioni V. ubi alios affert teſtes. Augarus Regulus Edeſſæ cupit videre Chriſtum, ſed infirmus lepra nigra non poteſt, & quod morbo laborabat articulari. cupit ſanari: mittit intra dies aliquot ante paſſionem Chriſti epiſtolam ei, per Ananiam pictorem, ut ejus hic Imaginem referret. Inſeritur epiſtola illa, & reſponſio Chriſti. Anania non poteſt imaginem facere. Jeſus novit, dat ei quadratum *linteum Sudariolum*, in quo ſuum vultum efformat. Scribit ſubſcribens in fine, ſeptem literis Hebraicis; quæ Græcus interpretatur: Θεοῦ θέα, θεῖον θαῦμα. *Dei vultus, divinum miraculum*. Augarus adorat Imaginem: ſanatur; ſolum in facie ſua, remanet lepra. Poſt Chriſti paſſionem, Thaddæus proficiſcitur Edeſſam, & baptizat Augarum, & omnes ei ſubjectos; & reſiduum etiam illud lepræ ſanatur. Facit ſtatuam, & ponit ſub Porta urbis, ut omnes ingredientes eam adorent: in qua collocat hanc Imaginem. Continuat id ejus filius Anonymus; ſed nepos eam deponit, & reſtituit Idola. Ubi id reſcit Epiſcopus Edeſſenus, ex divina revelatione, reponit in loco nobili, quem conſtruit, occulit, & tandem poſt tempora, deperditur rei memoria. Coſroes durius obſidet Edeſſam: cives afflicti confugiunt ad Deum. Eulabio Epiſcopo clariſſima apparet fœmina, locum revelat, & theſaurum imaginis effoditur. Aliud miraculum: tegula, qua erat coopertum, etiam eo vultu cernitur inſignitum. Fit litania ad locum, ubi Perſæ murum effodiebant; inter alia, quæ narrat, ignis devorat hoſtes illos: alii in fugam ſe convertunt. Hæc omnia Conſtantinopoli innoteſcunt. Romanus tunc Imperator, duodecim millia mittit, & ducentos argenteos ſaracenos (Σαρακηνοὺς οὓς ἔτυχε τότε κατέχων) quos accidit tunc habere, ut ornaretur. Tunc occurrit Amiras (ὁ Ἀμιρᾶς) Epiſcopus Samoſatenus, & alii ex Edeſſa, & ſumpto illo (Sudariolo) iter arripiunt, & perveniunt Conſtantinopolim, in conſpectu Templi B. Virginis, quod Euſebii dicebatur, & multi obtinent ſanitatem; ac dæmoniacus ait: Honor & gloria Conſtan-

Conſtantinopolis, & tu Porphyrogenite imperium tuum. Energumenus ille die 16. Auguſti, anno mundi 6452. (ideſt anno Criſti 944. In templum denique Blachernarum, repoſitum fuit & adoratum ab Imperatore, reliquiſque. Sequenti die, poſt adorationem, Theophylactus Patriarcha & juniores Imperatores, ſub humeris ſuis ſumunt, una cum Senatu, & uſque ad æneam Portam, & hinc in Sanctam Sophiam inducunt; hinc in Regiam: ubi in Deiparæ ingreſſi Templum, *Fari* (τῷ Φάρῳ) nuncupatum, ibi tandem deponunt in gloriam fidelium, in cuſtodiam Imperatoris (βασιλέως) in præſidium totius urbis, & in omnium Chriſtianorum *confirmationem*. Prima, ſunt fabulæ antiquiores; vera hæc ultima Translationis, anno prædicto, quo Conſt. Imp. Porphyrogenitus cum ſuis copiis, coegit Choſroem obſidionem ſolvere Edeſſæ; ſed ex ea tamen ipſe ſive vi, ſive ultro ſumpſit hunc Theſaurum & duxit Conſtantinopolim. Juniores Impp. fuerunt Stephanus & Conſtantinus filii Romani Lacapeni, quos fecit Auguſtos anno 928. Theophylactus Patriarcha item erat filius, Patriarcha creatus a Conſtantino Porphyrogenito, paulo ante annum 944. quo Conſtantinus retruſit in Monaſterium Romanum & filios, & hinc ſolus imperavit ſine collega. Idem ſcripſit de hac Translatione orationem, cujus fragmentum legitur apud Baronium, ad an. 944. num. 14. Vide & Pagium ad hunc annum; ubi affertur teſtimonium continuatoris Theophanis, Leonis Grammatici, Symeonis Logothetæ (ideſt Metaphraſtis, qui tunc vivebat) Combefiſii &c.

DIE DECIMASEPTIMA.

Ruthenè: Myronu. Myronis.
Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Μύρωνος. *Sacroſancti martyris Myronis*.

COMMENTARIUS.

Sub Decio Imperatore & Antipatro *Proconſule* (ἄρχοντος) Achajæ, presbyter loci, nobilis, dives, dum Chriſti genethlia celebrantur, Antipater Eccleſiam ingreditur: & ibi occupat Chriſtianos: ſed a Myrone duris verbis increpatur. Suſpenditur: laceratur; in caminum injicitur. Ipſo incolumi. Qui circumſtabant fornacem, numero ad 150. a flamma comburuntur. Thurificare coactus denuo: invicto, lora cutis ab humeris uſque ad pedes, detrahuntur: & horum unum in os Procunſulis (Αἰθυπάτῳ) vibrat ſanctus. Tum diſciſſis carnibus, *poſtea beſtiis projicitur; a quibus illæſum, & ſalvum*, Antipater rubore ſuffuſus cernens, ſibi ipſi manus intulit. Sanctus vero Cyzicum advectus, & ab alio Proconſule ſententiam capitis accipiens, gladio obtruncatur. *Deſinit in piſcem mulier formoſa ſuperne*. Acta vera, malo commento deturpata. Cæterum eadem ad verbum Menologium Baſilii, præter ſignata, habet. Bailletius recitat nil Myronis.

DIE DECIMAOCTAVA.

Ruthenè: Floru. Lauri.
Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Φλώρου καὶ Λαύρου. *Sanctorum martyrum Flori, & Lauri*.

COMMENTARIUS.

Gemelli & Sculptores, poſt ſuorum magiſtrorum (Menol. Græcorum hæc habet nomina *Procli & Maximi* martyrium) ex Byzantio, ubi commorabantur, in *Illyricum*, in loco Dardaniæ, ad urbem Ulpianas, locant opera ſuæ artis, Præſidi ἡγεμὼν Lyciorum in metallis elaborandis. A quo mittuntur ad Licinium, filium Elpidiæ Imperatricis (hæc dicit Menolog. Græcor.) Templum is jubet idolis perficere. Perficiunt; ſed nummos diſtribuunt pauperibus; tum contritis idolis, Deo dedicant. Licinius eos projicit in puteum, & ita martyrium faciunt. Tempore Conſtantini, eorum reliquiæ manifeſtantur, & Conſtantinopolim ſunt advectæ. (Menol. Græc. dicit) poſt factum Templum angelo comprehenſo, & corroborante ſanctos, Merentius Sacerdos (*Idolorum*) credidit, poſtquam Athanaſium filium oculo cœcum ſanatum vidit ope Sanctorum. Tum adductis pauperibus, quibus nummos dederant Sancti martyres; func ad colla idolorum alligato, in terram ea dejiciunt. Hinc accenſis multis luminibus; Templum illud dedicarunt; dicentes: Gloria tibi Chriſte, Deus apoſtolorum, gaudium & exultatio martyrum, quorum prædicatione, Trinitas Omouſios, anteævos præfertur figura pretioſæ Crucis. Hinc Licinium hæc noviſſe: caminum accendiſſe, pauperesque illos in eum projeciſſe. Sanctos vero ligatos axi currus, vapulaſſe, hinc miſſos feris, ad Lycorum (Λύκων) qui eos Deum orantes, pro illis, *qui ſui meminiſſent*. Et ut perſecutio finem acciperet, in profundum poſtea projecit; ubi martyrium conſummarunt. Sequentibus annis, eorum reliquias domum advectas; nec dicit, a quo, vel in quem locum, honorifice depoſitas. Acta vera, male habita a Byzantino.

DIE DECIMANONA.

Ruthenè: Andréi. Andreæ.
Græcè: Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Ἀνδρέου τοῦ στρατηλάτου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ τελειωθέντων, διοσχιλίων πεντακοσίων ἐνενήκοντα τριῶν. *Sancti magnique martyris Andreæ Tribuni militum, & 2593. cum eo conſummatorum*.

COMMENTARIUS.

Sub Antiocho Præfecto militum, Andreas Tribunus, dum Diocletianus, & Maximianus regnant; jubetur in Perſas ducere; Invocat Chriſtum, vincit. Ex inſperata victoria, Chriſtum prædicat: commilitones convertit: & defertur, Antiocho. Ipſe in crabato ferreo ignito injicitur: ſocii

ſocii alligati ſunt quadratis ligneis : hinc ejecti e Regione : mille, qui eos, juſſi erant adducere ad deſignata loca, convertuntur. Antiochus rem cognoſcens perſequitur, omnes gladio occidi jubet. Menol. Græcorum addit, Andream poſtmodum omnium obiiſſe. Utinam in aliqua Acta incidam, tandem aliquando, a quibus fabula abſtinuerit! Nam hæc etiam ſunt fœdata: etſi majora habeant veſtigia falſitatis. Acta Surii habentur ex Metaphraſte. Bailletius jure hac die ait: Ses Actes donnez par Surius, traduits par Metaphraſte, n'ont point d'autorité : & s'ils ne ſont faux, ils ſont au moins corrompus. Eux portent aſſez vigillement le caractere de leur falſification.

DIE VIGESIMA.

Ruthenè: Samuil. Samuelis prophetæ.
Græcè: Τῦ ἁγίυ ϗ ἐνδόξυ προφήτυ Σαμουὴλ. *Sancti & glorioſi prophetæ Samuelis.*

COMMENTARIUS.

Synaxarium e Scriptura. Menologia dicunt, eum migraſſe anno 1035. ante Chriſti Incarnationem. Qui velit omnia Samuelis, adeat Bailletium in Sanctis veteris Teſtamenti, ad diem iſtum; ubi diligentiſſime omnia, & cumulate.

Eadem die in utroque Menologio agitur de Lucio Senatore Urbis Cyrenis ad Libyam, poſt martyrium S. Theodori Epiſcopi hujus civitatis, baptizatur: quod & facere perſuadet Præfecto Digniano (ἡγεμόνι Διγνιανῷ) cum quo navigat in Cyprum: ubi, clam Digniano, cum aliis Chriſtianis ſe ultro dedidit tortoribus; & necatur, juſſu Tyranni: quem non dicit. Menologium Baſilii ait, Lucium fuiſſe Cyreno Præfecto aſſeſſorem (συγκαθέδρου) *Dignianum* illum fuiſſe, non nominat. Calcibus Aram Deorum evertiſſe, & obtruncatum proinde a *Præſide* (τὸν ἄρχοντα). Nihil non veriſimile in his Actis.

DIE VIGESIMAPRIMA.

Ruthenè: Thadeu. Baſſa. Thaddei. Baſſæ.
Græcè: Τῦ ἁγίυ ἀποςόλυ Θαδδαίυ, ϗ τῆς ἁγίας μάρτυρ☉ Βάσσης. *Sancti Thaddæi apoſtoli, & ſanctæ martyris Baſſæ.*

COMMENTARIUS.

Judas, qui & Thaddæus, Joſephi Sponſi filius, & frater Jacobi Adelphothei, ſcripſit epiſtolam canonicam. Venit Meſopotamiam: venit Edeſſam. Abgarum convertit, ſanavit. Venit & Aràt urbem (Ἀρὰτ) ibique actus in Crucem eſt, & telis confoſſus. Hæc habet de eo Baſilii Menologium: nam hac die, de ipſo nihil. Menol. Græcorum ait, eum fuiſſe, patria Edeſſenum, gente Hebræum: profectum Hieroſolymam, diebus Johannis Baptiſtæ; & ab eo baptizatum, ſequutum Chriſtum. Poſt Domini Aſcenſionem, reverſum in propriam Patriam, baptizaſſe Toparcham Augarum; & eam lepræ partem, quæ ei remanſerat, ſanaſſe. Converſis multis aliis, & baptizatis; urbes Syriæ peragraſſe; tandem Berytum urbem Phœniciæ veniſſe; ibique docentem & baptizantem, in Domino quieviſſe (ἐν Κυρίῳ ἀναπαύσασθαι). Diſſenæ, in paucis ſunt hæ tibiæ: tibiæ impares & Serranæ; qui fabulæ eſt character. Nam de Edeſſeno cive, Hebræo gente, fratre Jacobi, filio Joſephi Sponſi, de Juda ipſo dicto, de Arat urbe; ne verbum quidem hic: quæ tamen in illo Baſilii non habentur.

Bailletius dicit ex lib. 1. cap. 1. Euſebii Cæſarienſis in Hiſt. Eccl. confuſum cum Juda, dicto etiam Thaddæo & Lebbæo. De genere noſtri ſilet, quem ex loco citato Euſebii, dicit, ab Apoſtolo Thoma miſſum Edeſſam: de literis Abagari ad Jeſum, & Jeſu ad eum, diſputat Natalis Alexander tomo 1. qui eas oppugnat, Cavæus, Dupinius, Tillemontius. De Thaddæo nihil feſti agunt Latini, quod eum cum Juda confundant. Græci alii, eum in pace quieviſſe Beryti in Phœnicia voluerunt.

Sancta Baſſa ſub Maximiano, a viro Valerio Sacerdote idolorum, ut Chriſtiana, defertur Regionis Præfecto, cum tribus eorum filiis, Theognide, Agapio, & Piſto. Adſtante matre, Theognis primum ſuſpenditur & laceratur: Agapius poſt verbera, cutem capitis, uſque ad pectus, detractam habet: Piſtus diverſis tormentis ſubjicitur. Tandem omnes una cum matre, capite obtruncantur. Hæc habet Menologium Baſilii. Sed Menologium Græcorum addit. Eam fuiſſe ex urbe Edeſſa, a majoribus Chriſtianam: Præſidem dicit: *Proconſulem Vicarium* (Ἀνθυπάτῳ Βικαρίῳ) ab eo primum carceri clauſos: Agapium in detractione cutis dixiſſe: Nil æque dulce, ac pati pro Chriſto. Fratres ſeparatim, & ante matrem, eſſe percuſſos capite. Matrem, dum decollati ſunt, in carcere, fame fuiſſe afflictam; & ab angelo, cibo refocillatam. Productam, & a Vicario Proconſuli, in Macedoniam (ἐν Μακεδονίᾳ) ſequi juſſam; ibi projectam eſſe in aquam, hinc in ignem; ſed incolumem, lapidatam. Incolumem ex his etiam: inductamque in idolorum Templum, Jovis idolum in terram ſtraviſſe: objectam beſtiis, incolumem: in mare ad triginta ſtadia a terra, projectam. Qui hæc longe a terra cernunt, putant, eam in mari, in throno illo, decenter ſedere; & cum ea tres viri, qui ut Sol fulgeant. Poſt dies octo, viſa eſt in Alone, Inſula Helleſponti. Procos. audit hæc in Macedonia, ex cujuſdam Philippi delatione, ſcribit *Conſulari Cyzici* (τῷ Κωνσουλαρίῳ Κυζίκυ, τῆς Ἑλλησποντίυ ἐπαρχίας) *Provinciæ Helleſponti*, ut eam tollat. Is conſtantem inventam, vinctis retro manibus jubet ejus membratim contundi membra, & ita ei caput amputari: quod factum eſt. Non debacchatur tantum, inſanit etiam ſtulta fabula, in hæc Acta. Ex Edeſſa ſaltat in Macedoniam, inde in Helleſpontum. Quam inſana prodigia: quam inſanis monſtris! Neſciebat miſer, quid aliud comminiſci: Nil dubito, hæc ficta Conſtantinopoli: etſi de Synaxi, aut loco ejus, hic nihil adſit. Bailletius nec matrem,

trem, nec filios habet. Martyrologium Romanum hac die exſcribit Græcos, nomina dicit Theogonium, Agapium & Fidelem: ſed Theognis dicendus eſt, nec vertendus *Piſtus* in *Fidelem*, etſi ſint eadem. Hinc locum Palæſtræ, etiam *Edeſſam* dicit. Præterea dicit: *De Templo Baſſæ martyris, Chalcedone poſito, meminit Theodorus Lector lib.2. Collectaneorum, & Nicephorus Hiſt. lib.15, cap.28.* Hujus hæc ſunt verba: *Petrus cognomento Gnaphæus Zenonem ſequutus eſt, Templi ſanctæ Baſſæ martyris* apud Chalcedonem Bithyniæ præsbyter (τῆς ἁγίας μάρτυρος Βάσσης ἐν τῇ Βιθυνῶν Χαλκηδόνι. Illius iſte: *In comitatu Zenonis erat Petrus quidam cognomento Fullo, presbyter Eccleſiæ S. Baſſæ martyris, quæ eſt Chalcedone* (πέτρος πρεσβύτερος, τῆς ἐν χαλκηδόνι ναοῦ Βάσσης τῆς μάρτυρος, ὁ ἐπίκλην Κναφεὺς ἠκολούθησε &c.

DIE VIGESIMASECUNDA.

Ruthenè: Agathonicu. Agathonici.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀγαθονίκου. *Sancti martyris Agathonici*. In rubrica Synaxarii additur: καὶ τῶν σὺν αὐτῷ Ζωτικοῦ, Θεοπρεπίου, Ἀκινδύνου, καὶ Σεβηριανοῦ. *Et ſociorum ejus Zotici, Theoprepii, Acindyni, & Severiani.*

COMMENTARIUS.

Eutholmius Comes, ab Imp. Maximiano, Nicomedia miſſus in Pontum, ut tolleret Chriſtianos; in *Emporium* dictum *Calpem* dictum (Κάρπην) deſcendit; & inventum Zoticum cum diſcipulis ejus, ob Chriſtum eos occidit. Nicomediam reverſus, & certior factus, quod *Princeps* (Πρίγκιψ: *Principum* vertit interpres) per Agathonicum multos ab idolis avertit; utrumque & alios comprehendit. Dum eos ad Imperatorem ducit, qui erat in Thracia; in caſtello Potamo, Sanctos Zenonem, & Theopropium, & Acindynon, quod ultra progredi non valerent; occidit: & Chalcedone Severianum, Chriſtum libere prædicantem. Byzantii vero ei S. Agathonicus præſentatur, Agathonicus, cum vinctis reliquis, & cum *Principe* (Πρίγκιπος) & crudeliter eos flagellat, & Selymbriam ducit, ubi Imp. degebat, & ibi omnibus capita amputantur: quos Comes ex Nicomedia ſecum adduxit, & ibi ſepeliendos curavit. Hæc habemus ex Baſilii Menologio. Menologium vero Græcorum, mortem declarat Zotici, eſſe Crucem (τῷ διὰ σταυροῦ θανάτῳ) Ait, Principem ab Agathonico eſſe converſam; (ὅτι ὁ Πρίγκιψ διὰ τοῦ Ἀγαθονίκου ἐπίστευσε. Comprehenſos, Agathonicum valde vapulaſſe, Principem vero cum aliis vinctis, in Thraciam ad Imperatorem ab eo ductos. Zenonem, &c. in Potamone obtruncatos, quod iter proſequi non valerent, ob tantas plagas, & reliqua. Agathonicum in Selybria; ubi degebat Imp. dict. Ammun. Inter fabulas multa vera. Sed quis ea ſeligat, & diſcernat? *Principes* autem militares, erant, qui in caſtris, in prima acie; ante haſtatos, collocari ſolebant, tanquam audaciſſimi & fortiſſimi.

DIE VIGESIMATERTIA.

Ruthenè: Luppu. Lupi.

Græcè: Τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λούππου. *Sancti martyris Lupi*. Hinc ſubditur: Ἡ ἀκολουθία τούτου ἐγράφη ὄπισθεν ἐν τῇ κβ΄. διὰ τὸ ἐν ταύτῃ ἀποδίδοσθαι τὴν ἑορτήν: *Hujus S. Officium deſcriptum eſt ſuperius die 22. quòd hac die Tranſitus B. V. octava celebretur.*

COMMENTARIUS.

Sine Synaxario, tantùm hi verſus politici.

Ὑπῆρχε Λοῦππος δοῦλος, ἐκ δὲ τοῦ ξίφους,
ἐλεύθερος προσῆλθε τῷ Χριστῷ φίλος &c.
Lupus fuit ſervus: per gladium vero
Liber profectus eſt ad Chriſtum amicus

Uſtavum Ruthenum ait paſſum anno Chriſti 75.

DIE VIGESIMAQUARTA.

Ruthenè: Eutichii. Eutychii.

Græcè: Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Εὐτυχοῦς, μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. *Sacroſancti martyris Eutychii, Diſcipuli ſancti Johannis Theologi*. In Rubrica vero Synaxarii additur: καὶ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Παύλου: *Et ſancti apoſtoli Pauli*.

COMMENTARIUS.

Eutyches (quem interpres vertit Eutychium Εὐτυχής) natus Sebaſtopoli, relicta patria & parentibus, ad ſanctum Johannem Theologum perrexit. Zelo repletus Dei, Templa idolorum ſolo æquat, baptizat multos. *Poſt tranſitum Theologi*, accedit ad apoſtolum S. Paulum; paſſuſque cum eo vincula, tormenta, & flagras, in fornacem injicitur; pluvia exſtinguit ignem. Beſtiis exponitur, & incolumis. Ab angelo ducitur Epheſum: proficiſcitur: ubi ſui magiſtri grege reviſo, revertitur in patriam, & plenus dierum, requieſcit in pace. Menol. Græcor. pauca hæc de eo ſcribit; ubi multa ſunt exnarratis. Οὗτος χάριτος Θεοῦ πλησθεὶς, καὶ τῷ ἁγίῳ ἀποστόλῳ Παύλῳ φοιτήσας, καὶ τούτῳ πρὸς τὸ κήρυγμα χωρήσας, καὶ ναοὺς τῶν εἰδώλων καταστρεψάμενος, δεσμὰ καὶ μάστιγας ὑπομείνας, καὶ συχνὸν χρόνον τῇ φυλακῇ προσκαρτερήσας. ἐν ᾗ ἄρτον ἐξουρανοῦ δέχεται, καὶ φλογὶ πυρὸς ἀπορρίπτεται, καὶ θηρίοις εἰς βορὰν δίδοται. ὧν ἑνὸς ἀνθρωπίνῃ φωνῇ φθεγξαμένου, πάντας ἐξέπληξε. πάντων δὲ ἀνώτερος γενόμενος, τὴν ἰδίαν πατρίδα Σεβαστὴν καταλαμβάνει, θείου ἀγγέλου προπορευομένου, καὶ ἐνισχύοντος, αὐτόν. Ἐν ᾗ πλήρης ἡμερῶν γενόμενος, ἀνεπαύσατο ἐν Κυρίῳ. *Hic gratia Dei plenus, & ad divinum Paulum frequens accedens, ſimulque cum eo ad prædicandum ſæpe ititans, Idolorum phana ſubvertens, vincula & flagra paſſus, ad multum tempus teritur in cuſtodia. In qua panem de cælo accipit; & flammæ poſtea projicitur, ac beſtiarum dentibus projicitur. Quorum unum humana voce locutum, omnes terrore expavit. Omnium ſuperior factus, in propriam patriam Sebaſtem reverſus eſt, angelo Dei præeunte eum, & vires addente ipſi. In qua plenus dierum, in Domino requievit.*

Ex duabus perſonis, una facta. Alter ille, de quo loquitur adoleſcente, Euſebius Cæſarienſis, a Joanne apoſtolo, relicto cuidam Epiſcopo ut cuſtodiatur: alter, ille eſt Eutyches, de quo in Actis apoſtolorum cap. 20. qui cecidit e cœnaculo, dum Paulus Troade prædicabat, & ſuſcitatus ab eo fuit. Nec fabula in paſſionibus ejus parcit. Unum noto, decimo ſeculo Joannem Theologum (apud utrumque Menologium) ex his habitum alium ab Johanne Apoſtolo; qui indubie obiit ſub Trajano, & longiſſime poſt Paulum. De S. Tito nihil hac die Bailletius.

DIE VIGESIMAQUINTA.

Ruthenè: Bartolomeu. Titu. Bartholomæi. Titi.

Græcè: Ἡ ἐπάνοδος τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Βαρθολομαίου, καὶ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Τίτου. *Regreſſus reliquiarum apoſtoli ſancti Bartholomæi; & ſancti apoſtoli Titi.* In Rubrica, Μηναίοις &c.

COMMENTARIUS.

Bartholomæus poſt prædicationem Evangelii in diverſis locis, *in magna Armenia crucifigitur* (σταυροῦται ἐν τῇ μεγάλῃ Ἀρμενίᾳ). Corpus ejus, fideles *in Urbanopoli* (ἐν Οὐρβανοπόλει) in lapideo tumulo, deponunt: concurrunt populi, & ſanantur a ſuis malis. Operarii diaboli, ex ira, tumulum in mare projiciunt, una cum quatuor aliis larnacibus ſanctorum martyrum Pappiani, Luciani, Gregorii, & Acacii. Mare per quod tranſeunt, ſanctificatur: tranſeunt anguſta Helleſponti, Ægeumque, perveniunt ad Adriaticum; relictaque inſula Siciliæ; veniunt ad inſulam Liparam. Larnax Bartholomæi ibi relicta; ea Pappiani tranſit ad *Amyllum* (Ἄμυλλον) urbem Siciliæ; & Luciani Meſſanam; ea Gregorii ad *Columnam* (Κολόμνη) urbem Calabriæ; & ea Acacii in *Aſcalos urbem* (1). Erat tunc Epiſcopus Liparæ Agatho, cui ſe Apoſtolus manifeſtat. Qui ei ſuperbo conſtituto Templo, in eo oſſa illa reponit. Facta Translatio duobus vitulis ſubtilibus rudentibus alligatis, a Beato Agathone (ζεῦγος ἀγελαίων δαμάλεων, καὶ λεπτοῖς ἀποδήσας καλωδίοις). Tunc *parva inſula Vulcani* (νησίδιον τοῦ Βουλκάνου) ſeptem ſtadia longius ſit a Lipara; quod eam incommodabat *fonte* (πηγῇ) quæ diu noctuque *fervide bulliebat* (ἀναβράζουσα) Poſt multa ibi facta miracula, & annos multos; tempore Theophili Imperatoris, capitur Lipara a Saracenis, & deſerta relinquitur. *Princeps Beneventanus* (ὁ τῆς πόλεως Βενέδου Ἄρχων) auditis mirabilibus ſancti Apoſtoli, advocat multos *Amalphitanos* (ἐκ τῆς Ἀμαλφίων πόλεως) multa eis promittit, ut inde ad ſe transferant ſanctum Corpus. Optata fiunt. Cum Beneventano Epiſcopo, Clero, & Populo, obviam procedit. Infert in urbem Beneventum (ἐν τῇ πόλει Βενέδου); deponit in loco venerando (ἐν σεβασμίῳ τόπῳ). Ibi miracula multa & *ſanationes*. De hac re nihil Baſilii Menologium. Præter ultimam iſtam translationem, nihil apud eruditos eſt conſtans & verum, etiam in reliquiis; Bailletius omnia Bartholomæi revocat in dubium, præter ea, quæ in Evangelio. Menol. Baſilii die XI. Junii agit de martyrio ſancti Bartholomæi.

S. Gregorius Turonenſis, miracul. lib. 1. cap. 34. ait, Corpus S. Apoſtoli ſuo ævo fuiſſe in Lipari, & translatum ante fuiſſe illuc, ex loco ubi paſſus erat. Surius die hujus 23. habet Encomium S. Bartholomæi per Joſephum; quem opinor illum Hymnographum. In quo dicitur Apoſtolus petiiſſe, & ita fuiſſe inverſo capite crucifixum. Sed Menologium inde deſumpſit, unde & Joſephus, qui ea retulit. De ipſo præter Joſephum, ſcripſit eodem ſeculo S. Theophanes Studita, & Niceta Paphlegon. Ille apud tomum 3. Spicilegii Dacheriani; hic apud tom. 3. Bibliothecæ Concionatoriæ Combefiſii, ſed omnia iſta quæ congerit, dubia & incerta ſunt.

Beneventanam translationem, figit Pagius ad an. 839. per Principem Beneventi Sicardum; qui paulo poſt occiſus eſt. Male alii actum dicunt anno 809. quo anno Sicardus non regnabat.

Titus ex Minoe Rege Cretæ originem ducens, ut Nomicus ait Zenas. qui vitam ejus ſcripſit, cujus meminit Paulus apoſtolus; ætatis principio, ethnica eruditione imbutus; ubi annum complet vigeſimum, vocem de cœlo audit: Tite oportet te hinc exire, & ſervare animam tuam. Non enim hæc eruditio te lucrabitur. Ipſe opinatus, Deorum vocem, cupit iterum eam audire. Poſt annum a viſione, incidit in librum Hebræorum; ac legens Iſaiam ibi: *Renovabuntur ad me inſulæ multæ. Hieruſalem ſervabitur a Domino, ſervatione æterna*, & reliqua. *Proconſul Cretæ Titi avunculus* (ὁ οὖν Ἀνθύπατος Κρήτης, ὁ καὶ θεῖος τοῦ ἁγίου Τίτου) audit Natalem Domini, & mirabilia ejus; primusque e ſuis familiaribus, Hieruſalem mittit, & cum eis Titum. Hic audit: adorat Chriſtum: manetque apud eum uſque ad Paſſionem & Reſurrectionem ejus, Aſcenſionem; Deſcenſionemque Spiritus Sancti. Credit: connumeratur, 72. Diſcipulis; & tribus illis millibus, qui ad prædicationem Petri, crediderunt. Hinc ordinatur, & cum Paulo mittitur ad docendum, & ordinandum (χειροτονεῖν) qui Paulo videbantur. Cum eo venit Antiochiam, Seleuciam, Cyprum, Salaminam & Paphum, Pergam Pamphyliæ, Antiochiam Piſidiæ, & Iconium in domum Oneſiphori. Hinc Lyſtram, & Derben. Ruſtillo Titi ob ſororem γαμβρός, ſecundum agente Cretæ Proconſulatum, in Cretam veniunt Paulus & Titus, ibique fundant Eccleſiam. Profecti in Aſiam, inde Romam, ubi ſub Nerone, a Paulo adſiſtente Romæ, Titus in Cretam ab eo mittitur: ac ibi Epiſcopis & presbyteris conſtitutis; poſt Apoſtolicam vitam, dormit in Domino;

(1) *Num Aſcalea? quæ in Diœceſi Caſſanenſi, ad mare; modo* Scalea. *An* Scala, *prope Rebellum, Epiſcopatus ſub Arch. Amolphitano ad oram maris? Hoc puto; etiam ob vocatos Amalphitanos a Sicardo finitimos & vicinos. Ughellus de re iſta non loquitur in Scalenſibus.*

mino; omne tempus ejus vitæ anni 94. Nam erat viginti annorum, dum Hieruſalem primo venit: Chriſtus poſt annum moritur, & aſcendit in Cœlum. Ibi commoratur alios decem annos; ordinatur Apoſtolus a Coriphæis Chriſti diſcipulorum: prædicat Evangelium alios decem & octo annos in Creta, & inſulis aliis, annos 6. & in patria annos 39: Ex quibus ſumma exſurgit annorum 94.

Non vacat nec placet ſpineta hæc, & computos inutiles examinare, & terere in his tempus. Fabula a principio, texta ad animum. Ex eodem fonte, ſua deducit Baſilii Menologium; etſi omittat genus a Rege Minoe, Zenam authorem vitæ, Proconſulem avunculum, itinera cum Paulo; Ruſtillum ſororis Titi filium, ejuſque Proconſulatum. Etſi differat, dum ait Titum *a ſanctis Apoſtolis Epiſcopum conſecratum, & miſſum Cretam*. Si ab his conſecratus Eccleſiæ illi (χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἁγίων ἀποςόλων, ἀπεςάλη εἰς Κρήτην) itinera deſtruunt ejus Epiſcopatum, non aditum per tot annos; etſi admitteres eamdem ætatem, annorum 94. quod durum eſt.

DIE VIGESIMASEXTA.

Ruthenè: Adrianu. Natalia. Hadriani. Nataliæ.

Græcè: Τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἀδριανοῦ καὶ Ναταλίας, καὶ τῆς συνοδίας αὐτῶν. *Sanctorum martyrum Hadriani, & Nataliæ, & ſociorum eorum.*

COMMENTARIUS.

Conjuges Nicomedienſes; in ſecundo *itinere* (περιόδῳ) Maximiani, dum 25. Chriſtiani e cryptis eruuntur, & verberantur; interrogati, cur tanta paterentur, & reſponſo reddito, ut præparata bona lucrarentur, quæ nec auris audivit &c. ſtatim ex divina gratia Hadrianus credit: & exceptoribus dicit, ut ſuum conſcribant nomen cum Chriſtianis. Cruciatur. Uxor eum audiens vinctum, & cauſam neſciens, vadit ad carceres, & ſcit cauſam, rogatque alios martyres, ut pro eo orent, & ipſa domum revertitur. Hadrianus corruptis cuſtodibus, domum venit, uxor credit, eum timere tormenta, cum ille venerit, ut ſuo martyrio aſſiſteret. Claudit oſtium. Sed ubi veritatem novit, operit. Redit ille; producitur Imperatori, verberatur etiam ſub ventre, & interiora aperiuntur. Erat tunc viginti & octo annorum: cum aliis, ei primo cæduntur manus & pedes. Natalia adſiſtit, eoſque hortatur. Dum igni traduntur corpora, Natalia cum mariti manu in ſinu ſequitur, ſeſe ſanguine eorum ungens. Ignem extinguit pluvia. Euſebius quidam fidelis ſumit lipſana, & in acatio poſita, advenit, & deponit prope Byzantium Argyropolim (ἐν Ἀργυροπόλει πλησίον Βυζαντίου). Quo & Natalia poſtea adnavigans, ibi tradidit Deo ſpiritum; & prope eas reliquias eſt adpoſita. Acta pulchra, ni manum paſſa ſint poetarum. Eadem compendio dicit Baſilii Menologium; ſed a Natalia collectas & advectas Byzantium reliquias, & Argyropoli depoſitas ſcribit; & defunctam, ibi illis fuiſſe adpoſitam.

DIE VIGESIMASEPTIMA.

Ruthenè: Piminu. Poemonis.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ποιμένος. *Sancti Patris noſtri Poëmonis.*

COMMENTARIUS.

Geſta ejus, ex Palladio in vitis Sanctorum Patrum.

DIE VIGESIMAOCTAVA.

Ruthenè: Moiſi. Moyſis.

Græcè: Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μωσέως τοῦ Αἰθίοπος. *Sancti Patris noſtri Moyſis Æthiopiæ.*

COMMENTARIUS.

Eadem ad verbum, in utroque Menologio. Ex vitis Patrum. Bailletius addit ejus Apophthegmata apud Cotelerium tomo 1. præter ea .... & Caſſiani.

DIE VIGESIMANONA.

Ruthenè: Uſicnovenie hlavi Johanna. Obtruncatio capitis Johannis.

Græcè: Ἡ ἀποτομὴ τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ τιμίου ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου. *Obtruncatio pretioſi capitis, Sancti, glorioſi, prophetæ, præcurſoris & baptiſtæ Johannis.*

COMMENTARIUS.

Translatio hæc deſcribitur hac die apud Surium, qui opus tribuit Metaphraſti, mihi alius ille eſt. Haud enim ſcatet fabulis; & translatio ipſa, & inventio prima, narratur facta ſub Valentiniano & Marciano Imperatoribus, ab Uranio Epiſcopo Emyſſeno, ſcripta tunc a Marcello Abate anno 453. cui revelatum fuit. Alii characteres ſunt veritatis; ut dies primæ translationis 24. Februarii, Repoſitionis 25. vel 26. Octobris ejuſdem anni 467. ſub prædictis Principibus Valentiniano & Marciano, ſextæ indictionis. Metaphraſtes poſt hæc habet orationem de exportatione manus per S. Lucam. Rutheni ſolius S. Johannis decollationem, vigilia & jejunio præcedenti colunt.

Eadem in utroque Menologio, ad verbum e Scriptura. Facta hæc in *Sebaſte* (Σεβαστῇ) quæ diſtat ab Hieroſolymis unius diei iter. Ibi, (ubi factum convivium, & Herodis ſucceſſor Tetrarcha ſuas domos erexit) conditum eſt corpus ab ejus diſcipulis. Qui cumulatius & eruditius, noſſe de his voluerit, poſt Theodoritum, adeat Tillemontium tomo 1. & Pailletium hac die, ubi diligentiſſime omnia colliguntur, ac excutiuntur, & Florentinium in Hieronymiano.

Die trigeſima.

Ruthene: Alexandru. Joannu. Paulu. Alexandri, Joannis, Pauli.

Græcè: Τῶν ἁγίων Πατριαρχῶν Ἀλεξάνδρου, Ἰωάννου, καὶ Παύλου τοῦ νέου. καὶ τοῦ ὁσίου καὶ θαυματουργοῦ Φαντίνου. *Sanctorum Patriarcharum Alexandri, Johannis, & Pauli junioris, & Sancti, & Thaumaturgi Phantini.*

COMMENTARIUS.

De Patriarchis nihil, præter dicta; & ea quæ canuntur in Canone eorum de Alexandro: quod Arii alazoniam compreſſit: Johannis continentiam, fidem, humi dormitiones, confeſſionem. Paulum fuiſſe ſimilem vocatione Paulo apoſtolo. Alexandrum ſucceſſiſſe Metrophani; fuiſſe in Nicæna Synodo. Paulum Conſtantinopoli pro Imaginibus pugnaſſe. Johannem, vix dubitem fuiſſe illum Jejunatorem (νηστευτὴν).

Fantinus Georgii & Bryones filius, natus eſt in Calabria, ab infantia dicatus Deo, factuſque monachus, ad revelationes magnas, addit quandoque viginti dies continuos jejunii. Multa paſſus a Saracenis, qui tunc Calabrias populabantur. Sub quibus, annis 60. exactis, Vitalium & Nicephorum, qui ad ſe ventitabant, aſſumpſit, & in Peloponneſum duxit, primòque Corinthi, tum Athenis commoratus, hinc Lariſſam profectus, Theſſalonicam tandem venit, in delitiis ibi Mirabilium S. Demetrii ad annos octo; ibi clauſit plenus virtutibus & ſignis, ſuum extremum diem, ætate pulchra & effæta.

Die trigeſima prima.

Ruthenè: Poloxenie ceſtro pojaja Bogorodici. Depoſitio venerabilis Zonæ Deiparæ.

Græcè: Ἡ ἀνάμνησις τῆς ἐν τῇ ἁγίᾳ σορῷ καταθέσεως τῆς τιμίας ζώνης ὑπεραγίας Θεοτόκου, ἐν τῷ σεβασμίῳ αὐτῆς οἴκῳ ἐν τοῖς χαλκοπρατείοις ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς Ζήλας, ἐπὶ Ἰουστινιανοῦ τοῦ βασιλέως. Καὶ θαῦμα γεγονὸς διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῆς τιμίας ζώνης, εἰς τὴν βασιλίδα Ζωὴν, τὴν σύζυγον Λέοντος τοῦ βασιλέως. *Commemoratio Depoſitionis in ſacra urna pretioſæ Zonæ, Sanctiſſimæ Deiparæ, in venerabili ejus domo, quæ eſt in Chalcopratiis, tranſlatæ ex Epiſcopatu Zelæ, ſub Juſtiniano Imperatore; & miraculum, quod accidit, ob appoſitionem pretioſæ Zonæ hujus, ſuper Zoen Imperatricem, uxorem Leonis Imperatoris.*

COMMENTARIUS.

Arcadius magni Theodoſii filius, eam ex Hieroſolymis (ubi a quadam Virgine, una cum lacerna Deiparæ, ſervata fuerat) Conſtantinopolim tranſtulit; & depoſuit in eleganti urna. *Poſt quadringentos & decem annos* (*decem* omittit interpres; χρόνων δὲ διελθόντων τετρακοσίων δέκα) hæc urna aperitur, ut ſuper Zoem ab impuro ſpiritu vexatam, imponeretur; quam ex viſione ad id motus, Patriarcha ei impoſuit, & repoſuit. Primo ab Arcadio, ejus manibus, in urna fuit repoſita; adiecto anno, indictione, & die (Ἐτέθη χερσὶ τοῦ βασιλέως ἔνδον τῆς θήκης.) Cæterum eadem ad verbum utrumque Menologium.

Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolis Encomium ſcripſit, Zonæ dominæ, faſciarum Chriſti, & Encæniorum Templi, in Chalcopratiis, in quo depoſita fuerunt.

Eutychianus Monachus uterque, legendus apud Surium die iſta. De miraculo vero in Zoe Imperatrici, uterque ſilet. Metaphraſtis manum olere videntur: apud quem Surius dicit haberi hæc Encomia. Videndus omnino Bailletius die 15. Auguſti §.3. ubi de reliquiis hiſce, & Zona B. Virginis, late & critice loquitur col. 208. hujus menſis, vel pag. 409. editionis in octavo Pariſienſis anni 1704.

Reſtat quintam Ruthenam Tabulam illuſtrare; verum cum hæc contineat omnia anni Feſta mobilia; ea ſunt abundantiſſime ſuis Commentariis, duobus Tomis a cl. Bailletio, illuſtrata, viro in omnibus ejuſmodi ſolertiſſimo, & philalethe.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.

INDEX NOMINUM OMNIUM SANCTORUM

Qui in hiſce Ruthenis Tabulis continentur, ordine Alphabetico diſpoſitus.

A

Abbacum Prophetæ 2. Decemb. Pag.40
Abdii 19. Novemb. 33
Aberici 22. Octob. 22
Abibi 14. Novemb. 32
Abrahamii 29. Octob. 24
Acacii 17. April. 85
Acacii 7. Jul. 111
Acacii 29. Novemb. 38
Acepſimæ 3. Novemb. 26
Acyndini 2. Novemb. 26
Adoratio Catenarum Petri 16. Januar. 60
Æcaterinæ 25. Novemb. 36
Æmiliani 18. Julii. 115
Æmiliani 8. Auguſti. 123
Agabi 8. April. 83
Agapii 15. Martii. 78
Agapis 16. April. 84
Agathæ 5. Februar. 67
Agathonici 22. Auguſt. 129
Agathopodis 5. April. 82
Aggæi Prophetæ 16. Decembris. 47
Agrippinæ 23. Jun. 105
Alexandri 30. Auguſt. 132
Alexii 17. Martii. 78
Alypii 26. Novemb. 37
Ambroſii 7. Decemb. 41
Amos Prophetæ 15 Jun. 103.104
Amphilochii 23. Novemb. 34
Ananiæ 17. Decemb. 47
Anaſtaſii Perſæ 22. Jan. 62
Anaſtaſiæ 29. Octob. 24
Anaſtaſiæ 22. Decemb. 49
Anatolii 3. Jul. 109
Andreæ 4. Jul. 109
Andreæ 19. Auguſt. 127
Andreæ Confeſſoris 17. Octob. 21
Andreæ Apoſtoli 30. Novemb. 39
Andronici 16. Maii. 94
Andronici 9. Octob. 19
Andronici 12. Octob. 20
Anempodiſti 2. Novemb. 26
Annæ 3. Februar. 66
Annæ 7. Jul. 111
Annæ 25. Jul. 117
Annæ 9. Septemb. 5
Anthimi 3. Septemb. 3
Antonii 17. Jan. 61
Antypæ 11. April. 84
Annunciatio Deiparæ 25. Mart. 80
Anyſiæ 30. Decemb. 52
Apparitio Crucis in Hieruſalem 6. Maii. 91
Apollonii 14. Decemb. 44
Aquilæ 14. Jul. 113
Aquilinæ 13. Jun. 103
Archippi 19. Februar. 70
Aretæ 24. Octob. 23
Ariſtarchi 15. April. 84
Arſenii 7. Maii. 91
Artemii 24. Martii. 80
Artemii 20. Octob. 22
Artemonis martyris 13. April. 84
Athanaſii 18. Jan. 61
Athanaſii 2. Maii. 89
Athanaſii 5. Iul. 110
Autonomi 12. Septemb. 6
Auxentii 14. Februar. 69
Auxentii 13. Decemb. 44
Azariæ 17. Decemb. 47

B

Babylæ 4. Septemb. 3.4
Bacchii 7. Octob. 17
Barbaræ 4. Decemb. 40
Barnabæ 11. Jun. 102
Barlam 19. Novemb. 33
Bartholomæi 11. Jun. 102
Bartholomæi 25. Auguſt. 130
Baſilei 7. Martii. 75
Baſilii Cappadociæ 1. Jan. 53
Baſilii 30. Jan. 65
Baſilii 26. April. 87
Baſiliſci 3. Martii. 74
Baſilii 22. Martii. 79
Baſilii 12. April. 84
Baſilii 26. April. 87
Baſiliſci 22. Maii. 97
Baſſæ 21. Auguſt. 128
Benedicti 14. Martii. 78
Beſſarionis 6. Jun. 101
Blaſii 11. Februar. 68
Blaſii 28. Februar. 73
Bonifacii 19. Decemb. 48
Bucoli 6. Februar. 67

C

Callinici 29. Jul. 119
Calliſtrati 27. Sept. 11
Capitonis 7. Martii 75
Carpi 13. Octob. 20
Carpi 25. Maii 98
Caſſiani 29. Februar. 73
Celſi 14. Octob. 21
Charalampii 10. Feb. 68
Charitatis 17. Septemb. 8
Charitinæ 5. Octob. 17
Charitonis 28. Sept. 11
Chioniæ 16. Aprilis 84
Chriſtinæ 24. Julii 117
Chriſtophori 8. Maii 92
Chryſanthi 19. Martii 79
Circumciſio Domini 1. Jan. 53
Clementis Ancyrani 23. Jan. 62
Clementis 25. Novemb. 36
Cleonici 3. Martii 74
Conceptio Præcurſoris 23. Septemb. 9
Conceptio Deiparæ 9. Dec. 42
Cononis 5. Martii 74
Conſtantini 20. Maii 95
Cornelii 13. Septemb. 7
Coſmæ 12. Octob. 20
Coſmæ 1. Novemb. 25
Coſmæ 1. Jul. 108
Cypriani 2. Octob. 15
Cyri 28. Jun. 107
Cyriaci 29. Septemb. 12
Cyrici 15. Julii 113
Cyrilli 18. Jan. 61
Cyrilli 15. Februar. 69
Cyrilli 18. Martii 78
Cyrilli 29. Martii 81
Cyrilli Alexandrini 9. Jun. 102

D

Dalmatii 3. Auguſt. 121
Damiani 1. Novemb. 25
Damiani 1. Jul. 108
Danielis 11. Decemb. 43
Danielis 17. Decemb. 47
Dariæ 19. Martii. 79
Davidis Prophetæ 26. Jun. 107
Decem martyrum in Creta Inſula 23. Decemb. 50
Demetrii 26. Octob. 24
Depoſitio Venerabilis Zonæ Deiparæ 31. Auguſt. 132
Dii 19. Jul. 115
Dionyſii 3. Octob. 16
Domitii 7. Auguſt. 122
Domitiani 10. Jan. 58

Domni-

Dominicæ 8. Jan. 58
Dormitio Deiparæ 15. Aug. 125
Dorothei 5. Jun. 101

E

Eleazari 1. Auguſt. 120
Eleutherii 15. Dec. 46
Eliſabet 24. Junii. 106
Eliſæi 14. Junii. 103
Elpidii 2. Novemb. 26
Ephræmi 7. Martii 75
Ephræmi 28. Jan. 64
Epimachii 31. Octob. 25
Epiphanii 11. Maii. 93
Epiſtemes 5. Novemb. 27
Eraſti 9. Novemb. 30
Eſaiæ 8. Maii. 92
Eudociæ 1. Martii. 73
Eudociæ 4. Auguſti, 121
Eudocii 31. Julii. 120
Eugeniæ 24. Decemb. 50
Eugraphi 10. Decemb. 42
Eulampiæ 10. Octob. 20
Eulampii 10. Octob. 20
Eumenii 18. Septemb. 8
Euphemiæ 16. Sept. 7
Euphemiæ 11. Julii. 112
Euphroſinæ 25. Septemb. 10
Eupli 11. Auguſti. 124
Eupraxiæ 25. Julii. 117
Eupſychii 9. April. 83
Euſebii 22. Junii. 105
Euſignii 5. Auguſti. 122
Euſtathii 20. Septemb. 9
Euſtathii 21. Februar. 71
Euſtratii 13. Decemb. 44
Euthymi 15. Octob. 21
Euthymi 20. Jan. 61
Eutropii 3. Martii. 74
Eutychii 6. April. 83
Eutychii 24. Auguſti. 129
Exaltatio S. Crucis 14. Septembris. 7
Ezechielis Prophetæ 21. Jul. 116

F

Fauſti 3. Auguſti. 121
Feſtum Archiſtrategi Michaelis 7. Novemb. 28
Feſtum Deiparæ 26. Dec. 51
Feſtum Septuaginta Apoſtolorum 4. Jan. 54
Feſtum Joannis Baptiſtæ 7. Januarii. 57
Feſtum Gabrielis 26. Martii. 80
Feſtum omnium Apoſtolorum 30. Junii. 108
Feſtum Gabrielis Archangeli 13. Julii. 113
Fidei 17. Septemb. 8
Flori 18. Auguſti. 127

G

Galactionis 5. Novemb. 27
Georgii 8. Januar. 58
Georgii 4. April. 82
Georgii 7. April. 83
Georgii 23. April. 86
Geraſimi 4. Martii. 74
Germani 12. Maii. 93
Gervaſi 14. Octob. 21
Glyceriæ 13. Maii. 93
Gordii 3. Jan. 54
Gregorii 30. Septemb. 12
Gregorii 16. Novemb. 32
Gregorii 20. Novemb. 33
Gregorii 23. Novemb. 34
Gregorii 10. Jan. 58
Gregorii 25. Januar. 63
Gregorii 12. Martii. 77
Guriæ 14. Novemb. 32

H

Hadriani 26. Auguſti. 131
Helenæ 20. Maii. 95
Heliæ Prophetæ 20. Jul. 115
Hermiæ 30. Maii. 99
Hermolai 26. Julii. 118
Hermogenis 10. Decemb. 42
Hermyli 13. Jan. 59
Herodionis 8. April. 83
Hieremiæ Prophetæ 1. Maii. 89
Hierothei 4. Octob. 16
Hilarii 12. Julii. 112
Hilarionis 6. Junii. 101
Hilarionis 21. Octob. 22
Hippolyti 30. Januar. 65
Hyacinthi 3. Julii. 109
Hyacinthi 18. Julii. 115
Hypatii 31. Martii. 81

I

Jacobi 23. Octob. 23
Jacobi 27. Novemb. 37
Jacobi 9. Octob. 19
Jacobi 21. Martii. 79
Jacobi 30. April. 89
Januarii 21. April. 86
Jaſonis 28. April. 88
Joachim 9. Septemb. 5
Joannis Jejunatoris 2. Septemb. 1
Joannis Theologi 26. Sept. 10
Joannis Chryſoſtomi 12. Oct. 31
Joannici 4. Novemb. 27
Joannis 11. Novemb. 31
Joannis Damaſceni 4. Dec. 40
Joannis Calybitæ 15. Jan. 60
Joannis 31. Jan. 65
Joannis 30. Martii. 81
Joannis 18. April. 85
Joannis 19. April. 85
Joannis 7. Maii. 91
Joannis 28. Jun. 107
Joannis 21. Jul. 116
Joannis 30. Auguſt. 132
Joelis 19. Octob. 22
Jobi 6. Maii. 91
Joſephi 3. Novemb. 26
Joſephi 4. April. 82
Julianæ 21. Decemb. 49
Juliani 21. Jun. 105
Julittæ 15. Jul. 113
Judæ 19. Jun. 104
Juſtinæ 2. Octob. 15
Juſtini 1. Jun. 100
Ignatii 20. Decemb. 48
Ignatii 29. Jan. 64
Inventio Sanctorum martyrum 22. Februar. 72
Ingreſſus Deiparæ in Templum 21. Novemb. 33
Irenis 16. April. 84
Irenis 4. Maii. 90
Iſaacii 3. Auguſt. 121
Iſacii 29. Maii. 99
Iſancis 24. Martii. 80
Iſidori 4. Februar. 66
Iſidori 13. Maii. 94
Iſmaelis 17. Jun. 104

L

Lampadii 5. Jul. 110
Lampii 31. Octob. 25
Laurentii 10. Auguſt. 123
Lauri 18. Auguſt. 127
Lazari 6. Nov. 28
Leonis 18. Februar. 70
Leonis 20. Februar. 71
Leontii 18. Junii. 104
Leucii 14. Decemb. 44
Longini 16. Octob. 21
Lucæ 18. Octob. 21
Lucæ 7. Februar. 67
Luciani 15. Octob. 21
Lucilliani 3. Jun. 100
Lupi 23. Auguſt. 129

M

Macarii 19. Jan. 61
Macrinæ 19. Jul. 115
Malachiæ Prophetæ 3. Jan. 54
Mamantis martyris 2. Sept. 1
Manuelis 17. Jun. 104
Marcelli 29. Decemb. 52
Marciani 25. Octob. 24
Marciani 10. Jan. 58
Marci 29. Martii. 81
Marci 25. April. 87
Mardarii 13. Decemb. 44
Mariæ 1. April. 82
Mariæ 26. Jan. 63
Mariæ 22. Jul. 116
Marinæ 17. Jul. 114
Martini 14. April. 84

Marti-

Martiniani 13. Februar, 69
Marthæ 5. Jul. 110
Martyrii 25. Octob. 24
Matronæ 26. Martii. 80
Matthæi 15. Novemb. 32
Matthæi 9. Auguſt. 123
Mauræ 3. Maii. 89
Maximi 21. Jan. 61
Maximi 13. Auguſt. 125
Melaniæ 31. Decemb. 53
Meletii 12. Februar. 69
Menæ 10. Novemb. 30
Menæ 10. Decemb. 42
Menodoræ 10. Septemb. 6
Mercurii 25. Novemb. 36
Methodii Patriarchæ 14. Jun. 103
Methodii 20. Jun. 105
Metrodoræ 10. Septemb. 6
Metrophanis 4. Jun. 101
Michaelis 22. Maii. 97
Michaelis 12. Jul. 112
Micheæ Prophetæ 14. Aug. 125
Miraculum Michaelis Archangeli 6. Septemb. 4
Miſaelis 17. Decemb. 47
Mocii 10. Maii. 93
Monachorum in Monaſterio Sabbæ 20. Martii. 79
Moyſi 4. Septemb. 4
Moyſi 28. Auguſt. 131
Myronis 17. Auguſt. 127

N

Nataliæ 26. Auguſt. 131
Nativitas Protectricis Deiparæ 8. Septemb. 5
Nativitas Domini 25. Dec. 50
Nativitas Joannis Baptiſtæ 24. Juu. 106
Naum Prophetæ 1. Decemb. 40
Nazarii 14. Octob. 21
Neonillæ 28. Octob. 24
Neophyti 21. Jan. 61
Neſtoris 27. Octob. 24
Nicandri 4. Novemb. 27
Nicanoris 28. Jul. 119
Nicephori 9. Februar. 68
Nicephori 2. Jan. 100
Nicetæ martyris 15. Septemb. 7
Nicetæ 3. April. 82
Nicetæ 27. Maii. 99
Nicetæ 12. Auguſt. 124
Nicolai 6. Decemb. 40
Niconis, & Sociorum 23. Martii. 79
Nili 11. Novemb. 31
Non manufactæ Imaginis 16. Auguſt. 126
Novem martyrum Cyzici 29. April. 88
Nymphiodoræ martyris 10. Septemb. 6

O

Obtruncatio capitis Joannis 29. Auguſt. 131
Occurſus Domini 2. Februar. 66
Olympi 9. Novemb. 30
Olympiadis 25. Jul. 117
Oneſimi 15. Februar. 69
Oneſiphori 8. Novemb. 29
Onuphrii 12. Jun. 103
Oreſtis 13. Decemb. 44

P

Pachomii 14. Maii. 94
Pamphili 16. Februar. 70
Pancratii 9. Julii. 111
Panteleemonis 27. Julii. 119
Papyli 13. Octob. 20
Paramonis 29. Novemb. 38
Paraſceves 26. Julii. 118
Parmenæ 28. Julii. 119
Parthenii 7. Februar. 67
Patapii 8. Decemb. 41
Patricii 18. Maii. 95
Patrocinium Deiparæ 1. Oct. 13
Patrum Septimæ Synodi Generalis 16. Julii. 113
Pauli 6. Novemb. 28
Pauli 15. Decemb. 46
Pauli 15. Januar. 60
Pauli 29. Junii. 107
Pauli 30. Auguſti. 132
Pegaſii 2. Novemb. 26
Pelagiæ 8. Octob. 18
Pelagiæ 4. Maii. 90
Petri 25. Novemb. 36
Petri 12. Januar. 59
Petri 29. Junii. 107
Phebroniæ 25. Junii. 106
Philemonis 22. Novemb. 34
Philemonis 29. Novemb. 38
Philemonis 14. Decemb. 44
Philippi apoſtoli 11. Octob. 20
Philippi 13. Novemb. 31
Phocæ martyris 22. Sept. 9
Platonis 17. Novemb. 32
Poemonis 27. Auguſti. 131
Polycarpi 23. Februar. 72
Polyeucti 9. Januar. 58
Pompeii 10. April. 83
Porphyrii 8. Novemb. 29
Porphyrii 26. Februar. 73
Prima Inventio Capitis Præcurſoris 24. Februar. 72
Probi 12. Oct. 20
Proceſſio Crucis 1. Auguſti. 120
Prochori 28. Julii. 119
Procli 20. Novemb. 33
Procli 12. Julii. 112
Procopii 27. Februar. 73
Procopii 8. Julii. 111
Protaſii 14. Octob. 21

Q

Quadraginta quinque martyrum Nicopoli 10. Julii. 112
Quadraginta duorum Sanctorum martyrum 6. Martii. 75
Quadrati 21. Septemb. 9
Quadrati 10. Martii. 77
Quatuordecim millium Innocentium 29. Decemb. 52

R

R*Fpoſitio veſtium Protectricis Deiparæ* 2. Julii. 108
Rodionis 9. Novemb. 30
Romani 18. Novemb. 32

S

Sabbæ 5. Decemb. 40
Sabbæ 14. Januar. 60
Sabbæ 24. April. 86
Sabbatii 19. Septemb. 8
Sabelis 17. Junii. 104
Sabini 16. Martii. 78
Salomoniæ 1. Auguſti. 120
Samonæ 14. Novemb. 32
Sampſonis 27. Junii. 107
Samuelis Prophetæ 20. Auguſti. 128
Sanctorum quadraginta martyrum 9. Martii. 76
Sebaſtiani 18. Decemb. 47
Septem Dormientium Epheſi 22. Octob. 22
Septem Dormientium Epheſi 4. Auguſti. 121
Sergii 7. Octob. 17
Severiani 9. Septemb. 6
Silvani 30. Julii. 120
Silveſtri 2. Januar. 53
Simeonis Confeſſoris 1. Sept. 1
Simeonis 3. Februar. 66
Siſois 6. Julii. 110
Sophiæ 17. Septemb. 8
Sophiæ Prophetæ 3. Dec. 40
Sophronii 11. Martii. 77
Soſipatri 28. April. 88
Sozontis martyris 7. Sept. 5
Spei 17. Septemb. 8
Spiridionis 12. Decemb. 44
Stachys 31. Octob. 25
Stephani 28. Octob. 24
Stephani 28. Novemb. 38
Stephani 27. Decemb. 51
Stephani 28. Martii. 81
Stephani 2. Auguſti. 120
Stephanidæ 8. Novemb. 29
Sylæ 30. Julii. 120
Symeonis 17. April. 85
Symeonis 27. April. 87

Symeo-

Symeonis Zelotæ 9. Maii. 92
Symeonis 23. Maii. 98
Symeonis 5. Julii. 110
Symeonis 21. Julii. 116
Syncleticæ 5. Januar. 55

T

Tarachi 12. Octob. 20
Taraſii 25. Februar. 72
Tatianæ 12. Januar. 59
Tatianæ 20. Septemb. 9
Terentii 28. Octob. 24
Terentii 10. April. 83
Tertia Inventio Capitis Præcurſoris 24. Maii. 98
Thaddæi 21. Auguſti. 128
Thallelæi 19. Maii 95
Theclæ 24. Septemb. 10
Theoctiſti Confeſſoris 3. Septembris. 3
Theoctiſti 4. Januar. 54
Theodoræ 11. Septemb. 6
Theodori 10. Novemb. 30
Theodori 27. Decemb. 51
Theodori 8. Februar. 68
Theodori Tyronis 17. Febr. 70
Theodori 20. April. 86
Theodori 22. April. 86
Theodori 15. Maii 94
Theodori 8. Junii. 102
Theodoſiæ 28. Maii 99
Theodoſii 11. Januar. 59
Theodoti 2. Martii. 74
Theodoti Ancyrani 17. Maii 94
Theodoti 7. Junii. 101
Theoduli 5. April. 82
Theonæ 5. Januar. 55
Theopempti 5. Januar. 55
Theophania Domini 6. Jan. 57
Theophanis 12. Martii. 77
Theophili 6. Martii. 75
Theophili 23. Julii. 116
Theophylacti 8. Martii. 76
Therapontis 26. Maii 98
Thomæ 6. Octob. 17
Throphimi 23. Julii. 116
Thyrſi 14. Decemb. 44
Timonis 28. Julii. 119
Timothei 22. Januar. 62
Timothei 21. Februar. 71
Timothei 3. Maii 89
Timothei 10. Junii. 102
Titi 2. April. 82
Titi 25. Auguſti. 130
Transfiguratio Domini 6. Auguſti. 122
Translatio Corporis S. Joannis Chryſoſtomi 27. Januar. 63
Translatio Corporis S. Nicephori Patriarchæ 13. Martii. 77
Triginta trium Martyrum Melitene 6. Novemb. 28
Triphyllii 13. Junii. 103
Trophimi 19. Septemb. 8
Tryphonis 1. Februar. 66
Tychonis 16. Junii. 104

V

Vari 19. Octob. 22
Victoris 10. Novemb. 30
Vigintii millium Martyrum Nicomediæ 28. Decemb. 52
Vincentii 10. Novemb. 30

X

Xenæ 24. Januar. 63
Xenophontis 26. Januar. 63

Z

Zachariæ 5. Septemb. 4
Zachariæ 8. Februar. 68
Zachariæ 24. Martii. 80
Zachariæ 24. Junii. 106
Zenobiæ 30. Octob. 25
Zenobii 30. Octob. 25
Zotici 30. Decemb. 52

HAG 201413

Digitized by Google

Digitized by Google